



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.


Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

C. 42. 198. 5



Harvard College Library

FROM

The Vatican Library

.....

.....

l. und

P II IX

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

vol. I

R O M A E
MDCCLIV

Handwritten notes in the bottom right corner, possibly including the number 10000.

PII IX
PONTIFICIS MAXIMI
ACTA

PARS PRIMA
ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM
SPECTANT



EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
HABITA FACULTATE

C 82.188.5

✓



The Vatican Library.
Vatican City.

LECTORI BENEVOLO

Regis cujusque leges et acta, utpote quae in commune bonum constituuntur, sua veluti natura in proapatulo omnibus sunt, immo eo magis eorum notitia crescit, quo praestantior est finis, ad quem tendunt, quoque major illorum est numerus, quibus regendis et edocendis adhibentur. Ea vero est in praesentia plurimorum hominum indoles, ut historiae sui temporis documentorumque, quae innotuit, cupiditate quodammodo torqueantur; atque rem ipsis gratissimam facturos ar-

bitramur, ubi acta legesque, quae in Pontificatu Sapientissimus Dominus Noster Pius IX edidit, perquam diligenter iterum per nos in publicam lucem prodeant.

Nemo fortasse est, qui quum primum publici juris sunt facta, ea cognoscere nequiverit. At enim non una est causa, quae nos ad novam hanc editionem parandam impellit. Nostra in primis nihil interest, ut eorum habeamus rationem, quae res privatas privatasque personas respiciunt. Dedit quidem Pontifex Summus haec acta atque has epistolas, non tamen dedit, ut publice ederentur. Quare ab ejus voluntate nos non discessuros existimamus, si ab ipsis abstinemus.

Vidimus praeterea mutato sermone extra Italiam Acta Pontificis Summi Pii Papae IX praebita lectoribus fuisse, at mendis erroribusque undique scatentia. Id data opera factum omnino non est. Satis tamen novimus eos, qui in aliam linguam verterunt, non satis sermonem sive latinum sive italicum, non satis argumentum, quod in manus habebant, nosse; et festinatione insuper fuisse commotos, ut quam citissime vulgarentur, ubi nisi mature erat incedendum. Acceptum igi-

tur lectores referre nobis confidimus, si erroribus, quibus inquinantur, expurgata, et in necessariam ordinatamque seriem digesta Acta ejusmodi perlegenda iisdem praebeamus.

At verò varium haec habent propositum argumentum, et varium est personarum genus, quibus argumentum ipsum dirigitur. Ea enim, quae ad Ecclesiam Catholicam, et ad finem, qui supra naturam est, spectant, diversa omnino sunt ab iis, quae ad subditos Pontificiae Ditionis pertinent, et finem, qui intra naturam est, respiciunt. Necessarium proinde duximus ea in duas partes dirimere, principemque locum iis tribuere, quae cum religione et aeterna vita rationem habent; secundum iis, quae in pauciorum bonum et in hanc vitam edita sunt.

Constabit igitur pars prima Allocutionibus, quas in Sacris Consistoriis Pontifex Supremus Pius IX habuit ad Eminentissimos Cardinales, Encyclicis, quae propius remotiusve credendi atque agendi normam attingunt, Litteris Apostolicis, quae peculiare aliquod negotium Catholicis omnibus publicandum praeseferunt, et Litteris in forma

Brevis, quaeque ad Beatorum cultum referuntur, vel ad Archiepiscopos et Episcopos sunt datae, et ad fidem ac mores referri quodammodo possunt.

Pars altera leges habebit et decreta, quae per Se Pontifex vulgat, quaeque idcirco Motus - proprios aut Chirographos appellamus; ea insuper omnia, quae per Cardinalem, qui illi est a publicis negotiis, emittit. Leges autem sunt, quibus Pontificiae Ditionis subditi reguntur, quaeque cum temporum ratione cohaerent. Faxit Deus, ut studium hoc nostrum, qualecumque sit, in Sui laudem cedat.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVII IVLU
ANNI MDCCCXLVI.

VENERABILES FRATRES

Amplissimum consessum Vestrum hodie primum ex hoc loco intuentibus Nobis, Vosque allocuturis, Venerabiles Fratres, eadem illa renovatur animo trepidatio, qua Nos tantopere percultos conspexistis, cum studiosissimis ministerii Vestri suffragiis in Gregorii XVI gloriosissimæ memoriæ Pontificis locum suffecti fuimus. Illa enim iterato subit cogitatio, quod plures S. R. E. Cardinales mentis consilii que præstantia, rerum gerendarum usu, atque omni virtutum genere domi forisque spectatissimi præsto erant qui Pontificis amissi desiderium lenire, et ipsi ei succedere merito poterant: Vos autem postpositis omnibus humani consilii rationibus, ac ad Ecclesiam Catholicam viduitate sua dolentem singulari prorsus zelo unice respicientes, ita ad ipsam recreandam reficiendamque studia vestra contulistis, ut non sine arcano divinæ instinctu providentiæ summoque voluntatum Vestrarum consensu, comitiis vix biduum protractis, Nos haud sane merentes hisce præsertim luctuosissimis christianæ civilisque reipublicæ temporibus ad Pontificatum Maximum elegeritis. Sed quoniam scimus Deum identidem ostendere potentiam

suam in iis quae maxime infirma sunt mundi, ut homines nihil sibi arrogent, ac illi uni cui debetur gloriam et honorem tribuant, hinc inscrutabilia illius de Nobis consilia venerati in coelestis ejus praesidii ope conquievimus. Dum vero ut par est Omnipotenti Deo primum gratias agimus ac semper acturi sumus, qui Nos quantumvis indignos ad tantae dignitatis fastigium evexit, gratum erga Vos quoque animum profiteamur qui divinae voluntatis interpretes ac ministri tam honorificum etsi immeritum de Nostra humilitate iudicium praetulistis. Nihil itaque antiquius unquam habebimus quam ut singulare impensae Nostrae erga Vos benevolentiae studium ipsa re ostendamus, nullam passuri occasionem dilabi, qua datum Nobis sit jura ac dignitatem tueri Vestri Ordinis, Vobisque, quoad per Nos fieri poterit, gratificari. Porro autem quod jam peculiare Vobis est, id a Vestra in Nos voluntate certo Nobis pollicemur adfuturos Vos assidue consiliis, ope, studiis infirmitati Nostrae ne quid res et sacra et publica exvectione hac Nostra capiat detrimenti. Summa namque animorum conjunctione Nobis laborandum est ut communis matris Ecclesiae bonum et gloriam intensissime curemus, ut Sedis Apostolicae dignitatem forti constantique animo vindicemus, denique ut tranquillitatem, mutuaque christiani Gregis concordiam diligentissime foveamus, ut inde benedicente Domino crescat ipse atque in dies merito et numero augeatur. Pergite igitur de Nobis ut coepistis praecclare mereri; unaque assiduis hoc a Deo precibus efflagitemus, ut Nos ab eo electi per sua vestigia gradiamur, ac implorata Beatissimae Mariae Virginis ope,

sanctisque Apostolis Petro et Paulo bene juvantibus
summum religionis et Apostolatus Nostri Auctorem
Jesum quanta possumus contentione obtestemur, ut
respiciat de monte Sancto Sion super Nos, et gratam
habeat hanc omnium Nostrum alacritatem pro ejus
coelesti gloria laborantium, ut omnes denique actus
conatusque Nostros universae Ecclesiae Nobis con-
credita Populisque ditioni Nostrae subiectis faustos
esse velit ac salutare.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Qui pluribus jam abhinc annis una Vobiscum, Venerabiles Fratres, episcopale munus plenum laboris, plenum sollicitudinis pro viribus obire, ac Dominici gregis partem curae Nostrae commissam pascere nitentur in montibus Israel, in rivis, et pascuis uberrimis, ecce ob mortem clarissimi Praedecessoris Nostri Gregorii XVI, cujus certe memoriam, atque illustria, et gloriosa facta aureis notis inscripta in Ecclesiae fastis semper admirabitur posteritas, praeter omnem opinionem, cogitationemque Nostram, arcano divinae Providentiae consilio, ad Summum Pontificatum non sine maxima animi Nostri perturbatione ac trepidatione evecti fuimus. Etenim si semper grave admodum et periculosum Apostolici ministerii onus merito est habitum, atque habendum, hinc quidem difficillimis christianae reipublicae temporibus vel maxime formidandum. Itaque infirmitatis Nostrae probe conscii, et gravissima supremi Apostolatus officia in tanta praesertim rerum vicissitudine considerantes, tristitiae et lacrimis Nos plane tradissemus, nisi omnem spem poneremus in Deo salutari Nostro, qui numquam dereliquit spe-

rantes in Eo, quique, ut potentiae suae virtutem ostendat, ad suam regendam Ecclesiam infirmiora identidem adhibet, quo magis magisque omnes cognoscant Deum ipsum esse, qui Ecclesiam admirabili sua providentia gubernat, atque tuetur. Illa etiam consolatio Nos vehementer sustentat, quod in animarum salute procuranda Vos socios et adjutores habeamus, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, omni cura et studio ministerium vestrum implere, ac bonum certamen certare contenditis. Hinc ubi primum in sublimi hac Principis Apostolorum Cathedra, licet immerentes, collocati in persona Beati Petri gravissimum munus ab ipso aeterno Pastorum Principe divinitus tributum accepimus pascendi, ac regendi non solum agnos, universum scilicet Christianum populum, verum etiam oves, hoc est Antistites, nihil certe Nobis potius, nihil optabilius fuit, quam ut intimo caritatis affectu Vos omnes alloqueremur. Quamobrem vix dum ex more institutoque Decessorum Nostrorum in nostra Lateranensi Basilica Summi Pontificatus possessionem suscepimus, nulla interposita mora has ad Vos Litteras damus, ut eximiam vestram excitemus pietatem, quo majore usque alacritate, vigilantia, contentione custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, atque episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Jesu, strenue opponatis murum pro Domo Israel.

Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab

iis hominibus conflare, qui nefaria inter se societate conjuncti sanam non sustinentes doctrinam, atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere, et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo, et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, justitiae, honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, jura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem, civilemque societatem convellere, labefactare, immo, si fieri unquam posset, funditus evertere commoluntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia *aperientes os suum in blasphemias ad Deum* (1) palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse, et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum ejurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant, atque incautos praesertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibi que philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota

(1) Apocalyps. XIII. 6.

in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanae rationis vim et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tucatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat, *qui Stoicum, et Platonicum, et Dialecticum Christianismum protu-*

lerunt (1). Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci, aut perfici umquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat (2). Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere, firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et *omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse* (3), ac propterea nihil fide nostra cartius, nihil securius, nihil sanctius exstare, et quod firmiter innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, pro-

(1) Tertull. de Praescript. cap. VIII.

(2) Ad Rom. XIII. 4.

(3) S. Joann. Chrysost. Homil. I. in Isai.

digiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens, ac coelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae, ac potentiae fulgore undique colucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, aequae ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta, atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.

Atque hinc plane apparet in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quae ve-

rum legitimumque coelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei, et morum *infallibili* iudicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quae quidem viva, et *infallibilis* auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiae Caput, Principem et Pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus Cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis heredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia (1), ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur (2), et semper in suis successoribus vivit, et iudicium exercet (3), ac praestat quaerentibus fidei veritatem (4), idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana Beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra (5) fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas Sacerdotalis exorta (6), haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae re-

(1) S. Ambros. in Psal. 40.

(2) Concil. Chalced. Act. 2.

(3) Synod. Ephes. Act. 3.

(4) S. Petr. Chrysol. Epist. ad Eutich.

(5) Concil. Trid. Sess. VII. de Baptis.

(6) S. Cyprian. Epist. 55. ad Cornel. Pontif.

ligionis ac perfecta soliditas (1), in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus (2), ad quam propter potiozem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles (3), cum qua quicumque non colligit, spargit (4). Nos igitur, qui inscrutabili Dei iudicio in hac veritatis Cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes numquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi injuriam inferre non reformidant, qui caelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

Jam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus saeculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiae auctoritatem, ejusque leges acerrime oppugnare, et tum sacrae, tum civilis potestatis jura conculcare conantur. Huc spectant nefariae molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum. Huc clandestinae illae sectae e tenebris ad rei

(1) Litter. Synod. Joan. Constantinop. ad Hormisd. Pontif. et Sozom. Histor. Lib. 3. Cap. 8.

(2) S. August. Epist. 162.

(3) S. Irenaeus Lib. 3. contra haereses cap. 3.

(4) S. Hieronym. Epist. ad Damas. Pontif.

tum sacrae, tum publicae exitium et vastitatem emer-
sae, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus No-
stris iterato anathemate damnatae suis Apostolicis
Litteris (1), quas Nos Apostolicae Nostrae potesta-
tis plenitudine confirmamus, et diligentissime ser-
vari mandamus. Hoc volunt vaferrimae Biblicae So-
cietates, quae veterem haereticorum artem renovan-
tes, divinarum Scripturarum libros contra sanctissimas
Ecclesiae regulas vulgaribus quibusque linguis
translatos, ac perversis saepe explicationibus inter-
pretatos, maximo exemplarium numero, ingentique
expensa omnibus cujusque generis hominibus etiam
rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant,
ut divina traditione, Patrum doctrina, et catholicae
Ecclesiae auctoritate rejecta, omnes eloquia Domini
privato suo judicio interpretentur, eorumque sensum
pervertant, atque ita in maximos elabantur errores.
Quas Societates Suorum Decessorum exempla aenu-
lans recol. mem. Gregorius XVI, in cujus locum me-
ritis licet imparibus suffecti sumus, suis Apostolicis
Litteris reprobavit (2), et Nos pariter damnatas esse
volumus. Huc spectat horrendum, ac vel ipsi natu-
rali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet
religionis indifferentia systema, quo isti vetera-
tores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, ho-
nestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines
in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi

(1) Clemens XII Const. *In eminenti*, Bened. XIV Const. *Pro-
vidas*, Pius VII Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*, Leo XII Const.
Quo graviora.

(2) Gregor. XVI In Litteris Encyclicis ad omnes Episcopos,
quarum initium *Inter praecipuas machinationes*.

posse comminiscuntur, perinde ac si ulla umquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Behai. Huc spectat foedissima contra sacrum clericorum caelibatum conspiratio, quae a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriae dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur; huc perversa in philosophicis praesertim disciplinis docendi ratio, quae improvidam juventutem miserandum in modum deiecit, corrumpit, eique fel draconis in calice Babylonis propinat; huc infanda, ac vel ipsi naturali juri maxime adversa de *Communismo*, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur; huc tenebrosissimae eorum insidiae, qui in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinae specie humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt. Huc denique, ut cetera, quae Vobis apprime nota ac perspecta sunt, omittamus, teterrima tot undique volantium, et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciae et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes, animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta. Ex hac undique serpentium errorum coluvie, atque effrenata cogitandi, loquendi, scriben-

dique licentia mores in deterius prolapsi, sanctissima Christi spreta religio, divini cultus improbata majestas, hujus Apostolicae Sedis divexata potestas, Ecclesiae oppugnata atque in turpem servitatem redacta auctoritas, Episcoporum jura conculcata, matrimonii sanctitas violata, cujusque potestatis regimen labefactatum, ac tot alia tum christianae, tum civilis reipublicae damna, quae communibus lacrimis una Vobiscum flere cogimur, Venerabiles Fratres.

In tanta igitur religionis, rerum ac temporum vicissitudine de universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, pro Apostolici Nostri ministerii officio nihil certe inausum, nihilque intentatum relinquemus, quo cunctae christianae familiae bono totis viribus consulamus. Verum praeclaram quoque vestram pietatem, virtutem, prudentiam summpere in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut caelesti ope freti una Nobiscum Dei, Ejusque Sanctae Ecclesiae causam pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, impavide defendatis. Vobis acriter pugnandum esse intelligitis, cum minime ignoretis quibus quantisque intemerata Christi Jesu Sponsa vulneribus afficiatur, quantoque acerrimorum hostium impetu divexetur. Atque in primis optime noscitis, vestri muneris esse catholicam fidem episcopali robore tueri, defendere, ac summa cura vigilare, ut grex Vobis commissus in ea stabilis et inmotus persistat, *quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit* (1). In hanc igitur fidem tuen-

(1) Ex Symbolo *Quicumque*.

dam, atque servandam pro pastorali vestra sollicitudine diligenter incumbite, neque umquam desinite omnes in ea instruere, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, nihil umquam omnino dissimulantes ac ferentes, quod ejusdem fidei puritatem vel minimum violare posse videatur. Neque minori animi firmitate in omnibus fovete unionem cum Catholica Ecclesia, extra quam nulla est salus, et obedientiam erga hanc Petri Cathedralam, cui tamquam firmissimo fundamento tota sanctissimae nostrae religionis moles innititur. Pari vero constantia sanctissimas Ecclesiae leges custodiendas curate, quibus profecto virtus, religio, pietas summopere vigent et florent. Cum autem *magna sit pietas prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare* (1), illud observantes monemus, ut omni ope et opera multifformes inimicorum hominum insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fideli populo detegere, eumque a pestiferis libris diligenter avertere, atque assidue exhortari velitis, ut impiorum sectas, et societates fugiens tamquam a facie colubri, ea omnia studiosissime devitet, quae fidei, religionis, morumque integritati adversantur. Qua de re numquam omnino sit, ut cessetis praedicare Evangelium, quo christiana plebs magis in dies sanctissimis christianae legis praeceptionibus erudita crescat in scientia Dei, declinet a malo, et faciat bonum, atque ambulet in viis Domini. Et quoniam nostis Vos pro Christo legatione fungi, qui se mitem et humilem

(1) S. Leo Serm. VIII. cap. 4.

corde est professus, quique non venit vocare justos, sed peccatores, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus; quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis et justitiae semita aberrantes inveneritis, haud omittite eos in spiritu lenitatis et mansuetudinis paternis monitis, et consiliis corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, cum *saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas* (1). Illud etiam totis viribus praestare contendite, Venerabiles Fratres, ut fideles caritatem sectentur, pacem inquirant, et quae caritatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissensionibus, inimicitiiis, aemulationibus, simultatibus penitus extinctis, omnes se mutua caritate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimis sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Jesu Domino Nostro. Debitam erga Principes, et potestates obedientiam ac subjectionem christiano populo inculcare satagite, edocentes juxta Apostoli monitum (2) non esse potestatem nisi a Deo, eosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, atque idcirco praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine umquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur.

Verum cum *nihil sit, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum*

(1) Concil. Trident. Sess. XIII. Cap. 4. de Reformat.

(2) Ad Roman. XII. 1. 2.

vita et exemplum, qui se divino ministerio *dedicaverunt* (1), et cujusmodi sunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspicitis, Venerabiles Fratres, summa cura et studio Vobis esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitae integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum praescripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituaatur. Quapropter, veluti praeclare scitis, Vobis summopere cavendum, ne cuiquam, juxta Apostoli praeceptum, cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu, et sapientiae laude spectati, vestris dioecesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quae Clericis vetita, et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinae, *exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate* (2), cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianae religionis institutionem fingant, excitent, atque inflamment. *Melius enim profecto est, ut sapientissime monet immortalis memoriae Benedictus XIV Deceptor Noster, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos, atque utiles, quam plures qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri* (3). Neque vero ignoratis,

(1) Concil. Trid. Sess. XXII. Cap. 1. de Reform..

(2) Ad Timoth. 4. 12.

(3) Bened. XIV. in Epist. Encycl. ad omnes Episcopos cujus initium » *Ubi primum*.

majori diligentia Vobis in illorum praecipue mores, et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo continenter pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta, ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum Parochis officii sui ignaris, vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et Christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi, atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Ecclesiam facile invehiri. Ne autem Dei sermo, *qui vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti* (1) ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat, ejusdem divini verbi praeconibus inculcare, praecipere numquam desinite, Venerabiles Fratres, ut gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exercent, ut recte tractantes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes, sanctissimae nostrae religionis dogmata, praecepta juxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annuncient, peculiaris singulorum officia accurate explicant, omnesque a flagitiis deter-

(1) Ad Hebr. 4. V. 12.

reant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et caelestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastorali vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitate, ut serio cogitantes ministerium, quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant, domus Dei decorem summopere diligant, atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et Canonicas horas ex Ecclesiae praecepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare, et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.

Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiae ministros non nisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitae cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad litteras severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare Vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, sollertia, industria clericorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto (1) instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare, eaque optimis moderatoribus, et magistris instruere, ac intentissimo studio continenter ad-

(1) Concil. Trid. Sess. XXIII. Cap. 18 de Reform.

vigilare, ut inibi juniores clerici in timore Domini, et ecclesiastica disciplina sancte, religioseque educentur, et sacris potissimum scientiis juxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis, et Ecclesiae traditionibus, et sanctorum Patrum scriptis, sacrisque caeremoniis, ritibus sedulo, ac penitus excolantur, quo habere possitis navos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu praediti, ac studiis recte instituti valeant in tempore dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue proeliari proelia Domini. Porro cum Vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem, et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos mone-re, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo, exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia, et sanctitate. Neque Vos pigeat si in Cleri institutione et disciplina paulo diutius immorati sumus. Etenim minime ignoratis multos existere, qui errorum varietatem, inconstantiam, mutabilitatemque pertaesi, ac sanctissimam nostram religionem profitendi necessitatem sentientes, ad ipsius religionis doctrinam, praecepta, instituta eo facilius, Deo bene juvante, amplectenda colenda adducentur, quo majori Clerum pie-

tatis, integritatis, sapientiae laude, ac virtutum omnium exemplo, et splendore ceteris antecellere conspexerint.

Ceterum, Fratres Carissimi, non dubitamus, quin Vos omnes ardenti erga Deum et homines caritate incensi, summo in Ecclesiam amore inflammati, angelicis pene virtutibus instructi, episcopali fortitudine, prudentia muniti, uno eodemque sanctae voluntatis desiderio animati, Apostolorum vestigia sectantes, et Christum Jesum Pastorum omnium exemplar, pro quo legatione fungimini, imitantes, quemadmodum decet Episcopos, concordissimis studiis facti forma gregis ex animo, sanctitatis vestrae splendore clerum populumque fidelem illuminantes, atque induti viscera misericordiae, et condolentes iis, qui ignorant et errant, devias ac pereuntes oves evangelici Pastoris exemplo amanter quaerere, persequi, ac paterno affectu vestris humeris imponere, ad ovile reducere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus parcere unquam velitis, quo omnia pastoralis muneris officia religiosissime obire, ac omnes dilectas Nobis oves pretiosissimo Christi sanguine redemptas, et curae vestrae commissas a rapacium luporum rabie, impetu, insidiis defendere, easque ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et qua opere, qua verbo, qua exemplo ad aeternae salutis portum deducere valeatis. In majori igitur Dei et Ecclesiae gloria procuranda viriliter agite, Venerabiles Fratres, et omni alacritate, sollicitudine, vigilantia in hoc simul elaborate, ut omnibus erroribus penitus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, fides, religio, pietas, virtus majora in dies ubique incre-

menta suscipiant, cunctique fideles abjicientes opera tenebrarum, sicut filii lucis ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque inter maximas angustias, difficultates, pericula, quae a gravissimo episcopali vestro ministerio hisce praesertim temporibus abesse non possunt, nolite umquam terreri, sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis Ejus, *qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat* (1). Cum autem Nobis nihil gratius, nihil jucundius, nihil optabilius quam Vos omnes, quos diligimus in visceribus Christi Jesu, omni affectu, consilio, opera juvare, atque una Vobiscum in Dei gloriam et catholicam fidem tuendam, propagandam toto pectore incumbere, et animas salvas facere, pro quibus vitam ipsam, si opus fuerit, profundere parati sumus, venite, Fratres, obtestamur, et obsecramus, venite magno animo, magnaue fiducia ad hanc Beatissimi Apostolorum Principis Sedem, Catholicae unitatis centrum, atque Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus, ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, venite ad Nos quotiescumque Nostrae, et ejusdem Sedis auctoritatis ope, auxilio, praesidio Vos indigere noveritis.

In eam porro spem erigimur fore, ut Carissimi in Christo Filii Nostri Viri Principes pro eorum pietate, et religione in memoriam revocantes *regiam potestatem sibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam* (2), et Nos

(1) S. Cyprian. Epist. 77 ad Nemesianum et ceteros martyres.

(2) S. Leo Epist. 136 alias 123 ad Leonem Augustum.

cum Ecclesiae causam, tum eorum regni agere, et salutis, ut provinciarum suarum quieto jure potiantur (1), communibus nostris votis, consiliis, studiis sua ope et auctoritate faveant, atque ipsius Ecclesiae libertatem incolumitatemque defendant, ut *et Christi dextera eorum defendatur imperium* (2).

Quae omnia ut prospere, feliciterque ex sententia succedant, adeamus cum fiducia, Venerabiles Fratres, ad thronum gratiae, atque unanimes in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis enixis precibus sine intermissione obsecremus, ut per merita Unigeniti Filii Sui infirmitatem nostram omnium caelestium Charismatum copia cumulare dignetur, atque omnipotenti sua virtute expugnet impugnantes nos, et ubique augeat fidem, pietatem, devotionem, pacem, quo Ecclesia sua sancta, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, ac fiat unum ovile, et unus pastor. Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces nostras, et nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata, et spes fidissima ac maxima fiducia est, ejus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil praesentius. Invocemus quoque Apostolorum Principem, cui Christus ipse tradidit claves regni caelorum, quemque Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt, et Coa-

(1) S. Leo Epist. 43 alias 34 ad Theodosium Augustum.

(2) Idem ibid.

postolum ejus Paulum, atque omnes Sanctos coelites, qui jam coronati possident palmam, ut desideratam divinae propitiationis abundantiam universo christiano populo impetrent.

Denique coelestium omnium munerum auspicem, et potissimae Nostrae in Vos caritatis testem, accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et omnibus Clericis, Laicisque Fidelibus curae vestrae concreditae amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die IX Novembris Anno MDCCCXLVI Pontificatus Nostri Anno Primo.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBVS INDICITVR IUBILAEVM VNIVERSALE

AD IMPLORANDVM DIVINVM AVXILIVM

UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS PRAESENTES LITTERAS INSPECTURIS

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Arcano divinae Providentiae consilio ad Apostolicae Sedis fastigium nil tale merentes evecti, probe novimus in quantas inciderimus rerum ac temporum difficultates, ut divino subsidio maximopere indigeamus ad arcendas a dominico grege ubique latentes insidias, ad Catholicae Ecclesiae res pro Nostri muneris officio relevandas, componendas. Quapropter assiduis huc usque precibus non destitimus obsecrare Misericordiarum Patrem, ut infirmas Nostras vires sua virtute roborare, et lumine sapientiae suae mentem Nostram illustrare velit, quo commissum Nobis Apostolicum Ministerium rei Christianae universae bene ac feliciter eveniat, et compositis tandem fluctibus Ecclesiae navis a diuturna tempestatis jactatione conquiescat. Quoniam vero, quod commune bonum est, id communibus etiam votis postulandum, omnium Christifidelium excitare pietatem decrevimus, ut conjunctis Nobiscum precibus Omnipotentis dexteræ auxilium impensius imploremus. Atqui

exploratum illud est, gratiores Deo futuras hominum preces, si mundo corde, hoc est animis ab omni scelere integris ad ipsum accedant, idcirco sequuti etiam exemplum Praedecessorum Nostrorum, qui in Pontificatus primordiis idipsum praestiterunt, coelestes Indulgentiarum thesauros dispensationi Nostrae commissos Apostolica liberalitate Christifidelibus reserare constituimus, ut inde ad veram pietatem vehementius incensi, et per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati ad Thronum Dei fidentius accedant, ejusque misericordiam consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno.

Hoc Nos consilio Indulgentiam ad instar Jubilaei Orbi Catholico denunciamus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi ex illa ligandi ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis ac singulis utriusque sexus Christifidelibus, in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et Sanctae Mariae Majoris Basilicas, vel earum aliquam a secunda Dominica Adventus nimirum a die sexta Decembris inclusive, usque ad diem vicesimam septimam ejusdem mensis pariter inclusive, quae est dies festa Sancti Joannis Apostoli bis visitaverint intra tres illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac quarta, et sexta feria, et Sabbato unius ex dictis hebdomadibus jejunaverint, et intra easdem hebdomadas peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter susceperint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout uni-

cuique devotio suggeret, erogaverint, ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de illorum mandato, et ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae pervenerint, designandas, vel earum aliquam spatio trium similiter hebdomadarum per eosdem una cum Ecclesiis stabiliendarum bis visitaverint, aliaque recensita opera devote peregerint, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra, et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus atque indulgemus.

Concedimus etiam, ut navigantes, atque iter agentes quum primum ad sua se domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis, et his visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, vel propria Parochiali loci ipsorum domicilii, eandem Indulgentiam consequi possint et valeant. Regularibus vero personis utriusque sexus etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam saecularibus, vel regularibus in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu approbatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere possint cum facultate etiam dispensandi super Communionem cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint, pariter concedimus atque indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus Saecularibus, et Regularibus cujusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam Saecularem, quam Regularem ex actu approbati a locorum Ordinariis (qua facultate uti possint, etiam Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus), qui eos ab excommunicationis, suspensionis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis, vel inflictis praeter infra exceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeant; et insuper vota quaecumque etiam jurata, et Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agatur de praejudicio tertii semper exceptis, quatenus ea vota sint perfecta et absoluta, nec non poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refragnet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera dispensando commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Concedimus insuper facultatem dispensandi super irregularitate ex violatione Censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta, vel de facili deducenda. Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu, vel publica, vel occulta, aut nota, aliaque incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae, neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV Praedecessore Nostro « *Sacramentum Poenitentiae* » quoad inhabilitatem absolvendi complicem, et quoad obligationem denunciationis, neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel aliquo Praelato, seu Iudice Ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum trium hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum iudicio Confessarii satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentias Jubilaei, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium districte praecipimus, atque mandamus omnibus, et quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officia-

libus, vel ipsis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa, ubi primum pro temporum, ac locorum ratione satius in Domino censuerint per suas Ecclesias ac Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent, vel publicari faciant, populisque etiam Verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam, seu Ecclesias visitandas, ac tempus pro praesenti Jubileo designent.

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolventi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari possint, nec non regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, et Congregationum, sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quaevis expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in iis traditam pro servata

habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut praesentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, ubicumque locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XX mensis novembris anno MDCCCXLVI pontificatus Nostri anno primo.

A. CARD. LAMBRUSCHINI

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS

*Ad implorandum pro regno Hiberniae
Divinum Auxilium.*

VENERABILES FRATRES

SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Praedecessores Nostros Romanos Pontifices ad Christianas Gentes, quaecumque possent ratione iuvandas, diligentem omnem, sedulamque curam semper exhibuisse, plane scitis, Venerabiles Fratres, quibus Ecclesiae historia cognita, et explorata est. Neque ignoratis, salutare illud, pulcherrimumque studium, non spiritualia tantum erga Populum Christianum collata beneficia complexum esse, sed ad publicas etiam levandas calamitates conversum fuisse, quibus Gens aliqua Christiana quandoque percussa fuit. Hoc veterum (1), recentiorumque temporum monumenta, atque hoc nostra, patrumque nostrorum memoria

(1) Apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 4. c. 23. edit. Cantabrig., ubi agit de Dionysii Corinthiorum Episcopi epistola ad Soterem Rom. Pontificem, qua dicit *jam inde a religionis exordio solere Romanam Ecclesiam ad Christianos necessaria vitae subsidia transmittere; et hunc morem a Sotere Beato Episcopo adauctum esse.* Item apud eundem Eusebium H. E. lib. 7. c. 5., quo loco commemorat Dio-

confirmat. Quosnam vero decere magis poterat, vel debebat, paternam hanc ad christianos omnes erigendos, animi sollicitudinem praeseferre, praeter eos, quos fides catholica docet, *omnium christianorum Patres, ac Doctores existere* (1)? Ad quos autem magis congruum erat, calamitosas gentes confugere, quam ad illos, qui in summo Ecclesiae vertice constituti, *urgeri se Christi caritate*, diuturno temporum, ac factorum experimento comprobaverunt?

Praeclaro isto Praedecessorum Nostrorum exemplo, ac voluntatis Nostrae simul inclinatione commoti, ubi primum accepimus, Hiberniae regnum in per magna rei frumentariae inopia, atque in ceterarum rerum ad alimenta suppeditanda spectantium caritate versari; et gentem illam teterrima morborum colluvie, ex penuria ciborum contracta premi; omnem operam continuo dedimus, ut periclitanti eidem genti, quantum erat situm in Nobis, succurreremus. Itaque in hac Urbe Nostra publicas iccirco ad Deum preces fundendas indiximus, et Clerum, Populumque Romanum, reliquosque Romae commorantes ad opem Hiberniae ferendam hortati sumus. Quamobrem effectum est, ut partim pecunia a Nobis libenter tributa, partim ea, quae Romae collecta est, quantum horum temporum angustiae patiebantur, subsidium, ad Venerabiles Fratres Nostros Hiberniae Archiepi-

nysii Alexandrini Episcopi epistolam ad Stephanum I Pontificem, qui *ad Syriae provinciam cum Arabia, necessaria subsidia miserat.*

Est etiam s. Basilii epistola ad S. Damasum Papam, qua loquitur de subsidiis a S. Dionysio Pontifice ad Ecclesiam Caesarem missis. *Tom. III. op. edit. Maurinae ep. 70.*

(1) Conc. Florent. in definit. Fidei.

scopos mitti potuerit, quod illi, pro locorum, et ege-
 norum civium suorum conditione partirentur.

Verum tales ad Nos afferuntur hactenus ex Hi-
 bernia litterae, talia de memoratis superius calami-
 tatibus, in ea insula nunc quoque perdurantibus, im-
 mo etiam magis ingravescentibus, Nobis quotidie nun-
 tiantur, ut animum Nostrum incredibili dolore ea
 afficiant, Nosque iterum ad auxilium ei genti tribuen-
 dum vehementer impellant. Quid enim ad recrean-
 dam illam gentem, in tanto discrimine laborantem
 experiri non debemus, cum compertum habeamus
 quanta sit, semperque fuerit Hiberniae Cleri, et Po-
 puli erga Apostolicam Sedem observantia; quantum
 difficillimis quibusque temporibus, in Religionis Ca-
 tholicae professione, ejus gentis constantia claruerit;
 quantis laboribus Religionem Catholicam in remo-
 tissimis etiam orbis regionibus propagandam, Hiber-
 niae Clerus curaverit; quanto denique pietatis, ac
 religionis studio, apud Hibernicam Gentem, in per-
 sona humilitatis Nostrae, Divus Petrus *honoretur*,
 atque *intelligatur*, *cujus dignitas*, ut Leonis Magni
 verbis utamur, *in indigno herede non deficit* (1).

Itaque, tam gravi re accurate perpensa, et non-
 nullorum etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum
 S. R. E. Cardinalium, de hoc consilio ineundo pro-
 bata sententia; hanc ad vos, Venerabiles Fratres,
 epistolam scribendam esse statuimus, ut una vobi-
 scum, Hiberniae Gentis necessitati prospiciamus.

Scilicet Vobis omnibus Auctores sumus, ut in
 dioecesibus, seu regionibus jurisdictioni vestrae sub-

(1) Serm. 2. de Anniv. Assumpt. suae.

jectis , prout in Urbe Roma pridem peractum est , tribus diebus preces publicas, in templis, aliisque sacris locis faciendas indicatis , quibus Deus misericordiarum Pater exoratus, Hiberniae gentem a tanta calamitate liberet, et tale, tantumque infortunium a ceteris etiam Europae regnis, regionibusque propulset. Atque ut id alacrius, et utilius contingat, Nos indulgentiam septem annorum iis concedimus , qui qualibet vice precibus illis interfuerint, iis vero, qui toto triduo, earundem precum recitationi intererint, et sub tridui hebdomadam, sacramento poenitentiae expiati, SSimum Eucharistiae sacramentum susceperint, Indulgentiam Plenariam Apostolica auctoritate largimur.

Quamquam illud etiam plurimum caritati vestrae, Venerabiles Fratres, commendamus, hoc est, ut hortationibus vestris, populum vestrae jurisdictioni subditum, ad Hibernorum gentem eleemosynarum largitionibus sublevandam excitetis. Scimus quidem non indigere vos , ut eleemosynae virtutem , uberesque fructus , qui ex illa ad Dei Opt. Max. clementiam impetrandam proficiscuntur, vobis significemus. Habetis a sanctissimis Ecclesiae Patribus , et praesertim a S. Leone Magno in plurimis ejus sermonibus (1), docte, sapienterque traditas eleemosynae laudes. Est etiam vobis in promptu praeclara a S. Cypriano Martyre , Carthaginensi Episcopo ad Numidiae Episcopos scripta epistola (2) , quae perspicuum continet

(1) De jejunio decimi mensis, et eleemosynis.

(2) Edit. Balutii N. 60. , qua epistola S. Cyprianus agens de pecuniis Carthagine collectis, et ad redimendos Christianos ad Episcopos Numidiae missis, ait: « Misimus autem sextertia centum mil-

testimonium studii singularis, quo populus, ejus pastorali curae commissus, christianis auxilii indigentibus, eleemosynarum copiosa largitione subvenit. Potestis praeterea S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi verba recordari (1), videlicet; « pulchritudinem divitiarum, non in saeculis divitum, sed in alimentis pauperum esse; in illis infirmis, et egenis melius opes lucere: discere debere Christianos, penuriosis, non sua, sed ea, quae sunt Christi querere, ut illos et Christus requirat ». His, aliisque pro vestra benignitate commemoratis, speramus certe futurum, ut pauperibus, de quibus agimus, permagno adjumento esse valeatis.

Possemus quidem hic finem scribendi facere. Sed cum voluntati Nostrae obsecundantes, publicas preces, Venerabiles Fratres, indicturi sitis, nolumus illud omittere, quod Nos, dies, noctesque admonet *instantia Nostra quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum* (2). Versatur, scilicet, Nobis ante oculos, quanta jamdiu contra Ecclesiam universam excitata sit, atrox, et saeva tempestas; terret animum recordari *quanta sit malignatus inimicus in sancto* (3), et quam improba nunc sit *machinatio adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (4). Quare hoc etiam potissimum Vobis commendamus, ut, suscepta publica-

» lia nummorum, quae isthic in Ecclesia, cui de Domini indulgentia praesumus, cleri, et plebis apud nos consistentis collatione collecta sunt, quae vos illic pro vestra diligentia dispensabitis ».

(1) In epist. 2. ad Constantium Episcopum, tom. II. op.^oedit. Maurinae Parisiensis an. 1690.

(2) 2. Cor. II. 28.

(3) Ps. 73. 3.

(4) Ps. 3. 2.

rum precum pro Hibernia indicendarum occasione ,
ad exorandum simul pro Ecclesia universa Deum ,
concreditum regimini vestro populum adducatis.

Interea Vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam
Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem
die XXV Martii Anno MDCCCXLVII. Pontificatus
Nostri Anno Primo.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XI IVNI

ANNO MDCCCXLVII.

VENERABILES FRATRES

Cum, veluti probe noscitis, Venerabiles Fratres, in Consistorio Secreto habito die 21 decembris proximo superiori anno duo S. R. E. Cardinales a Nobis fuerint creati, atque in pectore reservati, unum ex illis hodierno die evulgandum esse statuimus. Is est Dilectus Filius Noster Josephus Bofondi Romanae Rotae Decanus, quem diu multumque in judiciis caste integreque versatum, aliisque muneribus splendide perfunctum, ac pietate non minus, quam doctrina, et sacri potissimum civilisque juris scientia, rerumque gerendarum peritia omnibus probatum, amplissimo Collegio vestro jam adscriptum fuisse, hodieque a Nobis manifestari certe gaudetis. Et quoniam summopere decet egregios ecclesiasticos viros tum in vinea Domini excolenda, tum in gravissimis civilis Nostri et hujus Apostolicae Sedis Principatus muneribus obeundis strenue laborantes, amplioribus praemiis augeri, idcirco ad majorem omnipotentis Dei gloriam et Romanae Ecclesiae decus, atque utilitatem tres alios Sacra Purpura decorandos hoc ipso die existimavimus. Horum alter est Venerabilis Frater Petrus Giraud Archiepiscopus Cameracensis, vir praestanti ingenio, pietate, atque explorata in hanc Petri Cathedram fide, qui vel ab ipsa ineunte aetate

sacro ministerio addictus, ac sanctissimis disciplinis excultus in animarum salute procuranda, ac verbo Dei evangelizando omnem operam multa cum laude semper impendit. Hinc positus super candelabrum, ut omnibus luceret in Domo Domini Ruthenensem Ecclesiam, ad cujus regimen evectus, suis virtutibus illustravit, sacerdotii decus auxit, et episcopalis ministerii partes singulari diligentia, vigilantia, humanitate, caritate implere summopere studuit. Postea Cameracensis Antistes renunciatus, nullum est pastoralis sollicitudinis genus, quod a prima Ecclesia in alteram ipse non transtulerit, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus sibi unquam parcendum duxit, quo sui gregis bono, et Cleri disciplinae, institutioni consuleret, atque catholicae religionis jura tanta fortitudine, prudentia, suavitate semper propugnavit, ut omnium bonorum amorem, existimationemque sibi comparaverit. Alter vero est Venerabilis Frater Jacobus Maria Antonius Caelestinus Dupont, qui ab Avenionensi in Bituricensem Ecclesiam translatus, eximiis quoque dotibus, ac singulari praesertim probitate, religione spectatus, rebusque optimis institutus, et huic Apostolicae Sedi ex animo adhaerens propria sacri Pastoris munia pie seduloque exercens, catholicae Ecclesiae causam episcopali zelo tueri contendit.

In his Galliae Antistitibus ornandis Carissimi in Christo Filii Nostri Ludovici Philippi Francorum Regis Christianissimi votis obsecundare vehementer gaudemus, qui illos Nobis maximopere commendavit, suisque ad Nos Litteris certiores fecit hanc rem sibi acceptissimam fore, ut quisque intelligat quo loco

ejusdem praestantissimi Regis studia habeamus, et quantopere ipsi gratificari cupiamus. Atque opportunam etiam occasionem Nobis oblatam esse vel maxime laetamur, ut VV. Fratribus illius inclytæ, Nobisque dilectæ nationis Episcopis, e quorum numero ii sunt ad hunc honorem delecti, studiosissimæ Nostræ voluntatis testimonium palam publiceque dare possimus. Nihil enim Nobis potius, nihil optabilius, quam ut Galliae Antistites arctiori usque vinculo Nobis, et huic Apostolicæ Sedi devinciamus, quo ipsi alacriori animo pergant, ut faciunt, veluti strenui milites Christi Jesu omni episcopali constantia, prudentia, patientia catholice Ecclesiæ doctrinam, jura, libertatem impavide defendere, bonumque certare certamen. Nos quidem pro supremi Nostri Apostolatus officio de universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa magnopere solliciti, dum omnibus inculcare non omitemus, ut reddant Caesari quæ sunt Caesaris, numquam cessabimus apostolica libertate Nostram attollere vocem, ut omnes reddant Deo quæ sunt Dei.

Jam vero pro certo habemus, Vos omni plausu alium esse excepturos, quem vestro Ordini pariter adjicere constituimus. Is est Dilectus Filius Jacobus Antonelli, qui ingenio, integritate, virtute, religione illustris, postquam multa, et gravia munera naviter scienterque obivit, Pontificii Nostri Aerarii Praefecturam sustinuit. Quo quidem in munere exercendo incorruptam hominis fidem, indefessum laborem, atque eximiam sollertiam, industriam, et in pertractandis negotiis prudentiam ita experti sumus, ut in eo exornando non jam muneris, quo fungebatur, amplitu-

dinem prae oculis habuerimus, sed praeclara ipsius viri merita, quibus praecipuam Nostram benevolentiam atque fiduciam sibi merito conciliavit. Etenim majori vestri Ordinis decori, splendorique prospicere exoptantes, atque ea exsequi omnino volentes, quae pro rei magnitudine Tridentina praesertim Synodus gravissimis verbis, atque sententiis de Episcoporum ac S. R. E. Cardinalium electione provide sapienterque statuit (Sess. XXIV. Cap. I. de Reformat.) in animo fixum destinatumque habemus illis excellentibus viris ecclesiasticas dignitates, et Sacram Purpuram deferre, qui non muneris, quod obtinent, gradu et ratione commendati, sed pietatis, integritatis, doctrinae omniumque virtutum laude fulgentes de catholica Ecclesia deque hac Apostolica Sede recte factorum gloria, diuturnisque laboribus optime mereri studuerint.

Denique non dubitamus, quin Vobis gratissimum sit accipere, Nos matura cum nonnullis e vestro Ordine consultatione adhibita, ad majorem Pontificiae Nostrae Ditionis populorum prosperitatem promovendam, atque ad res utiliori ratione expediendas, jam instituisse Administrorum Consilium, in quo collatis studiis atque sententiis gravioris praesertim momenti negotia ad Nos deinde referenda, Nostraque definienda auctoritate, expendantur, quemadmodum ex Decreto a Nobis Motu-proprio edendo, et quamprimum typis vulgando omnes clare aperteque cognoscent.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei , Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus S. R. E. Diaconum Cardinalem

Josephum Bofondi Romanae Rotae Decanum.

Insuper creamus et declaramus S.R.E. Cardinales

Presbyteros scilicet

Petrum Giraud Archiepiscopum Cameracensem

Jacobum Mariam Antonium Coelestinum Dupont Archiepiscopum Bituricensem.

Diaconum vero

Jacobum Antonelli Pontificii Nostri Aerarii Praefectum.

Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis et opportunis.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE EQVESTRIS ORDINIS PIANI CONSTITVTIONE

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quorum sapientiam non latuit quot uberes lectosque fructus incitamenta honoris producere soleant, non dedecere Apostolicum ministerium visum est certa laudis insignia rebus praeclare gestis tribuere, quo magis hominum animi ad optimas quasque disciplinas, et omnigenas virtutes excolendas inflammarentur. Itaque quoniam Nobis ad Summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, euectis non solum aeternam animarum salutem, verum etiam temporalem populi regimini Nostro commissi felicitatem exquirere incumbit; ita ad tantum tamque sublimem finem consequendum eorundem Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, praesertim vero fel. rec. Pii IV, qui Equitum Ordinem instituens eos a suo nomine *Pianos* voluit appellare, ac pluribus nobilitatis titulis augere, nova et Nos honoris insignia decernenda statuimus, per quae adeo in civili societate praefulgeant ii quibus fuerint collata, ut aliis non modo exemplo, sed stimulo quoque ad egregia facinora obeunda, et ad bene de Apostolica Sede merendum esse possint. Maximae porro amoris significationes ab ipso Nostri Pontificatus exordio Nobis oblatae, et eximii

indicia obsequii Supremae B. Petri Cathedrae in persona Nostrae humilitatis exhibita Nos certam in spem adducunt fore ut, benedicente Domino consilium Nostrum, ea quae nunc edere decrevimus, iis ad quos praecipue spectant grato animo respondentibus, felicem sortiantur effectum. Quapropter hisce Nostris Apostolicis Litteris Equestrem Ordinem creamus et constituimus, qui renovando praedictam illam denominationem a memorato Praedecessore Nostro Pio IV olim inductam, *Ordo Pianus* a Nostro item nomine nuncupabitur; qua quidem denominatione cum plurimum ea de re votis annuere voluimus, tum id potissime propositum habuimus, ut Nostram peculiarius quoque benevolentiam viris praestantibus in Ordinem ipsum adlegendis testaremur. Ordo in duos dividetur gradus, quorum alter Equitibus primae classis, alter Equitibus secundae classis constabit. Qui in primam classem fuerint cooptati privilegio nobilitatis in filios quoque transmittendae poterunt: secundae classis insigne nobilitatis titulo personam tantummodo afficiet. Proprium Ordinis insigne ex auro stellae instar superficiem habebit in octo radios caeruleos divisam, referentem in medio parvum numisma album in quo scriptum sit aureis litteris PIVS IX: circulus aureus numisma claudet, in eoque caeruleis litteris inscripta sit epigraphe VIRTUTI ET MERITO: » in parte numismatis aversa scriptum erit ANNO MDCCCXLVII ». Primae classis Equites insigne ipsum gestabunt ita ut e taenia collo inserta dependeat; taenia autem erit serica caerulea, duplici linea rubra extremis oris distincta. Equites secundae classis idem insigne, minoris tamen moduli, eadem ex tae-

nia pendens sinistro pectoris latere, juxta communem Equitum morem deferent. Praeterea Equites propriam habebunt vestem caeruleo colore, rubris oris, aureis ornamentis decoratam: quae quidem ornamenta pro vario Equitum ipsorum gradu different; majora scilicet pro prima classe, minora vero pro secunda erunt, juxta schema cujusque classis proprium. Poterunt etiam primae classis Equites privilegium adipisci gestandi latere pectoris sinistro magnum numisma argenteum insigni simile: declaramus tamen nulli ex Equitibus licere eodem privilegio uti nisi peculiaris et expressa facultas facta sit. Reservamus autem Nobis Romanisque Pontificibus Successoribus Nostris jus eligendi Equites, itemque concedendi Equitibus primae classis memorati argentei numismatis usum. Ceterum cum hujusmodi Ordo non ad vanitatem, ambitionemque fovendam, sed ad praemia virtutibus meritisque praestantibus retribuenda unice spectet, plene confidimus illos, qui hisce insignibus fuerint decorati, Pontificiae erga eos voluntati, communique bonorum suffragio cumulatius in dies responsuros, splendoremque Ordinis, in quem relati fuerint amplificaturos. Haec statuimus ac declaramus, non obstantibus in contrarium facientibus etiam speciali mentione dignis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die XVII Iunii MDCCCXLVII, Pontificatus Nostri Anno Primo.

ALOISIVS CARD. LAMBRVSCINI

A BREVIIVS APOSTOLIGIS.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES SVPREMOS MODERATORES
 ABBATES PROVINCIALES ALIOSQVE SVPERIORES
 REGVLARIVM ORDINVM.

DILECTI FILII RELIGIOSI VIRI, SALVTEM ET APOSTOLICAM
 BENEDICTIONEM.

Ubi primum arcano divinae providentiae consilio ad totius Ecclesiae regimen evecti fuimus, inter praecipuas Apostolici Nostri ministerii curas et sollicitudines nihil Nobis potius fuit, quam Religiosas vestras Familias singulari paternae Nostrae caritatis affectu complecti, omnibusque studiis prosequi, tueri, defendere, ac majori earum bono et splendori totis viribus consulere atque prospicere. Ipsae enim ad majorem omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem procurandam a sanctissimis viris divino afflante Spiritu institutae, atque ab hac Apostolica Sede confirmatae, multiplici earum forma pulcherrimam illam varietatem efficiunt, quae mirifice circumdat Ecclesiam, ac lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quae maximo tum christianae, tum civili reipublicae usui ornamento atque praesidio semper fuerunt. Siquidem earum alumni singulari Dei beneficio ad evangelicae sapientiae consilia profitenda vocati, atque omnia detrimentum esse existimantes propter eminentem scientiam Christi Iesu, animo excelso et invict oterrestria cuncta despi-

cientes, et coelestia unice spectantes, iis egregiis operibus insistere, gloriosisque laboribus perfungi semper visi sunt, quibus de catholica Ecclesia, deque civili societate optime meruerunt. Nemo certe ignorat, vel ignorare potest, Religiosas Familias vel a prima earum institutione innumeris paene claruisse viris, qui omnigenae doctrinae atque eruditionis copia insignes, omnium virtutum ornatu, et sanctitatis gloria fulgentes, amplissimis quoque Dignitatibus illustres, atque ardenti in Deum et homines amore flagrantes, et spectaculum facti mundo, Angelis, et hominibus, nihil aliud in deliciis habuere, quam omni cura studio contentione in divinarum rerum meditatione dies noctesque haerere, mortificationem Iesu in suo corpore circumferre, catholicam fidem ac doctrinam a solis ortu usque ad occasum propagare, ac pro ea fortiter pugnare, et cuiusque generis acerbitates, tormenta, supplicia alacriter perpeti, ac vitam ipsam profundere, rudes barbarosque populos ab errorum tenebris, morum feritate, vitiorum coeno ad evangelicae veritatis lucem, omnemque virtutis, et civilis societatis cultum traducere, litteras, disciplinas, artes excolere tueri, atque ab interitu vindicare, teneras juvenum mentes et cerea corda ad pietatem et honestatem mature fingere, sanisque doctrinis imbuere, errantes ad salutis tramitem revocare. Neque id satis, namque induti viscera misericordiae nullum est heroicae caritatis genus, quod cum propriae etiam vitae discrimine ipsi non exercuerint, ut captivis, carcere inclusis, aegrotantibus, morientibus, cunctisque miseris, egenis, calamitosis opportuna quaeque christianae beneficen-

tiae, et providentiae subsidia amanter praebere, eorumque dolorem lenire, lacrimas detergere, ac necessitatibus omni ope et opera consulere possent.

Hinc porro evenit, ut Ecclesiae Patres ac Doctores merito atque optimo jure evangelicae perfectionis cultores summis laudibus exornarint, et contra illorum oppugnatores acerrime decertarint, qui sacra haec Instituta tamquam inutilia et societatis exitialia esse temere denunciant. Romani vero Pontifices Decessores Nostri ipsos Regulares Ordines benevolo semper affectu prosequentes, Apostolicae auctoritatis patrocinio illos tegere, tutari, atque amplioribus privilegiis, honoribus decorare numquam omiserunt, probe noscentes quae quantaque bona et commoda ex ipsis Ordinibus in universam christianam rempublicam omni tempore redundarint. Atque iidem Praedecessores Nostri de hac potiore Domini agri parte tantopere solliciti fuere, ut, vix noverunt inimicum hominem clanculum superseminare zizania in medio tritici, vulpesque parvulas demoliri florentes palmites, nulla interposita mora curam omnem contulerint ad radicibus evellendum destruendumque quidquid uberrimos ac lactissimos jacti boni seminis fructus posset impedire. Hac sane de causa rec. mē. Clemens praesertim VIII, Urbanus pariter VIII, Innocentius X, Alexander VII, Clemens IX, Innocentius XI, itemque Innocentius XII, Clemens XI, Pius VII, Leo XII Decessores Nostri tum saluberrimis initis consiliis, tum sapientissimis editis Decretis, et Constitutionibus omnes Pontificiae vigilantiae et providentiae nervos intendere haud intermiserunt ad mala penitus amovenda, quae tristissimis

rerum ac temporum vicibus in Religiosas Familias irrepserant, atque ad regularem in illis disciplinam vel tuendam vel instaurandam.

Nos itaque pro summa, qua Ordines ipsos caritate prosequimur, illustria Decessorum Nostrorum exempla aemulantes, ac sapientissimis Tridentinorum praesertim Patrum sanctionibus inhaerentes (Sess. XXV de Regular. et Monial.), pro supremi Nostri Apostolatus officio, curas cogitationesque Nostras toto cordis affectu ad vestras Religiosas Familias eo sane consilio convertere constituimus, ut si quid in ipsis infirmum sit consolidemus, si quid aegrotum sanemus, si quid confractum alligemus, si quid perditum reducamus, si quid abjectum erigamus, quo morum integritas, vitae sanctitas, regularis disciplinae observantia, litterae, scientiae praesertim sacrae ac propriae cujusque Ordinis leges ubique reviviscant, ac magis in dies vigeant et floeant. Etsi enim vehementer in Domino laetamur, multos Sacrarum Familiarum existere Alumnos, qui sanctissimae vocationis memores, ac virtutum omnium exemplo et doctrinarum copia praestantes illustria Patrum suorum vestigia persequi, in ministerio salutis laborare, bonumque Christi odorem undique diffundere summo opere student, tamen dolemus nonnullos reperiri, qui eorum professionis ac dignitatis obliti a suscepto instituto ita declinarunt, ut, non sine maximo ipsorum Ordinum et Fidelium damno, speciem tantum habitumque pietatis praeferant, ac professi instituti sanctitatem nomen vestemque vita et moribus refellant.

Has igitur ad Vos, Dilecti Filii, qui eorundem Ordinum Moderatores estis, Litteras damus studiosissimae Nostrae erga Vos, vestrosque Religiosos Ordines voluntatis nuncias, quibus consilium a Nobis de regulari disciplina instauranda susceptum significamus. Quod quidem consilium eo omnino contendit, ut, Deo bene juvante, illa omnia statuere, et perficere valeamus, quae ad cujusque Religiosae Familiae incolumitatem prosperitatemque tuendam, comparandam, ad populorum utilitatem procurandam, atque ad divinum cultum amplificandum, Deique gloriam promovendam magis magisque possint conducere. Etenim in vestrorum Ordinum disciplina instauranda eo potissimum Nostra studia et desideria spectant, ut ex ipsis Ordinibus navos atque industrios operarios pietate non minus quam sapientia pollentes, hominesque Dei perfectos, et ad omne opus bonum instructos habere possimus, quorum operam in vinea Domini excolenda, in catholica fide penes infideles praesertim populos propaganda, in gravissimis Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis negotiis pertractandis adhibere valeamus. Ut autem tanti momenti negotium religioni, atque ipsis Regularibus Ordinibus, quod est maxime in votis, prospere feliciterque eveniat, atque optatum exitum obtineat, vestigiis Praedecessorum Nostrorum insistentes, peculiarem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituimus, quam *de Statu Regularium Ordinum* nominavimus, quo ipsi VV. FF. NN. pro singulari eorum sapientia, prudentia, consilio, rerumque gerendarum usu et peritia adjutricem Nobis manum in tanto opere praebeant.

At Vos quoque, Dilecti Filii, in ejusdem operis consortium advocamus, ac vehementer in Domino monemus, hortamur, obsecramus, ut Nostris hisce curis studiisque omni alacritate adlaborare velitis, quo vester Ordo pristina dignitate et splendore refulgeat. Itaque pro loco quem tenetis, pro munere quo insigniti estis, nihil intentatum relinquit, ut Religiosi Viri Vobis subjecti serio meditantibus vocationem, qua vocati sunt, digne ambulent in ea, et vota quae Deo semel voverunt, religiosissime semper reddere studeant. Omni vero vigilantia prospicite, ut ipsi insignia Majorum suorum vestigia sectantes, sanctamque disciplinam custodientes, mundique illecebris, spectaculis, negotiis quibus se abdicarunt omnino adversantes, sine intermissione precationi, rerum coelestium commentationi, doctrinae, lectioni instent, in animarum salutem ex proprii Ordinis instituto incumbant, et mortificati carne, vivificati autem spiritu, seipsos Populo Dei exhibeant modestos, humiles, sobrios, benignos, patientes, justos, integritate, castitate irreprehensibiles, caritate ferventes, sapientia honorabiles, ne cuiquam sint offensionis, sed omnibus praebeant exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de ipsis. Etenim probe noscitis qua vitae sanctitate, et virtutum omnium ornata illi praelucere omnino debeant, qui omnibus rerum humanarum blandimentis, voluptatibus, fallaciis, vanitatibus penitus abjectis, uni se Deo Deique cultui adhaerere polliciti ac professi sunt, ut christiana plebs in eos tamquam in nitidissimum speculum intuens, ea pietatis, religionis,

et cujusque virtutis documenta ab ipsis excipiat, quibus feliciore pede percurrat semitas Domini. Cum autem ex diligenti tironum admissione, atque optima illorum institutione totius cujusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, Vos summopere hortamur, ut eorum, qui Religiosae vestrae Familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noveritis illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura industria incumbite, ut tirocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie sancteque ab optimis Magistris educantur, et ad omnem virtutem, atque ad initium regularis vitae institutum quam optime informantur. Et quoniam praecipua atque illustris Regularium Ordinum laus semper fuit litterarum studia excolere fovere, ac tot eruditis doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrare, idcirco Vos summopere excitamus moneamus, ut juxta vestri Ordinis leges maxima cura solertia rectam studiorum rationem promovere, et omnia conari velitis, ut Religiosi vestri Alumni in humaniores litteras, ac severiores disciplinas praesertim sacras addiscendas constanter incumbant, quo ipsi optimis sanisque doctrinis apprime exculti, et, proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose sapienterque obire valeant. Jam vero cum summopere optemus, ut omnes qui militant in castris Do-

mini unanimes uno ore honorificent Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ac perfecti in eodem sensu atque sententia solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, a Vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arcissimo concordiae et caritatis foedere, summaque animorum consensione VV. FF. Episcopis, et saeculari Clero conjuncti nihil antiquius habeatis, quam in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi consociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper charismata meliora. Cum enim *una sit Regularium et Saecularium Praelatorum, et Subditorum exemptorum, et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, et unum Baptisma; decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti* (Clem. unic. de exces. Praelat.).

Haec sunt, Dilecti Filii, quae Vobis significanda, et monenda censuimus hac Nostra Epistola, ut plane intelligatis quanta Vos, vestrasque Religiosas Familias benevolentia prosequamur, quantoque studio earumdem familiarum rationibus, utilitatibus, dignitati et splendori providere velimus. Non dubitamus autem, quin Vos pro eximia vestra religione, pietate, virtute, prudentia, ac summo vestri Ordinis amore Nostris desideriis, curis, consiliis cumulatissime respondere gloriemini. Hac igitur fiducia et spe freti propensissimae Nostrae in Vos, cunctosque vestros Religiosos Sodales voluntatis et caritatis testem, ac coelestium omnium munerum auspiciem Apostolicam

54

Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Dilecti Filii Religiosi Viri, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die XVII Junii Anno MDCCCXLVII Pontificatus Nostri Anno Primo.

PIVS PAPA IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum hisce Litteris ad Te mittimus, Venerabilis Frater, encyclicam Nostram Epistolam ad omnes Regularium Ordinum Moderatores datam, ex qua profecto intelliges, quanta Nos benevolentia Ordines ipsos de christiana et civili republica tot sane nominibus optime meritos prosequamur, et quanta paterni animi Nostri sollicitudine illorum disciplinae, utilitati, decori, splendori pro Apostolici Nostri ministerii officio consulere cupiamus atque velimus. Et quoniam in tanti momenti negotio illustribus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, peculiarem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituimus, quam *de Statu Regularium Ordinum* nominavimus, idcirco tuum erit, pro tua pietate et prudentia eidem Congregationi ea omnia significare, quae ad optatum exitum obtinendum magis in Domino expedire censueris. Jam vero optime noscis, Venerabilis Frater, quantopere ad totius catholicae Ecclesiae bonum intersit, omnes in sortem Domini vocatos mutuam in primis qua opere, qua verbo, qua exemplo praeserferre caritatem, et concordissimis animis, studiis, consiliis in majorem Dei gloriam, et animarum salutem procurandam incumbere. Itaque a tua religione, et pastorali zelo expectamus, ut, quantum in Te est, omni cura et industria optatissimam inter Clericū Saecularem, et Regularem con-

cordiam magis in dies fovere tueri summopere studeas. Ac pro certo habentes, Te Nostris desideriis et curis quam cumulatissime esse responsurum, hac occasione libentissime utimur, ut praecipuam, qua Te complectimur, benevolentiam iterum testemur et confirmemus. Cujus quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et omnibus quibus praees Clericis Laicisque Fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die XVII Junii Anno MDCCCXLVII Pontificatus Nostri Anno Primo.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CUBICULARIIS SECRETIS ET HONORARIIS IN EQVESTREM
ORDINEM PIANVM ADLEGENDIS.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Apostolico moderamini convenit, et rationi valde consonum est, ut Romani Pontifices erga illos, qui non solum honestate morum, religionis studio, et optimarum disciplinarum scientia commendantur, verum etiam per devota familiaritatis obsequia specialem ipsorum gratiam promerentur, munificos et benevolos sese praebeant. Quapropter Cubicularios Nostros laicos tum secretos tum honorarios, qui assiduum gratumque famulatum Nobis exhibent, quique nedum nobilitate generis, sed et laudabilibus virtutum meritis praefulgent, ampliori favore et peculiari Pontificiae dilectionis indicio prosequi volentes hisce Nostris Apostolicis Litteris decernimus, ut qui inter eos per diuturnius temporis spatium, Nostro Successorumque Nostrorum arbitrio aestimandum, suo nitide officio perfuncti sint, in alterutram, prout Nobis Nostrisque Successoribus visum fuerit, classem Equestris Ordinis Piani, nuperrime a Nobis similibus Nostris Litteris die XVII Junii anno MDCCCXLVII datis instituti, referantur. Edicimus insuper ac declaramus, Nostram hanc erga praefatos Cubicularios concessionem aequali modo ad eos etiam pertinere atque

extendi, qui Cubiculariis Secretis in Nostro Apostolico Palatio gradu pares esse censentur. Hoc autem Nostrae benevolentiae testimonium eos omnes, ad quos respicit, grato animo suscepturos pro certo habemus, proindeque de Apostolica Sede ac Nobis eosdem optime merituos plene speramus. Haec statuimus ac declaramus, non obstantibus in contrarium facientibus etiam speciali mentione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die XXI Junii MDCCCXLVII Pontificatus Nostri Anno Secundo.

ALOISIVS CARD. LAMBRVCHINI

A BREVIBUS APOSTOLICIS.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE PATRIARCHATV HIEROSOLYMITANO

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Nulla celebrior religioso cultu civitas, nulla clario-
ribus observantiae significationibus a Christianis fre-
quentata regio, quam urbs Hierusalem, et Palaestina
fuit. Cum enim ea urbs ubique contineat rerum a
Domino Nostro Jesu Christo gestarum praeclara mo-
numenta, et sanctissima virtutum exempla aspectu
suo quodammodo referat, quibus illam praecipue ci-
vitatem Divinus humani generis Redemptor nobili-
tavit; fieri idcirco non potuit, ut vel ab ipso Eccle-
siae exordio in permagno semper apud Christianos
honore ea civitas non haberetur. Est vero illud ad
Hierosolymitanae urbis praestantiam singulare, ac
potissimum, in ea urbe sepulcrum illud gloriosum
reperiri, in quo post mortem suam Salvator Noster
triduo delituit, et ex quo tertia die, de morte. miro
prodigio triumphans virtute sua surrexit, ac religio-
nis a se institutae divinitatem confirmavit. Praete-
rimus, in ea maxime urbe Religionis sublimia my-
steria, et sobrie, juste, ac pie gerendae a Christianis
vitae praecepta tradita, et praedicata a Christo fuisse;
ibi Spiritum Sanctum in Apostolos delapsum esse;
Beatissimam Virginem in ea cum Apostolis diu mo-
ratam fuisse; primum ibi Apostolorum Concilium esse

celebratum; Sanctum Petrum ab Herode comprehensum divina virtute ibi esse liberatum. Omittimus cetera, quorum plena est Evangelica, et Actorum Apostolorum historia, quaeque ostendunt, vix ullum civitatis Hierusalem, aut Palaestinae locum esse, qui cum vitae, mortis, resurrectionis, atque ascensionis Christi historia non sit conjunctus, aut prodigia ab ipso patrata, vel insigne aliquod, saluberrimumque Christi factum non recordetur. Haec Christianum populum qualibet aetate ad illa loca veneranda, et colenda excitaverunt, atque haec tanta Christianorum erga Palaestinam, ac Domini praesertim sepulcrum pietas illos adeo commovit, ut cum in barbarorum potestatem ea loca incidissent ab Europeis Principibus bella diu gravissima gesta, et renovata fuerint, ad ea scilicet loca recuperanda, atque ad fideles a gravissimis calamitatibus, atque injustissima, qua inibi premebantur, servitute liberandos. Sed ista tamen, quae hucusque memoravimus, eo tantummodo referuntur, quod probant quam justa de causa acciderit, ut urbs Hierusalem, et Palaestina regio, vetusta qualibet, ac recentiori aetate, Christiani populi venerationem sibi compararint. Verum quod ad Ecclesiasticam pertinet Hierarchiam, nihil adeo est in historia ecclesiastica cognitum, quam permagno semper in honore Episcopi Hierosolymitani Sedem, dignitatemque fuisse. Nam ut vetustiora praetereamus, certum est vel ab ipso Concilio generali Nicaeno I Anno CCCXXV habito Canone VII decretum esse « quia consuetudo antiqua obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae (Hierusalem) Episcopus honoretur, habere illum debere honoris consequentiam ». Nemo vero ignorat

subsequentibus temporibus Hierosolymitanam Ecclesiam Patriarchali dignitate, ac juribus donatam esse; atque omnes sciunt post plura saecula, cum ab Europeis Principibus Hierosolyma recuperata est, constitutumque Regnum Hierosolymitanum, Patriarchas Latinos haberi caepisse, non paucos Latinos viros ejusdem Sedis fuisse Patriarchas, et Concilium Lateranense IV generale sub Innocentio III Pontifice Anno MCCXV habitum Patriarchalem Hierosolymitanam Sedis dignitatem confirmavisse; sed rerum publicarum vicissitudines, et toleratae ab Europeis exercitibus calamitates effecerunt, ut Hierosolymitana civitas in Mahomedanorum iterum inciderit potestatem. Ceterum etiamsi subsequenti inde tempore Latini Patriarchae Hierosolymitani in concrediti sibi gregis curam praesentes incumbere nequirent, ac Romani Pontifices Decessores Nostri illorum fidelium indigentis alia ratione consulere debuerint; non tamen intermiserunt Latinos ipsos Patriarchas eligere, licet eos a residendi lege solverent, quamdiu Ecclesia ipsa sub infidelium potestate detineretur. Verum aetate Nostra impedimenta illa sublata noscuntur, quibus eveniebat, ut Patriarcha Latinus Hierosolymis manere, ibique ad suarum ovium salutem advigilare non posset. Nos autem postquam ad Sancti Petri Cathedram, licet immerentes, ascendimus, statim inter cetera perquam plura Ecclesiae negotia, id etiam animo Nostro considerantes reputavimus, Religionis utilitatem, Fidei Catholicae uberius amplificandae rationes Sedis Hierosolymitanam vetustissimam, ac tanto jure partam dignitatem, et temporum etiam adjuncta postulare, ut Latini ritus Patriarcham in urbem Hierusalem

rursus mitteremus. Voluimus tamen antea istud tantae gravitatis negotium Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacro Consilio Christiano nomini propagando praepositis accurate perpendendum, pertractandumque committere. Eorum autem concursus sententia fuit, in Ecclesia Hierosolymitana exercitium Patriarchalis Auctoritatis esse instaurandum. Haec vero cum accepimus, Divinum auxilium ad rem tam gravem pro majori Ecclesiae bono feliciter absolvendam impensius imploravimus. Post maturam autem, ac diuturnam deliberationem Nostram ejusdem Congregationis sententiam probavimus, eamque sine mora ad optatum exitum adducendam censuimus. Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, et SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra restituimus Hierosolymis exercitium jurisdictionis Latini Patriarchae, eundemque posthac residendi obligationi, ut olim, obnoxium fore declaramus. Quod tamen ad Patriarchatus limites attinet, mandamus, atque decernimus, ut quoad aliter ab hac Apostolica Sede statuatur, ejusdem Patriarchae auctoritati subditae sint illae regiones, et loca, quae in praesentiarum dilecti filii Ordinis Minorum Observantium S. Francisci terrae Sanctae Guardiani et S. Sepulcri Custodis jurisdictioni subsunt. De Episcopis autem Patriarchae suffraganeis instituendis, ac designandis sententiam Nostram in posterum significandam esse decernimus, atque eam rem omnem Nostris, et Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregationis Propagandae Fidei Cardinalium iudicio reservamus. Accuratam praeterea ab eadem Congregatione instructionem dirigendam, atque Auctoritate Nostra

confirmandam mandamus, quæ normam afferat, quam Guardianus terrae Sanctae, ac reliqui ex Seraphico Ordine religiosi viri illic commorantes, et ceteri omnes ecclesiastici Patriarchae Latino Hierosolymitano Subditi erga Patriarcham ipsum sequi, ac servare debent. Haec sunt, quae pro Religionis honore, pro Fidei Catholicae in illis regionibus incremento, et pro majori apud eas gentes Ecclesiae utilitate constituenda censuimus, quaeque Deum benignitate, ac benedictione sua prosequuturum esse speramus. Non obstantibus in contrarium facientibus etiam speciali mentione, ac derogatione dignis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus habeatur fides, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIII mensis Julii MDCCCXLVII Pontificatus Nostri Anno Secundo.

PRO DOMINO CARD. LAMBRUSCHINI

A. Picchioni Substitutus.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE IV OCTOBRIS
ANNI MDCCCXLVII.

VENERABILES FRATRES

Quisque vestrum, Venerabiles Fratres, optime noscit quibus quantisque divinae nostrae religionis documentis, monumentisque Hierosolyma urbs, et universa Palaestinae regio mirandum in modum undique refulgeant, *ubi et visui, et tactui se tota ingerunt humanae sacramenta salutis* (1). Siquidem ibi Unigenitus Dei Filius Christus Jesus Dominus Noster propter nimiam, qua nos dilexit, caritatem obumbrata Divinitatis Suae majestate servilem formam indutus, et in similitudinem hominum factus ex intacta Davidica Virgine nasci, vitamque suam agere, ac magna miracula operari est dignatus, tribuens peccatoribus misericordiam, aegris salutem, errantibus veritatem, caecis lucem, mortuis vitam. Ibi ad universum humanum genus a peccati jugo, et daemonis captivitate vindicandum saevissimam passionem, acerbissimamque crucis mortem sustinuit confusione contempta, ac post triduum *devictae mortis spoliis onustus* (2), divina sua potentia resurrexit; ibi quadraginta dierum spatio saepius apparens di-

(1) S. Leo Epist. ad Juvenal. Episc. Hierosolymit.

(2) S. Ansel. Serm. 52 de Paschat.

scipulis suis, ac loquens de regno Dei, postquam illos in fide et caritate roboravit, eisque praecepit, ut euntes in mundum universum praedicarent evangelium omni creaturae, ac docerent servare omnia quaecumque ipsis mandaverat, magnis revelatis mysteriis, magnisque confirmatis sacramentis, in conspectu sanctae multitudinis triumphans, et captivam ducens captivitatem super omnes caelos ad dexteram Dei Patris consessurus adscendit. Ibi ad Apostolos suos illuminandos corroborandos, atque ad renovandam terrae faciem, veteresque tenebras abigendas, misso sancto Paraclito Spiritu, voluit, ut Apostoli ab Hierosolyma ipsa urbe evangelicae praedicationis, opus ordirentur, antequam in omnem dispergerentur orbem. Quae cum ita sint merito atque optimo jure christiani populi sancta illius regionis loca omni pietatis, religionis, et venerationis affectu semper sunt prosequuti. Postquam vero tristissimis rerum ac temporum vicibus regiones illae e christianorum Imperatorum dominatione abreptae fuere, Romani Pontifices Decessores Nostri, et catholici Principes vehementer optantes gravissimis fidelium necessitatibus occurrere, eosque ab injustissima et crudelissima, qua premebantur, servitute vindicare, variis temporibus nihil intentatum reliquerunt, ut loca ipsa ab infidelium eriperent potestate. Hinc Hierosolymitana Ecclesia, cui ab Innocentio III Praedecessore Nostro in Concilio Lateranensi quarto Patriarchalis dignitas fuit confirmata, summo semper in honore habita peculiarem Romanorum Pontificum curam et sollicitudinem sibi comparavit. Qui quidem Romani Pontifices etiam postquam sacra

eadem loca ab infidelibus iterum occupata fuere, immo et cum vix ulla de illis recuperandis spes affulgeret, Latinos Patriarchas Hierosolymitanos renuntiare, et constituere haudquaquam intermiserunt, licet eos a residendi obligatione solvere, quamdiu loca ipsa ab infidelibus detinerentur, ac spirituali illorum fidelium bono alia ratione pro viribus consulere debuerint.

Nos certe de illa Dominici gregis parte vel maxime solliciti, ac summa erga ipsas regiones pietate affecti, vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio nihil antiquius habuimus, quam ut Latini Ritus Patriarcha Hierosolymae iterum in sua sede posset consistere. Cum autem, Deo bene iuvante, difficultates omnes, prout summopere optabamus, penitus sublatas esse conspexerimus, nihilque nunc temporis obstet, quominus ipse Patriarcha Ecclesiae suae curam praesens agere valeat, nullam moram interponendam duximus, ut hujusmodi res pro majore Dei gloria atque illorum fidelium utilitate ad optatum exitum adduceretur. Quamobrem tanti momenti negotium juxta prudentem Nostrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam absolendum curavimus, atque Apostolicas Litteras die decimo kalendas proximi mensis Augusti hujus anni annulo Piscatoris obsignatas dedimus, quibus totius rei rationem explicavimus. Et quoniam Venerabilis Frater Daulus Augustus Foscolo, qui Latino Hierosolymitano Patriarchatu potiebatur, se illo abdicavit, et Nos ejusmodi abdicatione accepta atque approbata, ipsam Venerabilem Fratrem a vinculo, quo Hierosolymitanae Ecclesiae obstringebatur, solvimus, idcirco ad novi Pa-

triarchae electionem procedere existimavimus. Itaque commemoratae Congregationis suffragio in Latinum Patriarcham Hierosolymitanum eligere constituimus dilectum filium Presbyterum Josephum Valerga, qui singulari integritate, pietate, doctrina, prudentia, ac rerum gerendarum dexteritate spectatus, et huic Petri Cathedrae ex animo addictus, ac Missionarii munere in Syria, Mesopotamia, et Perside egregie perfunctus, gravia rei catholicae negotia sibi commissa sedulo scienterque conficienda curavit. Quapropter in eam spem erigimur fore, ut ipse praeclaris hisce dotibus praeditus, easdem coelesti ope fretus ad Patriarchatus locum deferat, atque ad catholicae praesertim religionis incrementum, et concrediti sibi populi utilitatem majori alacritate et studio exhibere, atque exercere contendat. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae Vobis communicanda censuimus, dum pro certo habemus, Vos una Nobiscum assiduas fervidasque Deo Optimo Maximo preces cum gratiarum actione esse oblaturus, quo communibus nostris votis clementissime annuens, divina sua gratia efficere velit, ut in illis regionibus, ubi *quilibet christianus habitans ad Evangelii cognoscendam virtutem non solum paginarum eloquiis, sed ipsorum locorum testimoniis eruditur* (1), catholica fides majora incrementa suscipiat, ac prospere feliciterque vigeat et floreat.

Atque hic, Venerabiles Fratres, clare aperteque declaramus, tum in hac re, tum in aliis quibusque Nostras omnes curas, cogitationes, studia ab omni

(1) S. Leo Ibidem.

prorsus cujuslibet humanae politicae ratione vel maxime aliena eo spectare, ut sanctissima Christi religio, et doctrina ubique terrarum cunctis populis magis magisque affulgeat. Etsi enim exoptemus, ut Viri Principes, quibus a Domino data est potestas, avertentes aures suas a fraudulentis et perniciosis consiliis, et custodientes justitiae legem, ac secundum Dei voluntatem ambulantes, Ejusque sanctae Ecclesiae jura, et libertatem tuentes, pro eorum religione, ac benignitate suorum populorum felicitatem prosperitatemque procurare non desistant, tamen vehementer dolemus in diversis locis nonnullos e populo existere, qui Nostro nomine temere abutentes, et gravissimam Personae Nostrae, ac Supremae Dignitati injuriam inferentes, debitam erga Principes subjectionem denegare, et contra illos turbas, praevosque motus concitare audent. Quod certe a Nostris consiliis adeo abhorrere constat, ut in Nostris Encyclicis Litteris ad omnes Venerabiles Fratres Episcopos die nona mensis Novembris superiori anno datis haud omiserimus inculcare debitam erga Principes, et Potestates obedientiam, a qua juxta christianae legis praeceptum, nemo citra piaculum deflectere unquam potest, praeterquam scilicet ubi forte aliquid jubeatur, quod Dei, et Ecclesiae legibus adversetur.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, Dilectum Filium Presbyterum Josephum Valerga ad Patriarchatum

Latinum Hierosolymitanum evehimus, eumque in illius Ecclesiae Patriarcham et Pastorem praeficimus, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur.

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus Sancti ✠ Amen.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XVII DECEMBRIS ANNI MDCCCXLVII.

VENERABILES FRATRES

Ubi primum nullis certe Nostris meritis, sed inscrutabili Dei iudicio in hac Principis Apostolorum Cathedra collocati catholicae Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, Apostolicae Nostrae sollicitudinis curas in Hispaniam convertimus, quemadmodum optime noscitis, Venerabiles Fratres. Hinc intimo Nostri cordis dolore considerantes gravissima damna, quibus ob tristes rerum vicissitudines magna illa et inclyta Dominici gregis portio premebatur, divitem in misericordia Deum assiduis enixisque precibus humiliter obsecrare numquam destitimus, ut afflictis illis Ecclesiis opem afferre, easque a misero in quo versabantur statu revocare dignaretur. Atque pro Apostolici Nostri ministerii debito, et singulari paternae caritatis affectu, quo illustrem illam nationem prosequimur, nihil certe Nobis potius fuit, quam ut sanctissimae nostrae Religionis negotia ibi componere studeremus. Cum autem felicitatis recordationis Gregorius XVI Praedecessor Noster incepisset suis instruere Pastoribus nonnullas illius Regni Dioeceses in disitis transmarinis regionibus sitas, in id peculiare Nostras curas intendimus, ut aliis pluribus ipsius Regni vacantibus Ecclesiis in continenti etiam positis

novos valeremus dare Antistites eo munere dignos, atque ita perficere quod idem Decessor Noster morte praeventus absolvere minime potuerat. Quamobrem Venerabilem Fratrem Joannem Archiepiscopum Thesalonicensem virum integritate, doctrina, prudentia, ac rerum gerendarum peritia praestantem cum Nostris ad Carissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Elisabeth Reginam Catholicam Litteris, atque opportunis facultatibus et instructionibus in Hispaniam misimus, ut quidquid ad sanandas inibi contritiones Israel, atque ad catholicae Religionis bonum promovendum conduceret, omni studio curaret, atque inter alia efficeret ut viduatas illic Ecclesias idoneis Pastoribus concrederemus. Itaque clementissimo misericordiarum Patre votis studiisque Nostris opitulante evenit, ut summa animi Nostri consolatione nonnullos, veluti nostis, in illis regionibus Antistites jam constituere potuerimus, atque in praesentia multas alias Hispaniarum Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias diu vacantes canonico suorum Pastorum regimini et procurationi tradere, atque ita divini Nominis gloriae, catholicae Religionis bono, ac spirituali illarum dilectarum ovium saluti consulere valeamus. Quod quidem futurum confidimus, cum ex relatione commemorati Venerabilis Fratris Delegati Nostri, atque ex actis maturo examine ab ipso confectis agnovimus, viros ipsis Dioecesibus regendis ac moderandis destinatos eas habere dotes, quae ad pastorale munus rite utiliterque obeundum requiruntur. In eam autem spem erigimur fore, ut quamprimum aliarum illius Regni Ecclesiarum viduitati prospicere possimus, utque rebus jam nunc in meliorem conditio-

nem vergentibus, et favente etiam Catholica Majestate Sua in aliis porro atque aliis religionis negotiis, in quae idem Venerabilis Frater Delegatus Noster studiosissime incumbit, vota et consilia Nostra felicem dante Domino exitum assequantur.

Alia etiam longe amplissima sub alio magno Principe regio est, in qua catholicae Religionis res diuturnis gravioribusque calamitatibus afflictæ ipsum recolendæ memoriae Decessorem Nostrum multos per annos sollicitum habuerant, et præcipuas Nostras curas sibi pariter vindicarunt. Equidem optavissemus hoc ipso die Vos certiores facere de bono exitu, quem aliqua ex parte Nostras ipsas curas habuisse confidebamus. Non defuere autem quidam ephemeridum scriptores, qui id ipsum feliciter evenisse affirmarint. Nos tamen nihil adhuc annuntiare Vobis possumus nisi firmam spem, qua sustentamur fore, ut omnipotens et misericors Deus propitius respiciat super Ecclesiae suae filios tantis inibi tribulationibus conflictatos, et sollicitudini benedicat, qua statum catholicae Religionis in meliorem illic conditionem adducere connitimur.

Nunc porro Vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, summam admirationem, qua intime affecti fuimus, ubi scriptum a quodam viro ecclesiastica Dignitate insignito elucubratum, typisque editum ad Nos pervenit. Namque idem vir in hujusmodi scripto de quibusdam loquens doctrinis, quas Ecclesiarum regionis suae traditiones appellat, et quibus hujus Apostolicae Sedis jura coarctare intenditur, haud erubuit asserere, traditiones ipsas a Nobis in pretio haberi. Absit enimvero, Venerabiles Fratres, ut mens

aut cogitatio Nobis unquam fuerit vel minimum declinare a Majorum institutis, aut abstinere ab hujus Sanctae Sedis auctoritate sarta tecta conservanda, atque tuenda. Habemus equidem in pretio peculiare traditiones; sed eas tantum, quae a Catholicae Ecclesiae sensu non discrepent, praesertim vero illas reveremur ac firmissime tuemur, quae cum aliarum Ecclesiarum traditione, atque in primis cum hac sancta Romana Ecclesia plane congruant, ad quam, ut S. Irenaei verbis utamur, *propter potiore principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio* (1).

At aliud insuper est, quod animum Nostrum vehementer angit et urget. Ignotum certe Vobis non est, Venerabiles Fratres, multos hostium Catholicae veritatis in id praesertim nostris temporibus conatus suos intendere, ut monstruosa quaeque opinionum portenta aequiparare doctrinae Christi, aut cum ea commiscere vellent, atque ita impium illud de cujuslibet religionis *indifferentia* systema magis magisque propagare commoliuntur. Novissime autem, horrendum dictu! inventi aliqui sunt qui eam nomini, et Apostolicae dignitati Nostrae contumeliam imposuerunt, ut Nos veluti participes stultitiae suae, et memorati nequissimi systematis fautores traducere non dubitarent. Hi nimirum ex consiliis, a Religionis Catholicae sanctitate haud certe alienis, quae in negotiis quibusdam ad civilem pontificiae Ditionis procuracionem

(1) S. Iren. contra haereses. Lib. 3. cap. 3.

spectantibus benigne ineunda duximus publicae com-
 moditati et prosperitati ampliandae, atque ex venia
 nonnullis ejusdem Ditionis hominibus initio ipse Pon-
 tificatus Nostri clementer impertita, conjicere volue-
 runt, Nos ita benevole sentire de quocumque homi-
 num genere, ut nedum Ecclesiae filios, sed ceteros
 etiam utut a Catholica unitate alieni permaneant,
 esse pariter in salutis via, atque ad aeternam vitam
 pervenire posse arbitremur. Desunt Nobis prae hor-
 rore verba ad novam hanc contra Nos, et tam atro-
 cem injuriam detestandam. Amamus equidem intimo
 cordis affectu homines universos, non aliter tamen
 quam in caritate Dei, et Domini Nostri Jesu Christi,
 qui venit quaerere, et salvum facere quod perierat,
 qui pro omnibus mortuus est, qui omnes homines vult
 salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; qui
 misit proinde discipulos suos in mundum universum
 praedicare evangelium omni creaturae, denuntians eos,
 qui crediderint et baptizati fuerint, salvos fore, qui
 vero non crediderint condemnatum iri. Veniant igitur
 qui salvi fieri volunt ad columnam et firmamentum
 veritatis, quod Ecclesia est, veniant scilicet ad veram
 Christi Ecclesiam, quae in suis Episcopis summoque
 omnium capite Romano Pontifice successionem habet
 Apostolicae auctoritatis nullo tempore interruptam,
 quae nihil unquam potius habuit quam ut praedica-
 ret, atque omni ope custodiret ac tueretur doctrinam
 ex Christi mandato ab Apostolis annunciatam; quae
 inde ab Apostolorum aetate in mediis omne genus
 difficultatibus crevit, et per totum orbem miraculo-
 rum splendore inclyta, martyrum sanguine amplifi-
 cata, Confessorum et Virginum nobilitata virtutibus,

Patrum testimoniis scriptisque sapientissimis corroborata viguit, vigetque in cunctis terrae plagis, et perfecta fidei, sacramentorum, sacrique regiminis unitate refulget. Nos qui licet indigni, praesidemus in suprema hac Petri Apostoli Cathedra, in qua Christus Dominus ejusdem Ecclesiae suae fundamentum posuit, nullis ullo unquam tempore curis laboribusque abstinemus, ut per ipsius Christi gratiam eos qui ignorant, et errant ad unicam hanc veritatis et salutis viam adducamus. Meminerint autem quicumque ex adverso sunt, transiturum quidem coelum et terram, sed nihil praeterire unquam posse ex verbis Christi, neque in doctrina commutari, quam a Christo Ecclesia Catholica custodiendam, tuendam, et praedicandam accepit.

Post haec haud possumus, quin Vobis, Venerabiles Fratres, loquamur de doloris acerbitate, qua confecti fuimus, propterea quod paucis ante diebus in hac alma Urbe Nostra catholicae Religionis arce et centro nonnulli paucissimi illi quidem homines prope delirantes reperiri potuerint, qui vel ipsum humanitatis sensum abjicientes cum maximo aliorum ipsius Urbis civium fremitu et indignatione minime exhoruerunt palam publiceque triumphare in lactuosissimo intestino bello nuper inter Helvetios excitato. Quod fatale sane bellum Nos intimo corde ingemiscimus, tum ob effusum illius nationis sanguinem, fraternamque caedem, et atroces, diuturnas, funestasque discordias, odia, dissidia, quae ex civilibus potissimum bellis in populos redundare solent, tum ob detrimenta, quae inde catholicae rei obvenisse accipimus, et obventura adhuc timemus, tum denique

ob deploranda sacrilegia in primo conflictu commissa, quae commemorare animus refugit.

Ceterum dum haec lamentamur, humillimas Deo totius consolationis agimus gratias, qui in multitudine misericordiae suae non desinit Nos consolari in omni tribulatione Nostra. Etenim inter tantas angustias non leve certe Nobis solatium afferunt et prosperi sacrarum Missionum eventus, et strenui evangelicorum Ministrorum labores, qui apostolico zelo incensi, gravissima quaeque pericula atque discrimina invicte despicientes, in remotissimis regionibus populos ab errorum tenebris, morumque feritate ad catholicae veritatis lumen, omnemque virtutis et humanitatis cultum traducere, ac pro Dei gloria et animarum salute fortiter pugnare non desinunt, et pietissima ac plane eximia catholicorum populorum studia, qui Nostris desideriis mirifice obsecundantes non levia afflictae pauperum Hibernorum genti subsidia praebere haud intermiserunt, quique tum largitionibus ad Nos etiam missis, tum assiduis ad Deum precibus omnem opem conferre non cessant, ut sanctissima Christi fides atque doctrina longe lateque ubique gentium, ubique terrarum felici faustoque progressu magis magisque propagetur. Quae praeclara opera omni certe laudum praeconio digna dum peculiari gratissimi animi Nostri testificatione prosequimur, a clementissimo honorum omnium largitore Deo humiliter poscimus, ut fidelibus suis uberem pro illis retribuat in aeternitate mercedem.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae Vobis hodierno die significanda iudicavimus. Cum autem hanc Nostram Allocutionem in publicum emittere censueri-

mus, hac occasione sermonem Nostrum ad alios quoque Venerabiles Fratres, universi catholici Orbis Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, toto cordis affectu convertimus, eosque omnes et singulos obsecramus, atque hortamur in Domino ut stabili inter se concordia et caritate conjuncti, atque arctissimo fidei et observantiae vinculo Nobis et huic Petri Cathedrae obstricti, perfecti sint in eodem sensu et in eadem sententia, atque humanis quibusque sepositis rationibus, et solum Deum ob oculos habentes, Ejusque auxilium jugibus, fervidisque precibus implorantes, nihil vigilantiae, nihil laboris unquam praetermittant, ut episcopali fortitudine, constantia, prudentia praelientur praelia Domini, et majori usque alacritate dilectas oves eorum curae commissas ab venenatis pascuis avertant, ad salutaria propellant; easque nunquam patiantur decipi doctrinis variis et peregrinis, sed strenue a rapacium luporum insidiis, et impetu defendant, itemque errantes in omni bonitate, patientia, et doctrina ad veritatis et justitiae semitam reducere contendant, ut et illi divina auxiliante gratia occurrant in unitatem fidei, et agnitionem Filii Dei, atque ita fiant nobiscum unum ovile et unus pastor.

LITTERAE

AD ORIENTALES

In Suprema Petri Apostoli Sede, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et sollicitudine onerati omnium Ecclesiarum, respeximus inde ab exordio Pontificatus Nostri in diversas Orientis ac finitimarum Regionum Nationes Christianas cujuscumque ritus, quae non uno quidem ex capite peculiarem a Nobis curam exposcere videbantur. In Oriente enim Unigenitus Dei Filius propter nos homines Homo factus apparuit, et per vitam, mortem, et resurrectionem suam opus humanae Redemptionis perficere dignatus est. In Oriente a divino eodem Redemptore, ac subinde ab ejus Discipulis praedicatum initio est Evangelium lucis et pacis; et quamplurimae inclauserunt Ecclesiae Apostolorum, qui illas instituerant, nomine insignes. Sed insequenti etiam tempore, et longo plurium saeculorum intervallo, florere in Orientalibus Nationibus Episcopi, Martyres, aliique sanctitate, ac doctrina praestantissimi viri, quos inter communi totius Orbis praeconio celebrantur Ignatius Antiochenus, Polycarpus Smyrnensis, Gregorius Neocaesareensis, ejusdem nominis Nyssenus, ac Nazianzenus, Athanasius Alexandrinus, Basilius Caesareensis, Joannes Chrysostomus, bini Cyrilli Hierosolymarius, et Alexandrinus, Gregorius Armenus, Ephraemus Syrus, Joannes Damascenus, nec non Slavorum Apostoli Cyrillus, et Methodius: ut taceamus porro de caeteris

prope innumeris, qui effuso similiter pro Christo sanguine, aut sapientibus scriptis, eximiaeque virtutis operibus nomina sua perenni item posteritatis memoriae commendarunt. Pertinent quoque ad Orientis laudem frequentissimi Episcoporum Conventus, praesertim vero Oecumenica vetustiora Concilia ibidem celebrata, in quibus Romano Pontifice praeeunte Catholica Fides contra illius aetatis novatores vindicata fuit sollemnique iudicio roborata. Denique posteriori etiam aevo, quamvis haud exigua Christianorum Orientalium pars a communione Sanctae hujus Sedis, atque adeo a Catholicae Ecclesiae unitate recessisset, et in Oriente ipso rerum summam obtinuerint Gentes a Christiana Religione alienae, nunquam tamen defuere illic homines bene multi, qui divinae gratiae auxilio freti suam in vera Fide et Catholica unitate constantiam inter multiplices calamitates, et diuturna eorum praesertim temporum pericula comprobarent. Haec autem abstinere non possumus, quominus commemoremus singulari cum laude illorum Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, qui sedulam contulere operam suis ovibus in Catholicae veritatis professione custodiendis; et quorum proinde curis, Deo benedicente, factum est, ut mitigata postea temporum asperitate tantus inibi inventus sit eorum numerus, qui in Catholica unitate manebant.

Itaque ad Vos primum verba nostra convertimus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, Catholici Antistites, et cujuscumque Ordinis Clerici ac Laici, qui perseverastis firmiter in fide et communione Sanctae hujus Sedis, vel qui ad eam postmodum, errore cognito, non minori quidem virtutis laude convenistis. Etsi

enim rescripserimus dudum ad multos ex Vobis, a quibus gratulatorias de nostra ad Summum Pontificatum electione Litteras acceperamus, et inde a die 9 Novembris anni 1846 omnes totius Catholici Orbis Antistites per Encyclicam Epistolam allocuti fuimus; consilium tamen est alio hoc peculiari sermone certiores Vos facere studiosissimae caritatis, qua de Vobis, rebusque vestris solliciti sumus. Opportunam vero de his scribendi occasionem habuimus in missione Ven. Fratris Innocentii Archiepiscopi Sidensis, qui a Nobis Constantinopolim legatus est ad Celsissimam Othomanam Aulam, ut Potentissimum Turcarum Imperatorem nostro nomine conveniat, et pro Oratore ab illo ad salutandos Nos antea allegato plurimas nomine nostro gratias persolvat. Ipsi quidem Ven. Fratri diligenter mandavimus, ut Vos, et quaecumque ad vestram, Catholicaeque Ecclesiae causam in amplissima Othomana Ditione pertinent, eidem Imperatori nostris verbis impensissime commendet. Nec dubitamus, quin Imperator ipse, sua jam sponte erga Vos benevolus, majori porro benignitate rebus vestris faveat, et neminem ex suis subditis Catholicae Religionis causa vexari permittat. Jam vero memoratus Sidensis Archiepiscopus Nostrae in Vos caritatis studia uberius declarabit illis ex Sacris Praesulibus, Primoribusve Nationumstrarum, quos Constantinopoli adesse contigerit: atque inde postmodum ad Nos rediturus divertet, prout res et occasio tulerit, ad nonnulla alia Orientis loca, ut, quemadmodum in mandatis a Nobis habuit, Ecclesias Catholicorum cujusque ritus inibi sitas Nostro nomine invisat, nostrisque verbis amantissime alloquatur et con-

soletur nostros Ven. Fratres, Dilectosque Filios, quos in locis illis invenerit.

Idem vero et ipsis tradet, et cum reliquis Vestrum communicandas curabit nostras hasce Litteras, testes, uti diximus, nostrae in Catholicas vestras Nationes propensissimae voluntatis, et per quas Vobis omnibus notum facimus, et confirmamus, nihil potius Nobis fore, quam ut de Vobis ipsis, et de Catholicae apud Vos Religionis statu quotidie magis bene mereamur. Quare cum inter alia relatum ad Nos sit, in regimine ecclesiastico vestrarum Nationum quaedam esse, quae ob anteacti temporis calamitatem incerta adhuc manent vel minus apte constituta, libenter equidem aderimus auctoritate nostra Apostolica, ut ad normam sacrorum Canonum, servatisque SS. Patrum institutis, rite omnia componantur et ordinentur. Omnino autem sartas tectas habebimus peculiare vestras Catholicas Liturgias; quas plurimi sane facimus, licet illae nonnullis in rebus a Liturgia Ecclesiarum latinarum diversae sint. Enimvero Liturgiae ipsae vestrae in pretio pariter habitae fuerunt a Praedecessoribus nostris; utpote quae et commendantur venerabili antiquitate suae originis, et conscriptae sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerant, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur.

Ad hanc Sedis Apostolicae rationem erga Catholicas Orientalium Liturgias plura spectant Romanorum Pontificum Decreta, et Constitutiones, quae de illis conservandis latae sunt: inter quas laudare sufficiet Litteras Apostolicas Benedicti XIV Decessoris

Nostri, eas praesertim, quarum initium « Allatae sunt » datas die 26 Julii 1755 (1). Eodem pertinet, quod Sacerdotibus Orientalibus in Occidentem venientibus nedum liberum est, proprio Nationis suae ritu celebrare in sacris Latinorum Aedibus, sed patent etiam diversis in locis, ac Romae praesertim Tempa in peculiarem ipsorum usum aedificata. Insuper nec monasteria defuerunt Orientalis ritus, nec domicilia alia excipiendis Orientalibus destinata; nec etiam Collegia in eum finem condita ut Orientalium filii, sive soli, sive cum aliis adolescentibus, ad Litteras, sacrasque scientias, atque ad clericalem disciplinam informentur, et idonei fiant Ecclesiasticis muneribus deinceps in sua cujusque natione obeundis. Quamvis autem aliqua ex his institutis recentiorum temporum calamitate perierint, nonnulla tamen adhuc supersunt, ac florent; in quibus, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, praeclarum sane documentum habetis singularis benevolentiae, qua Sedes Apostolica Vos, resque vestras prosequitur.

Ceterum scitis jam, Ven. Fratres, Dilecti Filii, Nos in vestris religiosis negotiis procurandis adju-trice opera uti Nostrae Congregationis plurimum S.E.R. Cardinalium, cui a Propaganda Fide nomen est. At vero studium bene de Vobis merendi commune est et aliis plurimis, tum Romanis tum exteris, qui in Alma hac Urbe morantur. Quo in numero nonnulli ex latino, atque etiam ex vestris Orientalibus ritibus Praesules, piique alii viri consilium nu-

(1) Extant Tom. IV. Bullarii Benedicti XIV. n. 47. Aliae ea de re ejusdem Pontificis Constitutiones habentur Tom. I. memorati Bullarii n. 87. et Tom. III. n. 44.

per inierunt de pia societate eum in finem instituenda, ut sub auctoritate memoratae nostrae Congregationis cultum apud Vos Catholicae Religionis, et uberiores ejusdem progressus quotidianis piis precibus, collata aliqua stipe, et omni ope atque opera sua juvare conniterentur. Qua de re cum relatum ad Nos fuerit, commendavimus equidem et probavimus pium illorum consilium, ac suasores ipsis fuimus ut ei Operi sine mora manum admoveant.

Post haec, ad Vos speciatim verba nostra convertimus qui aliis praeestis, VV. FF. Catholici Orientalium Antistites cujusque gradus; ut collaudato iterum vestro, et vestri etiam Cleri zelo in sacris ecclesiasticisque muneribus obeundis, hac porro hortatione nostra addamus Vobis animos ad virtutem. Itaque obtestamur Vos in Domino Deo Nostro, ut coelesti Ejus auxilio freti advigiletis majori usque alacritate ad custodiam dilectarum ovium, nec desistatis praelucere ipsis verbo et exemplo, ut ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Incumbant alacriter in eandem curam Presbyteri, qui sub Vobis sunt, et animarum praesertim Curatoribus instante, ut decorem diligant Domus Dei, foveant populi pietatem, Sancta sancte administrent, et minime neglectis ceteris officii sui partibus, peculiari utantur diligentia in informandis pueris ad rudimenta Christianae doctrinae, atque in reliqua fidei plebe verbi Dei pabulo cum sermonis facilitate pro ejus captu enutrienda. Summa autem illis Vobisque ipsis sedulitate curandum est, ut fideles omnes solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, gratias agentes Deo luminum et misericordia-

rum Patri, quod in tanto rerum discrimine constantes per ejus gratiam permanserint in Catholica communione uniceae Christi Ecclesiae, vel reversi porro ad illam fuerint, dum alii ex popularibus suis vagantur adhuc extra unicum idem ovile Christi, a quo illorum patres jamdudum misere exiverant.

Post haec, abstinere non possumus, quominus caritatis et pacis verba his etiam loquamur Orientalibus Christum colentibus, qui a communione sanctae hujus Petri Sedis alieni sunt. Etenim urget Nos Christi caritas, ut juxta ejus monita et exemplum dispersas oves sequi per invia quaeque et aspera, atque illarum infirmitati succurrere connitamur, ut in septa Dominici gregis tandem aliquando regrediantur.

Audite igitur sermonem nostrum Vos omnes, quotquot in Orientalibus ac finitinis plagis Christiano quidem nomine gloriimini, sed cum Sancta Romana Ecclesia communionem minime habetis; ac Vos potissimum, qui penes illos sacris muneribus estis addicti, aut majori etiam ecclesiastica dignitate fulgentes ceteris praesidetis. Recogitate ac memoria repetite veterem Ecclesiarum vestrarum conditionem, quum mutuo inter se, et cum reliquis Catholici Orbis Ecclesiis unitatis vinculo conglutinabantur: et considerate deinceps, num quidquam Vobis profecerint divisiones quae postmodum subsequutae sunt, et quibus factum est ut nedum cum Ecclesiis Occidentalibus, sed neque inter Vos ipsos retinere potueritis antiquam sive doctrinae, sive sacri regiminis unitatem. Memineritis Symboli Fidei, in quo Nobiscum profitemini, credere Vos « Unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam » : atque hinc per-

pendite, num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae Catholica unitas in tanta illa vestrarum Ecclesiarum divisione, inveniri possit; dum Vos ipsi eam agnoscere abnuitis in communione Romanae Ecclesiae, sub qua aliae per totum mundum frequentissimae Ecclesiae in unum corpus coaluere semper, et coalescunt. Atque ad rationem ejus unitatis, qua fulgere Catholica Ecclesia debet, penitius intelligendam, memoria recolite orationem illam in Joannis Evangelio consignatam (1) in qua Christus Unigenitus Dei Filius Patrem pro suis Discipulis ita precatus est: « *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos;* » et subinde adjecit: « *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti: et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus: Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum: et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti.* »

Verum idem humanae salutis Auctor Christus Dominus, unice illius, adversus quam portae inferi non praevalerunt, Ecclesiae suae fundamentum posuit in Apostolorum principe Petro; cui claves dedit Regni coelorum (2); pro quo rogavit, ut non deficeret fides ejus, addito etiam mandato ut fratres in ea confirmaret (3); cui denique pascendos commisit

(1) Joannis XVII. 11, 20 et seqq.

(2) Matthaei XVI. 18, 19.

(3) Lucae XXII. 31, 32.

agnos et oves suas (1), atque adeo totam Ecclesiam, quae in veris Christi agnis atque ovibus est. Atque haec pertinent pariter ad Romanos Antistites Petri Successores; quandoquidem, post Petri mortem, Ecclesia usque ad consummationem saeculi duratura fundamento, super quod aedificata a Christo fuit, carere non potest. Quare S. Irenaeus Polycarpi, qui Joannem Apostolum audierat Discipulus ac deinde Lugdunensis Episcopus, quem Orientales non minus quam Occidentales inter praecipua Christianae antiquitatis lumina recensent, dum adversus haereticos sui temporis referre vellet doctrinam ab Apostolis traditam, supervacaneum existimavit omnium Ecclesiarum apostolicae originis enumerare successiones, affirmans satis sibi esse, ut allegaret contra illos doctrinam Ecclesiae Romanae, propterea quod *« ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio »* (2).

Novimus commune Vobis studium esse, ut doctrinae adhaereatis a vestris Majoribus custoditae. Sequimini igitur veteres Antistites, et Christifideles orientalium omnium Regionum de quibus innumera prope monumenta demonstrant, ipsos cum occidentalibus consensisse in reverenda Romanorum Pontificum auctoritate. Inter praecipua ex Oriente ipso ejus rei documenta (praeter Irenaei locum paulo ante laudatum) commemorare hic juvat quae IV. Ecclesiae saeculo gesta sunt in causa Athanasii Alexan-

(1) Joannis XXI. 15. et seqq.

(2) Ipsa haec sunt Irenaei verba *Ltb. III. contra haereses cap. 3.*

drini Antistitis, sanctitate non minus quam doctrina et pastorali zelo clarissimi, qui ab orientalibus quibusdam Praesulibus in Concilio praesertim Tyri habito injustissime condemnatus, et ab Ecclesia sua pulsus, Romam venit; ubi venerunt etiam alii ab Oriente Episcopi a suis item sedibus per injuriam dejecti. « *Episcopus igitur Romanus (qui erat Julius Decessor Noster) cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae fidei doctrinam consentientes in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit. Scripsit etiam Orientalibus Episcopis, reprehendens eos, quod in supradictorum causis non recte judicassent, et quod Ecclesiarum statum turbarent (1)* ». Initio etiam saeculi V. Joannes Chrysostomus Constantinopolitanus Antistes vir item longe clarissimus, qui Chalcedone in Synodo ad Quercum per summam injuriam condemnatus fuerat, confugit et ipse per Litteras et internuncios suos ad Sedem hanc Apostolicam et a Decessore nostro S. Innocentio I. innocens declaratus est (2).

Praeclarum aliud veneratae a vestris Majoribus Romanorum Pontificum auctoritatis documentum extat in Chalcedonensi Synodo anni 451. Enimvero Episcopi, qui in illam ad sexcentum convenerant, ac

(1) Verba haec sunt Sozomeni Lib. III. Hist. Eccl. Cap. 8. Rem universam fusius exponit Athanasius ipse in sua *Apologia contra Arianos*.

(2) Binae hac de re Chrysostomi litterae ad Innocentium, et litterae Innocentii tum ad Chrysostomum, tum ad Clerum et Populum Constantinopolitanum extant Tom. III. Operum Chrysostomi Edit. Maur. pag. 515 seqq.

pene omnes (paucis scilicet exceptis) ex Oriente erant, post Litteras Romani Pontificis S. Leonis M. in secunda Concilii actione perlectas clamaverunt: «*Petrus per Leonem ita loquutus est*». Subinde autem, Synodo ipsa pontificiis Legatis praesidentibus absoluta, iidem Concilii Patres in gestorum relatione ad Leonem missa, eum per memoratos Legatos congregatis Episcopis *sicut membris caput praefuisse* affirmarunt (1).

Ceterum non ex solis Chalcedonensis Concilii Actis, sed ex reliqua etiam Orientalium veterum Synodorum historia proferre liceret monumenta alia quamplura; ex quibus constat, Romanos Pontifices in Synodis praesertim Oecumenicis primas habuisse partes, eorumque auctoritatem et ante Conciliorum celebrationem, et his porro absolutis fuisse imploratam. Atque etiam extra Conciliorum causam afferre possemus alia Patrum, veterumque Orientalium seu scripta seu gesta longe plurima; ex quibus item apparet supremam auctoritatem Romanorum Pontificum viguisse jugiter apud Majores vestros in Oriente universo. Sed quoniam nimis longum foret ea omnia hoc loco recensere, et quae jam indicavimus satis sunt ad rei veritatem ostendendam: heic tantum coronidis loco memorabimus quemadmodum vetustissima aetate, ipso scilicet Apostolorum aevo, gesserunt se Corinthii fideles in dissensionibus, quibus ipsorum Ecclesia gravissime turbata fuerat. Nimirum Corinthii dissensiones illas suas per Litteras, et per Fortunatum ad eas perferendas huc profectum detulerunt ad

(1) *Tom. IV. Concilior. edit. Labbeo. — Venetae pag. 1235 et 1755.*

S. Clementem, qui paucis post Petri mortem annis Romanae Ecclesiae Pontifex factus fuerat. Clemens autem, re graviter considerata, rescripsit per Fortunatum ipsum et per adjunctos et internuncios suos -Claudium Ephebum, et Valerium Vitonem: a quibus Corinthum perlata est celebratissima illa Sancti Pontificis Romanaeque Ecclesiae Epistola (1), quae tum penes Corinthios ipsos, tum penes alios Orientales tanto in pretio habita fuit, ut subsequenti etiam tempore in pluribus Ecclesiis publice legeretur (2).

Juxta haec hortamur Vos atque obtestamur, ut absque ulteriori mora redeatis ad communionem Sanctae hujus Petri Sedis, in qua verae Christi Ecclesiae fundamentum esse, et Majorum vestrorum aliorumque veterum Patrum traditio, et quae antea commemoravimus Christi Domini verba in Sanctis Evangeliiis relata demonstrant. Nec enim fieri unquam poterit, ut in Unius Sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae communionem sint, qui divulsi esse voluerint a soliditate petrae, super quam Ecclesia ipsa divinitus aedificata est. Ac nulla sane ratio est, qua Vos ab hoc ad veram Ecclesiam, Sanctaeque hujus Sedis communionem reditu excusare valeatis. Nostis enim, in rebus ad divinae religionis professionem spectantibus nihil esse tam durum, quod pro Christi gloria, aeternaeque vitae retributione non sit perferendum. At vero ad Nos quod attinet, testamur et confirma-

(1) Extat haec Clementis Epistola in Bibliotheca Veterum Patrum Venetiis a Gallandio edita Tom. I. pag. 9 et seqq.

(2) Ex Eusebio Historiae Ecclesiasticae Lib. III. Cap. 16, et ex Dionysio Corinthiorum Episcopo, cujus testimonium extat apud Eusebium ipsum Lib. IV. Cap. 23.

mus, nihil Nobis antiquius esse, quam ut Vos ad communionem nostram redeuntes nedum nulla, quae durior videri possit, praescriptione affligamus, sed ex constanti Sanctae hujus Sedis instituto peramanter, et paterna prorsus benignitate excipiamus. Itaque non aliud Vobis imponimus oneris, quam haec necessaria; nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis Nobiscum in professione verae Fidei, quam Ecclesia Catholica tenet ac docet, et cum Ecclesia ipsa, supremaque hac Petri Sede communionem servetis. Hinc ad vestros sacros ritus quod attinet, rejicienda solummodo erunt si quae in illos separationis tempore irrepserint, quae eidem Fidei et unitati Catholicae adversentur: atque his demptis sartae tectaeque Vobis manebant veteres Liturgiae vestrae orientales; quas pro illarum venerabili antiquitate et caeremoniis ad fovendam pietatem idoneis apud Nostros Decessores in pretio fuisse, atque a Nobis pariter plurimi fieri in priori harum Litterarum parte jam declaravimus.

Insuper deliberatum fixumque Nobis est, ut erga sacros Ministros, Sacerdotes et Praesules, qui ex istis Nationibus ad unitatem catholicam revertantur, eandem teneamus rationem, qua Decessores Nostri tum proximae tum superioris aetatis multoties usi sunt; ut illis scilicet servemus gradus, et dignitates suas; atque hinc illorum, non minus quam reliqui Catholici Orientalis Cleri, opera utamur ad cultum Catholicae religionis inter populares suos tuendam ac dilatandum.

Denique tum ipsos tum laicos, qui ad communionem nostram redierint, eadem qua cacteros Orien-

tis Catholicos benevolentia complectemur; immo et jucundum Nobis erit omni studio conniti, ut de his aequae ac de ipsis quotidie magis bene mereamur.

Utinam clementissimus Deus dare dignetur sermone huic nostro vocem virtutis; utinam studiis benedicat Fratrum Filiorumque nostrorum, qui Nobiscum de salute vestrarum animarum solliciti sunt; utinam ea Humilitatem Nostram consolatione lactificet, ut inter Orientales Christianos Catholicam unitatem restitutam videamus, et in unitate ipsa novum habeamus subsidium ad veram Christi Fidem in gentibus etiam a Christo alienis magis magisque propagandam. Nos quidem non intermittimus id ipsum a Deo misericordiarum et luminum Patre per Unigenitum suum Redemptorem nostrum in omni oratione et obsecratione suppliciter poscere; eundemque in finem invocare patrocinium Beatissimae Deiparae Virginis, et Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Patrum, quorum praedicatione sanguine virtutibus et scriptis vera Christi Religio propagata olim per Orientem et conservata est. Desiderio autem desiderantes gratulari tandem de vestro reditu in Ecclesiae Catholicae gremium, Vobisque benedicere tamquam Fratribus Filiisque Nostris; interea cunctos, qui modo in Oriente locisque conterminis sunt, Catholicos Patriarchas, Primate, Archiepiscopos, Episcopos, Clericos, Laicos iterata nostrae flagrantissimae caritatis testificatione prosequimur, eisque omnibus Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die VI Januarii Anno MDCCCXLVIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIX APRILIS
ANNI MDCCCXLVIII.

VENERABILES FRATRES

Non semel, Venerabiles Fratres, in Consessu Vestro detestati sumus nonnullorum audaciam, qui Nobis, atque adeo Apostolicae huic Sedi eam inferre injuriam non dubitaverant, ut Nos a sanctissimis Praedecessorum Nostrorum institutis, atque ab ipsa (horrendum dictu!) Ecclesiae doctrina non uno in capite declinasse configerent (1). Verum nec hodie desunt qui de Nobis ita loquuntur, quasi praecipui Auctores fuerimus publicarum commotionum, quae novissimo tempore nedum in aliis Europae locis, sed in Italia quoque acciderunt. Ex Austriacis praesertim Germaniae regionibus accepimus, disseminari inibi in vulgus, Romanum Pontificem et missis exploratoribus, et aliis adhibitis artibus Italos populos excitasse ad novas publicarum rerum commutationes inducendas. Accepimus pariter, quosdam Catholicae Religionis inimicos occasionem inde arripere ad Germanorum animos inflammandos vindictae aestu, atque ab Sanctae hujus Sedis unitate abalienandos. Jamvero etsi Nobis nullum omnino dubium sit, quin Catholicae Germaniae gentes, et qui eis praesunt spe-

(1) In Consistor. Allocut. 4 Octobr. et 17 Decemb. 1847.

ctatissimi Antistites, ab illorum improbitate quam longissime abhorreant; officii tamen Nostri esse novimus scandalum praecavere, quod incauti aliqui simplicioresque homines accipere inde possent, et calumniam refellere, quae non in personae tantum humilitatis Nostrae, sed etiam in Supremi Apostolatus, quo fungimur, atque in Sanctae hujus Sedis contumeliam redundat. Et quoniam iidem illi obtrectatores nostri machinationum, quas Nobis affingunt, nullum proferre documentum valentes, in suspicionem adducere connituntur quae gesta a Nobis sunt in temporali Pontificiae Ditionis procuratione ineunda; idcirco ut hanc ipsis calumniandi ansam praecidamus, consilium est, totam earum rerum causam hodie in Consessu Vestro clare aperteque explicare.

Ignotum Vobis non est, Venerabiles Fratres, jam inde a postremis temporibus Pii VII Praedecessoris Nostri praecipuos Europae Principes Apostolicae Sedi insinuandum curasse, ut in civilibus rebus administrandis faciliorem quamdam ac respondentem Laicorum desideriis rationem adhiberet. Postmodum anno millesimo octingentesimo trigesimo primo haec illorum consilia et vota solemnius emicuerunt per celebre illud *Memorandum*, quod Imperatores Austriae, et Russiae, ac Reges Francorum, Britanniae, et Borussiae Romam per suos Legatos mittendum existimarunt. Eo quidem in scripto inter caetera actum est tum de Consultorum Consilio ex tota Pontificia Ditione Romam advocando, tum de instauranda seu amplianda Municipiorum constitutione, ac de Provincialibus Consiliis instituendis, nec non de hisce ipsis aliisque institutis in omnes Provincias ad communem

utilitatem invehendis, ac de aditu Laicis dando ad omnia munera, quae sive publicarum rerum administrationem, sive judiciorum ordinem respicerent. Atque haec praesertim duo postrema capita tanquam *vitalia* gubernandi principia proponebantur. In aliis etiam Legatorum scriptis actum est de ampliori venia cunctis, aut fere cunctis tribuenda, qui a fide erga Principem in Pontificia Ditione defecerant.

Neminem porro latet, nonnulla ex his perfecta fuisse a Gregorio XVI Decessore Nostro, ac nonnulla insuper promissa in Edictis, ipso anno 1831 ejus jussu latis. Verum haec Praedecessoris Nostri benefacta votis Principum minus plene respondere visa fuerant, nec satis esse ad publicam utilitatem ac tranquillitatem in toto Sanctae Sedis temporali statu firmandam.

Itaque Nos ubi primum inscrutabili Dei judicio in illius locum successi fuimus, nullius certe hortatione aut consilio excitati, sed Nostra in subditum temporali Ecclesiasticae Ditioni populum singulari caritate permoti, uberiores indulsumus veniam iis, qui a debita Pontificio Gubernio fidelitate aberraverant, ac subinde nonnulla instituere properavimus, quae prosperitati ejusdem populi profutura judicavimus. Atque ea omnia, quae in ipso Nostri Pontificatus exordio gessimus, plane congruunt cum iis, quae Europae Principes vel maxime exoptaverant.

Jam vero postquam Deo bene juvante consilia Nostra ad exitum perducta sunt, tum nostri tum finitimi populi prae laetitia gestire, ac publicis gratulationibus, ac observantiae significationibus ita Nos

prosequi visi sunt, ut connitendum Nobis fuerit, quo vel in ipsa hac alma Urbe populares clamores, plausus, conventus nimio impetu erumpentes ad officii normam revocarentur.

Deinde nota omnibus sunt, Venerabiles Fratres, verba Nostrae ad Vos Allocutionis in Consistorio habito die 4 Octobris superioris anni, quibus et Principum erga subditos sibi populos paternam benignitatem ac propensiora studia commendavimus, et populos ipsos ad debitam in suos Principes fidem, atque obedientiam denuo adhortati fuimus. Neque vero postmodum intermisimus, quantum in Nobis fuit, etiam atque etiam omnes commonere et exhortari, ut catholicae doctrinae firmiter adhaerentes, et Dei atque Ecclesiae praecepta servantes, concordiae mutuae, ac tranquillitati et caritati erga omnes studerent.

Atque utinam paternis Nostris vocibus, et hortationibus optatus respondisset exitus! Sed perspectae cuique sunt publicae, quas supra commemoravimus, commotiones populorum Italiae, nec non alii eventus, qui sive extra Italiam, sive in Italia ipsa vel antea contigerant, vel postea successerunt. Si quis vero contendere velit, ejusmodi rerum eventibus aliquam patuisse viam ex iis, quae Nostri Sacri Principatus initio benevole a Nobis benigneque acta sunt; is certe nullo prorsus modo operae id nostrae adscribere poterit, cum Nos non aliud egerimus quam quae ad temporalis Nostrae Ditionis prosperitatem non Nobis solum, sed etiam commemoratis Principibus opportuna visa fuerant. Caeterum ad eos quod attinet, qui in hac Nostra Ditione Nostris ipsis beneficiis abusi sunt, Nos quidem divini Pastorum Principis exem-

plum imitantes, ignoscimus illis ex animo, eosdemque ad saniora consilia amantissime revocamus, et a Deo misericordiarum Patre suppliciter poscimus, ut flagella, quae ingratos homines manent, ab eorum cervicibus clementer avertat.

Praeterea nec succensere Nobis possent supradicti Germaniae Populi si haudquaquam possibile Nobis fuit eorum ardorem continere, qui ex temporali Nostra Ditione plaudere voluerunt rebus contra illos in superiori Italia gestis, et pari atque alii erga propriam nationem studio inflammati in eandem causam cum ceteris Italiae Populis suam operam conferre. Siquidem et plures alii Europae Principes, longe majori prae Nobis militum copia pollentes, commotioni pariter suorum populorum hoc ipso tempore obsistere non potuerunt. In qua rerum conditione Nos tamen Nostris militibus, ad Pontificiae Ditionis fines missis, non aliud mandatum voluimus, nisi ut Pontificii Status integritatem ac securitatem tuerentur.

Verum cum modo nonnulli exoptent, ut Nos quoque cum aliis Italiae Populis et Principibus bellum contra Germanos suscipiamus, officii tandem Nostri esse judicavimus, ut in solemnibus hoc Conventu Vestro clare ac palam profiteamur, abhorrere id omnino a consiliis Nostris; quandoquidem Nos, licet indigni, vices Illius in terris gerimus, qui Auctor est pacis, et amator caritatis, ac pro supremi Nostri Apostolatus officio omnes gentes, populos, nationes pari paterni amoris studio prosequimur, atque complectimur. Quod si nihilominus non desint inter Nostros subditos, qui aliorum Italorum exemplo abripiuntur, Nos

ipsorum ardorem quo tandem modo cohibere poterimus?

Hoc autem in loco haud possumus, quin in conspectu omnium gentium subdola illorum consilia, per publicas etiam ephemerides, variosque libellos manifestata, repudiemus, qui Romanum Pontificem praesidere vellent novae cuidam Reipublicae ex universis Italiae Populis constituendae. Immo hac occasione ipsos Italiae Populos, pro Nostra in eos caritate, summopere monemus et hortamur, ut a callidis hujus generis et ipsi Italiae perniciosis consiliis diligentissime caveant, ac suis Principibus, quorum etiam benevolentiam experti sunt, firmiter adhaereant, atque a debito erga illos obsequio se avelli nunquam patiantur. Etenim si secus agerent, non solum a proprio officio deficerent, verum etiam periculum subirent, ne eadem Italia majoribus in dies discordiis et intestinis factionibus scinderetur. De Nobis autem iterum atque iterum declaramus, Romanum Pontificem omnes quidem cogitationes, curas, studia sua intendere, ut ampliora quotidie incrementa suscipiat Christi regnum, quod est Ecclesia; non autem ut fines dilatentur Civilis Principatus, quo divina providentia Sanctam hanc Sedem donatam voluit ad ejus dignitatem, atque ad liberum supremi Apostolatus exercitium tuendum. Magno igitur in errore versantur qui animum Nostrum amplioris temporalis dominationis ambitu seduci posse arbitrantur, ut Nos mediis armorum tumultibus injiciamus. Illud sane paterno Nostro cordi jucundissimum foret, si opera, curis, studiisque Nostris quidpiam conferre datum esset ad restinguendos discordiarum fomites, ad conciliandos

invicem bellantium animos , atque ad pacem inter ipsos restituendam.

Interea dum non levi animi Nostri consolatione accepimus , pluribus in locis nedum in Italia , sed etiam extra illam , in tanto hoc rerum publicarum motu, fideles filios Nostros suo erga res sacras, sacerorumque ministros obsequio non defuisse, dolemus tamen toto animo hanc illis observantiam non ubique fuisse servatam. Nec Nobis temperare possumus, quia lamentemur tandem in Consessu hoc Vestro funestissimam illam consuetudinem, nostris temporibus praecipue grassantem, exitiales omne genus libellos in lucem edendi, quibus aut sanctissimae nostrae religioni, morumque honestati teterrimum bellum infertur, aut civiles perturbationes, ac discordiae inflammantur, aut Ecclesiae bona impertiuntur, et sacratoria quaeque illius jura oppugnantur, aut optimi quique viri falsis criminationibus lacerantur

Haec Vobis, Venerabiles Fratres, hodierno die communicanda censuimus. Restat nunc, ut una simul in humilitate cordis Nostri assidaas fervidasque Deo Optimo Maximo offeramus preces, ut Ecclesiam suam sanctam ab omni adversitate defendere velit, ac Nos propitius de Sion respicere, ac tueri, atque omnes Principes, et Populos ad exoptatae pacis, et concordiae studia revocare dignetur.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS , ET
DILECTIS FILIIS QVI LIBRORVM EDENDORVM CANONICAE
CENSURAE IN TEMPORALI SANCTAE SEDIS DITIONE PRAEPO-
SITI SVNT.

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII, SALUTEM
ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

In Sess. X Concilii Lateranensis V, atque iterum in postrema Regularum Indicis, quae a Patribus conscriptae per Tridentinam Synodum deputatis, et a Pio IV glor. mem. Decessore Nostro approbatae fuerunt (1), nec non in aliis aliorum Romanorum Pontificum sanctionibus interdictum habetur, ut nulli omnino libri aut scripta evulgentur, nisi antea Ecclesiastica auctoritate examinati probatique sint. Jamvero scribendi legendique aviditas, et librorum, maxime autem ephemeridum numerus nostra hac aetate ita in dies augetur, ut jam Ecclesiasticis Censoribus perdifficile evaserit ipsos omnes ea, qua par est, maturitate expendere; et latior etiam patuerit via illorum fraudibus, qui doctrinas perversas, et sacrae publicaeque rei noxias disseminare committuntur pagellis et parvis praesertim libris clandestine editis, quorum porro improbitas eo majorem inducit fidelium offensionem et scandalum, quod ad vigentium Canonum tramites perpensi reputantur riteque probati. Haec Nos serio considerantes, et nonnullis VV. FF. Nostris S. E. R. Cardinalibus in consilium

(1) *In Const. Dominici gregis 24 Martii 1564.*

adhibitis, habentesque ob oculos Decretum Sessionis IV Concilii Tridentini, ubi peculiare sanctiones leguntur circa editionem et evulgationem Librorum de rebus sacris, deliberavimus mitigare aliqua ex parte alias supra memoratas Regulas, ut ita Ecclesiastici Censores diligentius satisfacere valeant officio suo arctioribus limitibus definito, nec facile deinceps contingat ut ipsorum iudicio probata omnino videantur, quae ex parte saltem eorum censurae fraudulenter subtracta sunt, vel ab eisdem haud satis diligenter examinari potuerant. Itaque motu proprio, et Apostolica Nostra Auctoritate Decretum Concilii Lateranensis, et caeteras supradictas sanctiones moderando et declarando decernimus, atque permittimus, ut posthac, et donec aliter ab hac Apostolica Sede statuatur, Censores Ecclesiastici in locis temporali Nostrae Ditioni subditis de iis tantum solliciti sint, quae Divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicam, aliasque huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generatim de omnibus, in quibus Religionis, vel morum honestatis speciatim intersit. Juxta haec igitur statuimus atque permittimus ut in omni Ephemeridum et Librorum genere illi dumtaxat sine praevia Ecclesiastica Censura edi nequeant, qui moralis aut religiosi, uti diximus, argumenti sint; in caeteris vero ii tantum articuli, qui simile argumentum habeant, vel causam ipsam Religionis aut morum honestatis proxime attingant. Verum Nostrae huius permissionis obtentu nemini unquam licebit evulgare iterum, et ne in aliam quidem linguam conversos edere libros,

et scripta illa , quae praecedentibus Ecclesiasticae Auctoritatis decretis damnata et prohibita sint, aut in posterum prohibebuntur. Si quis autem scripta vel libros hujusmodi denuo ediderit aut evulgaverit, vel aliter in iis, quae Nostris hisce Litteris permissa non sunt, supradictas Canonum Sanctaeque hujus Sedis sanctiones violaverit, in posterum pariter illis tenebitur censuris et poenis, quae anterioribus ipsis sanctionibus statutae sunt. Nos enim easdem sanctiones in omnibus, in quibus a Nobis derogatum illis non est, firmas esse volumus, et Apostolica iterum Auctoritate roboramus. Confirmamus etiam nominatim pecuniariam poenam indictam in commemorato Decreto Concilii Lateranensis V ; quam tamen eatenus mitigamus, ut gravioribus quoque in casibus summam centum Scutatorum nummum communis nunc Romanae monetae non excedat : atque ipsam in pios usus prudenti Episcopi cujusque arbitrio erogandam mandamus.

Haec sunt VV. FF., Dilecti Filii, quae circa pagellarum , librorumque editionem in hac conditione temporum statuenda censuimus. Interea Deum misericordiarum ac luminum Patrem orare suppliciter non intermittimus, ut Vobis Nobisque ipsis adsit semper propitius in abundantia gratiae, et curis benedicat, quibus Religionis, bonorumque morum causam tueri et graviora ab his pericula amovere connitimur. Ac Nostrae pignus studiosissimae caritatis Apostolicam Benedictionem Vobis ipsis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die II Junii Anno MDCCCXLVIII. Pontificatus Nostri anno Secundo.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE III IVLII ANNI MDCCCXLVIII.

VENERABILES FRATRES

Probe noscitis, Venerabiles Fratres, Nos de universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer sollicitos, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio illustria rec. mem. Gregorii XVI Praedecessoris Nostri vestigia sectantes intentissimo quidem studio curas omnes cogitationesque Nostras convertisse ad sanctissimae nostrae religionis res in amplissimis Serenissimi ac Potentissimi Russiarum Imperatoris et Poloniae Regis Illustris dominiis componendas. Hinc, veluti scitis, Venerabilem Fratrem Nostrum Aloisium Episcopum Portuensem, S. Rufinae, et Centumcellarum S. R. E. Cardinalem Lambruschini singulari pietate, prudentia, doctrina, et in ecclesiasticis negotiis peragendis peritia spectatum plena potestate munivimus, eique in tanti momenti re Adjutorem dedimus Dilectum Filium Joannem Corboli Bussi Antistitem Nostrum Domesticum, ut cum Nobili Viro Comite de Bloudoff ab ipso Serenissimo Principe ad Nos cum liberis mandatis extra ordinem Legato, ac Nobili item Viro Comite de Bouténeff ejusdem Principis apud Nos et hanc Apostolicam Sedem Legato Extraordinario et Ministro Plenipotentiariorum de variis, maximisque Ecclesiae in va-

stissimo illo Imperio rebus tractationem susciperet, quo Nos facilius et catholicae religionis statum illic in meliorem conditionem adducere, et dilectarum illarum ovium saluti consulere possemus. Jam vero hodierno die Vobis annuntiamus quos fructus, Deo bene juvante, sollicitudinesque curaeque Nostrae in tanto Catholicae Ecclesiae negotio sint consequutae. Ac primum summam animi Nostri consolationem Vobiscum partimur, Venerabiles Fratres, quod in hoc ipso Consistorio nonnullas in illo Imperio latini ritus Ecclesias diuturna viduitate misere afflictas recreare, easque idoneis Pastoribus concedere valeamus, et quamprimum alias quoque tum in Imperio ipso, tum in Poloniae Regno diu vacantes Ecclesias suis Antistitibus instruere poterimus, qui commissum sibi gregem ad salutis semitam deducere contendant. Constitutum autem est, ut in urbe Chersoneso nova erigatur Episcopalis Sedes, quae suum habeat Canonorum Collegium, et Seminarium ad Concilii Tridentini normam, ac Suffraganeum in Civitate Saratovia; utque sex aliae Dioeceses latini item ritus in illo Imperio jam existentes novis circumscribantur limitibus, quemadmodum clare aperteque cognoscetis ex Apostolicis Litteris, quas hac super re, ut moris est, edi mandavimus. Quod enim attinet ad Dioeceses in Poloniae Regno sitas, nullam illae immutationem patiuntur, propterea quod statutum fuit, Apostolicas Litteras a fel. rec. Pio VII Decessore Nostro die trigesima Junii anni millesimi octingentesimi decimi octavi editas esse servandas. Orni quidem studio curavimus, ut Episcopis in suis Dioecesibus integra sit ecclesiasticarum rerum procuratio, quo ipsi pro

pastoralis muneris debito et Catholicam Fidem tueri, et Ecclesiasticam disciplinam fovere, et Fideles ad religionem et pietatem formare, eorumque mores continere, et juvenes ac praesertim illos, qui in sortem Domini vocati sunt, ex sapientissimis aequae ac providentissimis Tridentinae Synodi praescriptis ad omnem virtutem mature fingere, rebusque optimis instituere, sanisque doctrinis imbuere, et Ecclesiasticam Academiam moderari, eique sedulo advigilare possint. Cum autem in illo Imperio quamplurimi diversorum rituum Catholici existant, nemo certe ignorat, eosdem, dum proprio sui ritus Episcopo careant, ad Latini Antistitis jurisdictionem pertinere, a quo et a presbyteris ab ipso probatis illi et divina sacramenta, et spiritualia subsidia excipiant oportet. Itaque cum in Camenecensi Dioecesi, nec non in nova Dioecesi Chersonensi magnus sit Armeniorum Catholicorum numerus, qui Catholico proprii ritus Antistite orbatii sunt, haud omisimus spiritualibus illorum indigentis peculiari aliqua ratione prospicere. Siquidem sancitum est, ut non solum illis aptentur quae in capite nono Concilii Lateranensis quarti praescripta sunt, donec suum non habuerint Episcopum, verum etiam ut iidem Antistites Camenecensis et Chersonensis Armeniorum clericorum numerum statuunt, qui in sua Seminaria excipi, ibique a catholico Armenio Presbytero sedulo institui debent.

Atque singula commemorare praetermittimus quae plenius perspicere poteritis in variis Conventi articulis, quos una cum hac Nostra Allocutione in lucem edendos existimavimus. Quos quidem articulos Nobis probari declaravimus, antequam Potentissimus Russiarum Im-

perator et Poloniae Rex sibi illos acceptos esse significaret, quandoquidem de prona ac benevola ipsius Serenissimi Principis voluntate certiores facti dubitare non poteramus, quin Ipse illos suo quoque consensu muniret, quemadmodum re quidem vera evenisse laetamur.

Habetis, Venerabiles Fratres, quid pro Catholicae Ecclesiae rebus in Russiaco Imperio componendis inceptum actumque a Nobis fuerit. Multa quidem alia et maximi sane momenti ad optatum exitum adducenda supersunt, quae a Plenipotentariis in tractatione perfici haud potuere, ac Nos vehementissime sollicitant et angunt, cum ad Ecclesiae libertatem, jura, rationes, et ad illorum Fidelium salutem summo pertineant. Etenim hic loquimur, Venerabiles Fratres, de vera et plena libertate illis Fidelibus tribuenda, ut in rebus ad religionem spectantibus cum hac Apostolica Sede catholicae unitatis et veritatis centro, omniumque Fidelium matre ac magistra, sine ullo impedimento communicare possint: et quantus in hac re sit animi Nostri dolor quisque vel facile intelligit ex iteratis reclamationibus, quas variis temporibus haec Apostolica Sedes, ob hanc liberam Fidelium communicationem agere nunquam intermisit, etiam circa alias regiones, ubi communicatio ipsa cum non levi animarum detrimento in nonnullis religionis negotiis impeditur. Loquimur de bonis Clero restituendis; loquimur de laica persona per Gubernium electa ab Episcoporum Consistoriis amovenda, ut Episcopi in hujusmodi conventibus omni libertate fruantur; loquimur de lege, qua ibi mixta conjugia uti valida non agnoscuntur; nisi postquam nuptiis

ipsis acatholicus Praesbyter Graeco-Russus benedixerit; loquimur de libertate, qua Catholici pollere debent ut matrimoniales eorum causae in mixtis conjugiiis a catholico Tribunali ecclesiastico expendantur et judicentur; loquimur de variis legibus ibi editis, quibus et religiosae professionis aetas fuit praefinita, et scholae in Religiosorum Ordinum familiis sunt penitus sublatae, et Provinciales Moderatores omnino amoti, et conversio ad catholicam religionem praepedita atque interdicta. Atque ingens Nos quoque urget sollicitudo de tot carissimis Nobis filiis inclytæ Ruthenae nationis, qui (proh dolor!) ob infandam, et nunquam satis lugendam quorundam Antistitum ab hac Romana Ecclesia defectionem per vastissimas illas regiones miserandum in modum dispersi in luctuosissima sane conditione, et summo aeternae salutis discrimine versantur, cum careant propriis catholicis Episcopis qui illos regere, et ad salutaria pascua, atque ad justitiae semitas ducere, et spiritualibus auxiliis roborare, atque ab inimicorum hominum fallaciis, fraudibus, insidiis defendere possint. Quae sane omnia ita animo Nostro penitus haerent infixæ, ut cum Dei gratia nullam sollicitudinis studiique partem omissuri simus, quo tam gravibus Ecclesiae sanctae rebus occurrere valeamus. Neque animum despondemus. Namque idem Nobilis Vir Comes de Bloudoff ex hac urbe decedens Petropolim rediturus luculentissimis verbis Nobis est pollicitus, se ad Imperialem et Regiam Majestatem Suam Nostra desideria et expostulationes esse delaturum, ac de illis magna saltem ex parte curam habiturum, et

coram ea omnia declaraturum, quae absens haud facile explicare potuisset.

Nuper autem summa animi Nostri laetitia cognovimus, ipsum Serenissimum Principem consensisse, ut novus Chersonensis Episcopus alterum quoque Suffraganeum habeat; atque insuper ut matrimoniales et aliae ecclesiasticae causae tum in Russiarum Imperio, tum in Poloniae Regno in posterum agenda, post primam sententiam a proprio Ordinario latam, in secundò jurisdictionis gradu vel ad cujusque Metropolitanæ Tribunal ut moris est, vel si ab ipso Metropolitano in prima instantia judicatae fuerint, ad viciniorem deducantur Episcopum peculiaribus in id facultatibus ad congruum tempus duraturis ab hac Apostolica Sede instruendum; ac denique ut in ulterioribus appellationibus omnes eadem causae ad ipsam Apostolicam Sedem in hac alma Urbe deferantur. Neque minori certe gaudio ex recentibus nuntiis, qui ab illa Imperiali et Regia Aula ad Nos pervenerant, accepimus, eundem Serenissimum Principem in aliis quoque commemoratis negotiis serio se occupare, ac porro spem affulgere fore, ut illa felici exitu conficiantur. Itaque majori spe sustentamur fore, ut ipse Serenissimus ac Potentissimus Princeps pro Sua aequitate, justitia, prudentia atque excelsi animi magnitudine justissimis Nostris desideriis ac postulationibus obsecundet, quo Vobis quamprimum annuntiare possimus omnia quaeque ad Catholicam Ecclesiam in illis dominiis pertinentia ad optatissimum exitum adducta fuisse.

Et quoniam deploranda Ruthenorum conditio paternum animum Nostrum vel maxime excruciat atque

sollicitat, idcirco iterum iterumque profitemur, Nos pro Apostolici Nostri ministerii officio nihil intentatum unquam esse relicturos, ut tot tantisque spiritualibus illorum indigentis opportuna ratione subvenire valeamus. Dum autem ea spe nitimur fore, ut Latini Presbyteri summa cura et industria carissimis illis filiis spiritualia subsidia praebere contendant, ipsos Ruthenos intimo Nostri cordis affectu in Domino amantissime ac studiosissime hortamur moneamus, ut in Catholicae Ecclesiae unitate stabiles atque immoti persistent; ac si ab ea exciderint, ad amantissimae matris sinum redeant, atque ad Nos confugiant, qui Deo bene juvante parati sumus ad ea omnia praestanda, quae ad aeternam eorum salutem conducant.

Interim vero ne desinamus unquam, Venerabiles Fratres, enixis humilibusque precibus clementissimum bonorum omnium largitorem Deum orare et obsecrare, ut in abundantia divinae suae gratiae Nostris curis, studiis, consiliis propitius adesse dignetur, quae ad spirituales omnium fidelium utilitatem, atque ad sanctissimae suae religionis bonum et incrementum unice spectant, in qua tutissimum etiam ac solidissimum Regnorum et publicae Populorum tranquillitatis et prosperitatis praesidium est collocatum.

ARTICLES CONVENUS

Les soussignés Plénipotentiaires du Saint Siège et de Sa Majesté l'Empereur de toutes les Russies, Roi de Pologne, après avoir échangé leurs plein-pouvoirs respectifs, ont discuté et examiné dans plusieurs réunions les divers points de la négociation commise à leurs soins. Ayant obtenu un résultat sur plusieurs de ces points, tandis qu'il en reste d'autres sur lesquels on attend encore un arrangement, et sur lesquels les Plénipotentiaires de Sa Majesté l'Empereur s'engagent à appeler de nouveau toute l'attention de leur Gouvernement; on est convenu des deux parts qu'en se réservant de formuler dans un acte séparé les points qui formeront l'objet d'explication et négociations ultérieures entre le Ministère du Saint Siège et l'Envoyé de Sa Majesté Impériale à Rome, on fixerait dans le présent Protocole le souvenir des résultats auxquels on est arrivé, et qui de ces négociations ultérieures attendent leur complément. Par conséquent dans les séances du 19, 22 et 25 Juin, et 1 Juillet on les a formulés dans les Articles suivants.

I.

Le nombre des Diocèses Catholiques-romains dans l'Empire de Russie est fixé à sept: un Archevêché et six Evêchés, savoir:

1. L'Archidiocèse de Mohilow embrassant toutes les parties de l'Empire qui n'entrent pas dans les

ARTICVLI DE QVIBVS CONVENTVM EST

Subscripti Plenipotentiarü S. Sedis, et Majestatis Suae Imperatoris Russiarum, Poloniae Regis, postquam eorum libera mandata invicem permutaverunt, pluribus in sessionibus varia considerarunt et perpenderunt capita tractationis eorum curis commissae: et cum super pluribus hujusmodi capitibus finem aliquem assequuti fuerint, et alia restent adhuc componenda, super quibus iidem Plenipotentiarü Majestatis Suae Imperatoris spondent, se omnem Gubernü sui considerationem esse revocaturos, conventum est ex utraque parte, ut firma remanente conditione redigendi in actu separato capita, quae novis disquisitionibus, ac tractationibus inter S. Sedis Administros et Majestatis Suae Imperialis Legatum in hac urbe materiam suppeditabunt, designentur in praesenti pactorum summa, res quae huc usque constitutae sunt, quaeque post hujusmodi ultiores tractationes inceptam negotiationem perficient. Quocirca in Sessionibus dierum 19, 22, et 25 Junii, et 1 Julii redacti sunt articuli sequentes.

1.

In Russiarum Imperio septem statuuntur Dioeceses Catholicae Romanae: Archiepiscopatus unus, Episcopatus sex, nempe:

1. Archidioecesis Mohilowiensis amplectens omnes Imperii partes, quae non continentur in sex Dioece-

six Diocèses ci-dessous nommés; le Grand Duché de Finlande y est également compris.

2. Le Diocèse de Vilna comprenant les Gouvernemens de Vilna et Grodno tels qu'ils sont actuellement délimités.

3. Le Diocèse de Telsce ou Samogitie comprenant le Gouvernement de Courlande et celui de Kovno, tels qu'ils sont délimités actuellement.

4. Le Diocèse de Minsk comprenant le Gouvernement de Minsk dans ses limites actuelles.

5. Le Diocèse de Loutzk et Zitomir composé des Gouvernemens de Kiew et de Volhynie dans leur limites actuelles.

6. Le Diocèse de Kaméniéck comprenant le Gouvernement de Podolie dans ses limites actuelles.

7. Le nouveau Diocèse de Kherson composé de la province de Bessarabie, des Gouvernemens de Kherson, d'Ekatéroslaw, de Saratoff, de Tauride, et d'Astrakhan, et des contrées situées dans le Gouvernement général du Caucase.

II.

La Bulle de circonscription fixera l'étendue et les limites des Diocèses telles qu'elles sont indiquées dans l'Article précédent.

Les Décrets d'exécution contiendront le dénombrement et la dénomination des paroisses de chaque Diocèse. Ils seront soumis à la sanction du Saint Siège.

sibus infra nominatis; Magnus Finlandiae Ducatus in ea pariter continetur.

2. *Dioecesis Wilnensis complectens Gubernia Wilnae, et Grodni cum iis limitibus, quibus in praesens circumscribuntur.*

3. *Dioecesis Telscae, seu Samogitiensis complectens Gubernia Curlandiae, et Kowni intra limites, quibus nunc praefiniuntur.*

4. *Dioecesis Minscensis complectens Gubernium Minscae cum suis hodiernis limitibus.*

5. *Dioecesis Luceorina, et Zytomeriensis constans Guberniis Kieviae, et Volinae cum suis hodiernis limitibus.*

6. *Dioecesis Camenecensis complectens Gubernium Podoliae cum suis praesentibus finibus.*

7. *Nova Dioecesis Chersonensis, quae constat Provincia Bessarabiae, Guberniis Chersonesi, Ekaterinoslaw, Tauridis, Saratoviae et Astracani, et regionibus positis in generali Gubernio Caucasi.*

II.

Apostolicae Litterae sub plumbo statuent amplitudinem, et limites Dioecesium veluti in praecedenti articulo indicantur.

Decreta executionis complectentur numerum, et nominationem Paroeciarum cujusque Dioecesis, ac Sanctae Sedis sanctioni subjicientur.

III.

Le nombre des Suffraganés institués par la Bulle du Pape Pie VI de l'année 1798 dans les six anciens diocèses est maintenu.

IV.

A' Saratoff il y aura un Suffraganés du nouvel Evêché de Kherson.

V.

L'Evêque de Kherson jouira d'un traitement de 4480 roubles argent. Son Suffragant recevra un traitement égal à celui des autres Evêques Suffragants de l'Empire, savoir 2000 roubles argent.

VI.

Le Chapitre cathédral de Kherson sera composé de neuf membres, savoir : (a) deux Prélats ou Dignitaires, le Prévôt, et l'Archidiacre, (b) quatre Chanoines, dont trois exerceront les fonctions de Théologien, de Pénitencier et de Curé et (c) trois Mansionnaires ou Bénéficiers.

VII.

Il y aura dans le nouvel Evêché de Kherson un Séminaire Diocésain: 15 à 25 élèves y seront entre-

III.

Numerus Suffraganeatum, quæ Apostolicis Litteris Pii VI anno 1798 sub plumbo datis statuti sunt, in sex veteribus Dioecesibus servatur.

IV.

In urbe Saratowia erit Suffraganeatus novi Episcopatus Chersonensis.

V.

Episcopus Chersonensis annum habebit censum quatuor millium quadrigentorum octoginta rublorum argenteorum. Ejus Suffraganeus eadem fruatur dote, qua alii Episcopi Suffraganei in Imperio potiuntur, scilicet bismille rublorum argenteorum.

VI.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Chersonensis novem constabit ecclesiasticis Viris nempe: (a) duobus Praesulibus seu Dignitatibus Praeposito, et Archidiacono; (b) quatuor Canonicis, quorum tres Theologi, Poenitentarii, et Parochi muneribus fungentur: et (c) tribus Mansionariis seu Beneficiariis.

VII.

In novo Chersonensi Episcopatu erit Dioecesanum Seminarium: ibi quindecim usque ad viginti quinque Alu-

tenus aux frais du Gouvernement comme les boursiers des autres Séminaires.

VIII.

En attendant la nomination d'un Evêque Catholique du rit Arménien, on pourvoira aux besoins spirituels des Arméniens Catholiques, résidant principalement dans les Diocèses de Kherson et de Kaméniéck en leur appliquant les dispositions du § 9 du Concile de Latran de 1215.

IX.

Les Evêques de Kaméniéck et de Kherson auront à déterminer le nombre des Clercs arméniens catholiques, qui doit être entretenu aux frais du Gouvernement dans leurs Séminaires respectifs. Il y aura dans chacun de ces Séminaires un prêtre arménien catholique pour instruire les élèves de ce rit dans les cérémonies de leur culte.

X.

Toutes les fois que les besoins spirituels des Catholiques-romains et arméniens du nouvel Evêché de Kherson pourront l'exiger, l'Evêque en outre des moyens employés jusqu'ici pour subvenir à ces besoins enverra des prêtres en tournée exprès pour cet objet : et le Gouvernement Impérial accordera les sommes nécessaires à leur voyage et à leur entretien.

mni alentur Gubernii impendiis, veluti qui in aliis Seminariis pensione fruuntur.

VIII.

Donec Episcopus Catholicus Armenii ritus nominabitur, spiritualibus Armeniorum Catholicorum in Diocesisibus praesertim Chersonensi et Camenecensi degentium necessitatibus consulatur, iis aptando regulas Cap. 9. Concilii Lateranensis an. 1215.

IX.

Episcopi Camenecensis et Chersonensis statuent numerum Clericorum Armeniorum catholicorum, qui in eorum Seminariis Gubernii impendiis ali debent. In unoquoque ex dictis Seminariis aderit Presbyter Armenius catholicus, ut alumnos Armenios proprii ritus caerimoniis erudiat.

X.

Quoties spirituales Catholicorum Romanorum et Armeniorum novi Episcopatus Chersonensis necessitates postulaverint, Episcopus praeter modos huc usque adhibitos, ut hujusmodi occurratur necessitatibus, ob hanc causam Presbyterorum expeditionibus seu missionibus utetur, et Imperiale Gubernium eam pecuniae vim supeditabit, quae illorum itineri, et victui fuerit necessaria.

XI.

Le nombre des Diocèses dans le Royaume de Pologne reste tel qu'il a été fixé par la Bulle du Pape Pie VII en date du 30 Juin 1818. Rien n'est changé au nombre et à la dénomination des Suffraganés existans dans ces Diocèses.

XII.

La désignation des Evêques pour les Diocèses et les Suffraganés de l'Empire de Russie et du Royaume de Pologne aura lieu chaque fois d'après un concert préalable entre l'Empereur et le Saint Siège. L'institution canonique leur sera accordée par sa Sainteté dans les formes ordinaires.

XIII.

L'Evêque est seul juge et administrateur des affaires ecclésiastiques de son Diocèse, sauf sa dépendance canonique du S. Siège.

XIV.

Au nombre des affaires qui doivent être préalablement soumises aux délibérations du Consistoire Diocésain sont:

XI.

Dioecesium numerus in Poloniae Regno servatur quemadmodum praefinitus fuit in Apostolicis Litteris Pii VII diei 30 Junii anni 1818. Nihil immutatur quod ad numerum, et denominationem Suffraganeatum harum Dioecesium pertinet.

XII.

Designatio Episcoporum pro Dioecibus, et pro Suffraganeatibus Imperii Russiarum et Poloniae Regni per singulas vices locum habebit, consiliis ante habitis inter Imperatorem et S. Sedem. Institutio canonica ipsa a Romano Pontifice dabitur juxta consuetum morem.

XIII.

Episcopus est solus judex et administrator negotiorum ecclesiasticorum suae Dioecesis, salva tamen subjectione canonica Sanctae Apostolicae Sedi debita.

XIV.

Negotia, quae antea subjici debent deliberationibus Consistorii Dioecesanii, sunt

I. *Concernant les Ecclésiastiques du Diocèse*

(a) Les affaires disciplinaires en général (toutes-fois celles moins importantes, qui n'entraînent que des peines légères, moindres que la destitution, ou une détention plus ou moins prolongée, sont décidées par l'Evêque, sans l'avis préalable du Consistoire, sauf à lui, s'il le juge à propos, de consulter le Consistoire sur ces sortes d'affaires ainsi que sur toutes les autres).

(b) les affaires contentieuses entre ecclésiastiques, touchantes les propriétés tant mobilières qu'immobilières des Eglises.

(c) les plaintes et réclamations contre des membres du Clergé portées, soit par des Ecclésiastiques, soit par des laïques pour injures ou dommages, ou pour l'inexécution d'engagemens non contestés en droit ni en fait, lorsque le réclamant préfère cette voie pour obtenir satisfaction.

(d) les causes de nullité des voeux monastiques; elles seront examinées et jugées d'après les règles établies par la Bulle de Benoit XIV „ *Si datam* „.

II. *Concernant les laïques*

(e) les causes matrimoniales: les vérifications de la légitimité des mariages, les actes de naissance, les actes baptistaires, de décès, etc.

I. De Viris Ecclesiasticis Dioecesis

(a) *Negotia ad disciplinam generatim pertinentia (ea tamen minoris momenti, quae leves secum trahant poenas, destitutione, vel detentione plus minus diuturna minores, ab Episcopo decernuntur, inconsulto Consistorio, plena eidem Episcopo relicta libertate consulendi, si opportunum ei videbitur, Consistorium idem tum de hujusmodi, tum de ceteris negotiis).*

(b) *Negotia inter ecclesiasticos contentiosa, quae Ecclesiarum proprietates tum mobiles, tum immobiles attingunt.*

(c) *Querelae, reclamaciones contra Ecclesiasticos vel ab Ecclesiasticis, vel a Laicis delatae ob injurias vel damna, vel propter obligationes haud servatas ac minime dubias tum in jure, tum in facto, cum tamen actor hanc praeferat viam ut sua tueatur jura.*

(d) *Causae nullitatis votorum monasticorum; ipsae perpenduntur et judicabuntur juxta regulas statutas in Apostolicis Litteris Benedicti XIV « Si datam »*

II. Quantum ad Laicos

(e) *Causae matrimoniales, probationes legitimitatis matrimoniorum, acta nativitatis, acta baptizatorum, et defunctorum, etc.*

III. *Mixtes*

(f) les cas où il est nécessaire d'imposer une pénitence canonique pour crime, contravention ou délit quelconques jugés par les tribunaux séculiers.

IV. *Economique*

(g) Détermination ou budget préalable des sommes affectées à l'entretien du Clergé ; contrôle des dépenses, comptes rendus de ces sommes, affaires concernant la réparation ou la construction de nouvelles Eglises, Chappelles, etc. En outre le Consistoire est chargé de dresser les listes des Ecclésiastiques et des paroissiens du Diocèse, de l'envoi des circulaires et autres publications qui ne concernent pas les affaires administratives du Diocèse.

XV.

Les affaires précitées sont décidées par l'Evêque après avoir été examinées dans le Consistoire, dont le caractère néanmoins demeure purement consultatif. L'Evêque n'est pas tenu de motiver ses décisions, même dans les cas où son opinion serait différente de celle de son Consistoire.

XVI.

Toutes les autres affaires du Diocèse qualifiées *d'administratives* et dans lesquelles rentrent les cas

III. Mixta

(f) *Casus in quibus necesse est infligere poenitentiam canonicam ob crimen, ob ordinationum poenitentiam violationem (contravention), vel ob delictum quodcumque, de quibus a laicis Tribunalibus lata est sententia.*

IV. Oeconomica

(g) *Praescriptum vel praevia nota summarum, quae Clero sustentando destinantur, examen expensarum, ratio de his summis reddita, negotia quae Templorum, Aedicularum etc. instaurationem vel aedificationem respiciant. Praeterea Consistorii erit formare indices Ecclesiasticorum, et Paroecianorum Dioecesis, mittere encyclicas litteras, aliaque scripta, quae non spectent negotia administrationis Dioecesis.*

XV.

Negotia praedicta decernantur ab Episcopo postquam a Consistorio examinata fuerint, quod tamen consultationis partes tantummodo retinet. Episcopus minime tenetur afferre rationes suae sententiae illis etiam in casibus, in quibus ejus opinio ab illa Consistorii discreparet.

XVI.

Cetera Dioecesis negotia, quae administrationis nomen habent, et in quibus continentur casus conscien-

de conscience, de for intérieur, et même, ainsi qu' il est dit plus haut, ceux de discipline qui n'importeraient que des pénitences légères , ou des exhortations pastorales, ressortent immédiatement de l'autorité et de la décision spontanée et exclusive de l'Evêque.

XVII.

Tous les membres du Consistoire sont Ecclesiastiques. Leur nomination et leur démission dépendent de l'Evêque. Les nominations se font avec l'agrément du Gouvernement. Dans le cas où l'Evêque dans sa conscience jugerait nécessaire d'éloigner un des membres du Consistoire, il lui désignera de suite un successeur également avec l'agrément du Gouvernement.

XVIII.

Le personnel de la Chancellerie du Consistoire sera confirmé par l'Evêque sur la présentation du Secrétaire du Consistoire.

XIX.

Le Secrétaire de l'Evêque chargé de sa correspondance officielle et particulière, est nommé directement et immédiatement par l'Evêque; il pourra être, à son gré, pris parmi les Ecclesiastiques.

tiae, fori interni, itemque uti supra dictum est, casus disciplinae, levibus dumtaxat poenis, aut pastoralibus exhortationibus obnoxii ab auctoritate, et a sententia spontanea Episcopi unice pendent.

XVII.

Omnes Consistorii Viri sunt ecclesiastici; eorum nominatio, et dimissio ab Episcopo pendent; nominationes ita fiunt ut Gubernio haud ingratae sint. Si Episcopus ex suae conscientiae monitu opportunum duceret aliquem a Consistorio remove, statim alium in ejus locum sufficiet Gubernio pariter haud ingratum.

XVIII.

Personae Curiae Consistorii ab Episcopo confirmantur ad praesentationem Secretarii Consistorii.

XIX.

Secretarius Episcopi, cui minus demandatum de commercio Litterarum officialium, et peculiarium ab Episcopo directe et immediate nominatur; is pro ejusdem Episcopi arbitrio ex Viris ecclesiasticis eligi poterit.

XX.

Les fonctions des membres du Consistoire cessent à la mort ou à la démission de l'Évêque, ainsi qu'à l'expiration de l'administration du Siège vacant. Si l'Évêque vient à mourir ou à donner sa démission, son successeur ou celui qui le remplace temporairement (soit qu'il eut un coadjuteur *cum futura successione*, soit que le Chapitre procède à l'élection d'un Vicaire Capitulaire dans les termes fixés par les Canons de l'Église) recomposera immédiatement le Consistoire, toujours, comme il est dit plus haut, avec l'agrément du Gouvernement.

XXI.

L'Évêque a la direction suprême de l'enseignement, de la doctrine et de la discipline dans tous les Séminaires de son Diocèse d'après les règles établies par le Concile de Trente Chap. XVIII. Session XXIII.

XXII.

Les choix des Recteurs, Inspecteurs, Professeurs ou Maîtres, pour les Séminaires Diocésains, sont réservés à l'Évêque. Avant de les nommer il s'assurera que sous le rapport de leur conduite civile ces choix ne feront pas naître d'objection de la part du Gouvernement. Dans le cas où l'Évêque jugerait nécessaire d'éloigner soit le Recteur ou l'Inspecteur, soit un des Professeurs ou Maîtres, il lui désigne de suite, et de la même manière, un Successeur.

XX.

Munera Virorum Consistorii cessant ubi Episcopus ex hac vita migraverit, vel Episcopatum dimiserit, aequae ac ubi finem habuerit administratio Sedis vacantis. Si Episcopus diem supremum obeat, vel ab Episcopatu se abdicet, illius Successor, vel qui pro tempore illius locum tenet (sive Coadjutorem habeat cum futura successione, sive Capitulum eligat Vicarium Capitularem ad sacrorum Canonum normam) statim Consistorium iterum constituet, quod semper, ut supra dictum est, Gubernio haud ingratum sit.

XXI.

Episcopus supremum habet moderamen in docendi rationem, in doctrinam, in disciplinam omnium suae Dioecesis Seminariorum juxta praescripta a Concilio Tridentino Cap. XVIII. Sess. XXIII.

XXII.

Electiones Rectorum, Inspectorum, Professorum, et Magistrorum pro Dioecesis Seminaris Episcopo reservantur. Antequam eos nominet certior fieri debet, hujusmodi electiones, quod ad civilem vivendi rationem, haud praebere Gubernio objiciendi locum. Cum Episcopus necessarium duxerit amovere Rectorem, vel Inspectorem, vel aliquem ex Professoribus, aut Magistris, statim illis eadem ratione successorem dat. Ipse

Il est libre de suspendre temporairement un ou plusieurs cours d'études, dans son Séminaire. Dans le cas où il croirait indispensable de suspendre tous les cours à la fois et de renvoyer les élèves à leurs parents, il aura à en informer sans délai le Gouvernement.

XXIII.

L'Archévêque Métropolitain de Mohilow exerce sur l'Académie Ecclesiastique de Saint Pétersbourg la même autorité, que chaque Evêque exerce sur son Séminaire Diocésain. Il en est le seul chef et le Directeur suprême, le Conseil ou la Direction de l'Académie n'a qu'un caractère purement consultatif.

XXIV.

Le choix du Recteur, de l'Inspecteur et des Professeurs de l'Académie sera fait par l'Archévêque sur le rapport du Conseil Académique. Les dispositions énoncées dans l'Article XXII s'appliquent également à ces choix.

XXV.

Les Professeurs et Adjoints des sciences théologiques sont toujours choisis parmi les Ecclésiastiques. Les autres Maîtres pourront être choisis parmi les laïques professants la religion Catholique-romaine, et de préférence parmi ceux qui auront achevé leur cours d'études dans un établissement supérieur d'instruction de l'Empire, et qui auront des grades Académiques.

libertate pollet intermittendi pro tempore unum, vel plura studiorum curricula in suo Seminario. Cum necessarium existimaverit intermittere omnes insimul studiorum cursus, et alumnos ad suos parentes mittere, continuo Gubernium instruet.

XXIII.

Archiepiscopus Metropolitanus Mohilowiensis exercet in Ecclesiasticam Academiam Petropolis eandem auctoritatem, quam quisque Episcopus in proprium Dioecesanum Seminarium exercet. Is unice ejusdem Academiae Caput, et supremus Moderator est. Coetus Consiliariorum, vel Moderatorum Academiae consultationis tantum partes habet.

XXIV.

Electio Rectoris, Inspectoris, et Professorum Academiae ab Archiepiscopo fiet ex relatione Consilii Academici. Quae in articulo XXII praescripta sunt hisce electionibus item aptantur.

XXV.

Professores, et Adjuncti scientiarum Theologicarum semper ex Ecclesiasticis Viris eliguntur. Alii Magistri eligi poterunt ex Laicis catholicam religionem Romanam profitentibus, iisque praehabitis, qui studiorum curriculum confecerint in aliquo majore Imperii Athenaeo, atque Academicos gradus fuerint consequuti.

XXVI.

Les Confesseurs des élèves des Séminaires et de l'Académie ne prendront aucune part à la direction disciplinaire de l'établissement; ils seront choisis et nommés par l'Evêque ou l'Archévêque.

XXVII.

Après la nouvelle circonscription des Diocèses l'Archévêque fixera une fois pour toutes avec l'avis des Ordinaires le nombre des élèves que chaque Diocèse pourra envoyer à l'Académie.

XXVIII.

Le programme des études sera fait pour les Séminaires par les Evêques. Pour l'Académie l'Archévêque le fera après en avoir conféré avec les membres de son Conseil Académique.

XXIX.

Lorsque le règlement de l'Académie ecclésiastique de saint Pétersbourg aura subi les modifications conformes aux principes dont on est convenu dans les articles précédentes, l'archevêque de Mohilow adressera concernant l'Académie susmentionnée un rapport au Saint Siège pareil à celui que fit l'Archévêque de Varsovie Khoromansky à l'occasion de la réorganisation de l'Académie Ecclésiastique de cette ville.

XXVI.

Conscientiae Moderatores alumnorum tum cujusque Seminarii, tum Academiae nullam sibi arrogant partem in dirigenda Instituti disciplina; ipsi eligentur, et nominabuntur ab Episcopo, vel Archiepiscopo.

XXVII.

Post novam Dioecesium circumscriptionem Archiepiscopus semel et in perpetuum cum Ordinariorum consilio statuet numerum alumnorum, qui ab unaquaque Dioecesi ad Academiam mitti poterunt.

XXVIII.

Programma studiorum pro Seminariis redigetur ab Episcopis. Pro Academia ab Archiepiscopo, postquam rem cum suo Academico Consilio contulerit.

XXIX.

Postquam regulae Academiae Ecclesiasticae Petropolis modificationes subierint conformes institutis, de quibus in praecedentibus Articulis conventum est, Archiepiscopus Mohilowiensis de ipsa Academia relationem ad S. Sedem mittet illi parem, quam Archiepiscopus Varsaviensis Khoromansky confecit, quum Academia ecclesiastica hujus civitatis fuit restituta.

XXX.

Partout où le *Jus patronatus* n'existe pas, ou se trouve temporairement suspendu, les curés sont nommés par l'Évêque avec l'agrément du Gouvernement à la suite d'un examen préalable et d'un concours entre les Candidats d'après les règles prescrites par le Concile de Trente.

XXXI.

La réparation des églises catholiques-romaines se fait librement aux frais des communes, ou des particuliers qui voudront s'en charger. Dans le cas où leurs ressources ne seraient pas suffisantes, ils pourront s'adresser au Gouvernement Impérial pour en obtenir les secours nécessaires. On avisera à construire des églises nouvelles et à augmenter le nombre des paroisses, toutes les fois que pourront l'exiger soit l'accroissement de la population, soit la trop grande étendue des paroisses existantes, et la difficulté des communications.

Fait à Rome le 3 Août 1847.

A. CARD. LAMBRUSCHINI L. COMTE DE BLOUDOFF-A. BOUTÉNEPF

XXX.

Ubioumque jus patronatus haud existit, vel pro tempore est intermissum, nominantur ab Episcopo Parochi Gubernio haud ingrati, praevio examine et concursu inter candidatos juxta regulas a Concilio Tridentino praescriptas.

XXXI.

Templa catholica romana libere reparantur aere Communitatum, vel privatorum hominum qui hujusmodi curam suscipere velint. Quotiescumque eorum vires haud sufficerent, Imperiale Gubernium adire poterunt, ut necessaria subsidia obtineant. Consilium capietur nova aedificandi templa, et paroeciarum numerum augendi quum id postulet vel populi incrementum, vel nimia existentium paroeciarum amplitudo, et communicationum difficultas.

Romae 3 Augusti 1847.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CIRCVMSCRIPTIO DIOECESIVM LATINI RITVS
IN IMPERIO RVSSIACO CONTINETVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Universalis Ecclesiae cura Nobis divinitus commissa postulat, atque efflagitat, ut omnem, qua late patet, christianum orbem paterna caritate complexi nullam Apostolicae Nostrae vigilantiae, et sollicitudinis partem unquam omittamus, quo in remotissimis quoque ab hac S. Sede regionibus Sanctissimae Nostrae religionis causae, ac spirituali fidelium prosperitati totis viribus consulamus, prout Dei gloriae, et animarum saluti magis expedire noverimus. Hinc ubi arcano Divinae Providentiae consilio in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nulla interposita mora paternum animum, studiumque Nostrum ad amplissimas Russiarum Imperii regiones convertimus, in quibus Divini Verbi praecones, latina quoque mittente Ecclesia, maximos labores, et gravissima quaeque pericula strenue constanterque perpessi, ac vel ipsam triumphalem martyrii lauream adepti salutiferam Christi fidem a vetustissimis usque temporibus primum annunciarunt, propagarunt, nihilque intentatum reliquerunt, quo illos populos de errorum tenebris ad catholicae veritatis lucem traderent. Itaque illustribus recol. mem. Gregorii XVI

Praedecessoris Nostri vestigiis insistentes cum Serenissimo ac Potentissimo Principe Nicolao I Russiarum Imperatore, et Poloniae Rege Illustri tractationem suscepimus, omnesque curas, et consilia adhibuimus, ut catholicae religionis statum in meliorem ibi conditionem adducere, ac sempiternae illorum fidelium saluti prospicere possemus. Etsi vero Deo bene iuvante multa quidem componere potuimus, in quibus ille Serenissimus Princeps prona et benevola voluntate Nostris desideriis obsecundavit, tamen plurima et gravissimi sane, maximique momenti ad optatum exitum adducenda supersunt, quemadmodum ex Consistoriali Nostra Allocutione hoc ipso die habita, ac typis edita clare aperteque patet. Cum autem praeter Dioeceses sitas in Poloniae Regno ejusdem Principis ditioni subjecto in vastissimo Russiarum Imperio sex latini Ritus existant Dioeceses, quarum fines fel. rec. Pius VI Deceptor Noster pro Apostolica Sua sollicitudine atque illorum fidelium bono constituendos curavit suis Apostolicis Litteris XV Kalendas Decembris Anno 1798 sub plumbo datis, quae incipiunt « *Maximi undique pressi* » tum Nos praesentem earundem Dioecesium Russiaci Imperii conditionem, et varia rerum, locorum, ac temporum adjuncta prae oculis habentes, in id curas Nostras intendimus, ut dilectae illae oves utiliore regimine, ac majoribus spiritualibus subsidiis perfrui possent. Quapropter inter cetera, quae statuta fuere, cautum est, ut commemoratae sex Dioeceses latini ritus in Russiaco Imperio jam existentes novis circumscribantur finibus, novusque Episcopatus latini item ritus cum duobus Suffraga-

neis in urbe Chersoneso erigatur, quo in vastissimis illis regionibus Episcopi in proprii gregis salutem procurandam facilius, et commodius incumbere valeant. Itaque rebus omnibus mature diligenterque perpensis, ac selecta Venerabilium Fratrum Nostorum S. R. E. Cardinalium Congregatione in consilium adhibita, in eam porro spem erecti fore, ut hujusmodi nova Dioecesium circumscriptio, novique Episcopatus institutio ad catholicae religionis bonum, et utilio rem rerum sacrarum procurationem conducatur, quorumcumque interesse habentium consensui, quoties opus fuerit, plenarie supplentes, aliisque omnibus etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine hisce Litteris constituimus, ut ex septem latini ritus commemoratis Dioecesibus in amplissimo Russiarum Imperio, una nempe Mohiloviensis Ecclesia Metropolitanum jus, et dignitatem, quibus jamdiu est insignita, retineat, aliae vero jam institutae scilicet Ecclesiae Vilmensis, Samogitiensis, Minscensis, Luceoriensis cum Zytomericensi conjuncta, Camenecensis, itemque Chersonensis Ecclesia nunc primum ut infra erigenda Episcopalem dignitatem, et jura habeant, ac suffraganeae sint ipsius Metropolitanae Ecclesiae Mohiloviensis. Ut autem recta earundem Dioecesium habeatur circumscriptio, quae in utilio rem rei sacrae procurationem cedat, praevia regionum, ac locorum omnium disjunctione huic novae divisioni necessaria, itemque quorumcumque interesse habentium consensui plene supplentes, aliisque omnibus quavis mentione, ac

derogatione dignis in contrarium minime obstantibus, quibus expresse derogamus, hujusmodi novam pro locorum et regionum statu, ac majore illorum fidelium utilitate, earumdem in Russiaco Imperio Ecclesiarum distributionem, ipsarumque divisionem per has Litteras de ejusdem Apostolicae potestatis plenitudine decernimus et constituimus juxta modum qui sequitur, videlicet:

Metropolitana Mohiloviensis Ecclesia amplectatur una cum magno Finlandiae-Ducatu eas omnes Russiaci Imperii partes, quae in aliis sex nominatis Diocesisibus non continentur.

Episcopalis Ecclesia Wilnensis eos habeat fines quibus Gubernia Wilnae, et Grodni vulgo Grodnow in praesentia circumscribuntur.

Episcopalis Ecclesia Samogitiensis iis constabit finibus, quibus Gubernia Curlandiae, et Konvi vulgo Kowno nunc praefiniuntur.

Episcopalis Ecclesia Minscensis hodiernis Gubernii Minscensis limitibus definietur.

Episcopalis Ecclesia Luccorina cum Zytomericensi conjuncta constabit limitibus quos Kioviae et Voliniae Gubernia in praesens habent.

Episcopalis Ecclesia Camenecensis definietur finibus, quos in praesentia Podoliae Gubernium habet.

Verumtamen volumus ut commemoratae nuper Ecclesiae, nempe Metropolitana Mohiloviensis, et aliae quinque in Russiaco Imperio jam existentes iisdem Suffraganeatibus omnino polleant, veluti antea potiebantur, firmo remanente illorum numero, denominatione ac residentia, quemadmodum in commemoratis fel. rec. Pii VI Decessoris Nostri Litteris statutum

fuit, iis tantum adhibitis immutationibus, quae ob novam earumdem Dioecesium circumscriptionem locum habere debent, quaeque Nostris hisce Litteris indicantur. Metropolitana Mohiloviensis tres Suffraganeatus retinet. Cum autem unus ex ipsis residentiam habebat in civitate Chioviensi, quae cum Dioecesi Luceorina, et Zytomericensi nunc fuit conjuncta, oportet, ut harum Litterarum Exsequutor pro hujusmodi Suffraganeatu in Dioecesi Mohiloviensi residentiam ab hac Apostolica Sede approbandam designet. Et quoniam Vlnensis Dioecesis quatuor pollebat Suffraganeatibus, quorum unus in Curlandia existebat, quae Samogitiensi Dioecesi fuit adjuncta, idcirco Vlnensis Dioecesis tres tantum in posterum habebit Suffraganeatus, quorum unus in ipsa urbe Vlnensi, alter in Trochensi, et tertius in Brestensi civitate residebit. Etsi vero Samogitiensis Dioecesis duos antea Suffraganeatus haberet, tamen cum Dioecesi ipsi Curlandia fuerit addita, tertius Suffraganeatus in ea Dioecesi erit constituendus, qui in Curlandia uti antea resideat. Hisce tantummodo peractis immutationibus, reliquae Dioeceses iisdem prorsus Suffraganeatibus potentur, quibus antea fruebantur. Volumus quoque ut singula earumdem Ecclesiarum Canonicorum Collegia eo pariter modo et forma perstent, qua ex iisdem Apostolicis Litteris constabilita fuere, atque omni sane studio inculcamus, ut in omnibus cujusque Cathedralis Templi Canonicorum Collegiis ex sacrorum Canonum praescripto duo Canonici existant, quorum alter Canonici Theologi, alter vero Canonici Poenitentiarum munus sedulo, scienter, ac religiose obire studeat, quemadmodum idem Decessor

Noster Pius VI in suis illis Litteris tantopere commendavit.

Jam vero cum Chersonensis civitas, quae totius Chersonensis Gubernii caput ad Pontum Euxinum sita et loci opportunitate, et agrorum ubertate, et incolarum frequentia, et maritimi portus commoditate, et aedificiorum multitudine ac pulchritudine, aliisque sane nominibus inter celebriora ad idem mare oppida merito numeretur, civitatem ipsam Episcopali dignitate decorandam esse existimavimus. Quapropter motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi eandem Chersonensem urbem in episcopalem Civitatem erigimus, et constituimus cum omnibus, et singulis juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, indultis, quibus aliae Episcopales Ecclesiae in Russiarum Imperio existentes canonice uti, frui, ac potiri solent. Ad hujus autem novi Episcopatus Chersonensis Dioecesim constituendam eadem auctoritate Nostra Apostolica hisce Litteris a cujusque seu Episcopatus, seu Vicariatus Apostolici territorio, jurisdictione, administratione, regimine perpetuum in modum sejungimus, distrahimus, separamus omnes regiones et loca intra Russiaci Imperii fines, non autem extra illos existentia tum Provinciae Georgiensis, tum Provinciae Bessarabiensis, itemque omnia territoria Guberniorum Chersonensis, Ekaterinoslaviensis, Tauridensis, Saratoviensis, Astracanicensis, ac regionum, quae una cum praedicta Georgiensi Provincia in generali Caucasi Gubernio Russiaco continentur, cum iis limitibus, quibus in praesentia commemoratae regiones et loca compre-

henduntur, atque omnia ipsa loca et regiones eidem Chersonensi Episcopatu attribuimus, subjicimus, ita ut illius in tempore Episcopus in eadem loca omnem episcopalem jurisdictionem, ut pastoralis ministerii munera libere ac licite exerceat, omnesque earumdem regionum, et locorum incolae eidem Chersonensi Antistiti in iis omnibus quae ad religionem pertinent parere debeant. Cum autem in praesentia brevioribus limitibus novus hic Episcopatus circumscribi minime potuerit, qui ceteroquin per vastissimas illas regiones longe lateque extenditur, ut meliori quo fieri potest, modo spiritualibus consulamus indigentibus eorum fidelium, qui ab Episcopali Sede longissime distant, atque ipsi Episcopo Chersonensi in amplissima Dioecesi regenda ac moderanda opportunum auxilium praebeamus, duos interea temporis Suffraganeatus ejusdem Chersonensis Episcopatus instituendos esse duximus. Quocirca eadem auctoritate Nostra Apostolica duos Suffraganeatus in novo Episcopatu Chersonensi hisce Litteris erigimus, statuimus, atque discernimus, quorum unus in civitate Saratovia residere debeat, alter vero nullam stabilem ac determinatam residentiam habens Chersonensis Episcopi lateri adhaerere debeat; ita tamen ut Episcopus ipse pro suo arbitrio ejusdem Suffraganei opera in propriae Dioeceseos procuratione uti, eumque tum ad Georgiensem Provinciam, tum ad alia quoque Chersonensis Episcopatus loca libere mittere possit, quemadmodum majori sui gregis bono et utilitati in Domino conducere existimaverit. Et quoniam in tanta Chersonensis urbis distantia haud facile possit cognosci, quod Templum divino cultui ibi dicatum Cathedralis

juribus ac dignitate prae ceteris decorari oporteat, ideo harum Litterarum Exsequutori, quem inferius nominabimus, potestatem facimus, ut auctoritate Nostra Apostolica illud Templum in Chersonensem Cathedralem erigat, quod ipse magis idoneum magisque ornatum cognoverit, ac simul declaret Templum ipsum omnibus ac singulis honoribus, juribus, privilegiis, indultis perfrui debere, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae in Russiarum Imperio rite utuntur, atque potiuntur. Quod quidem Templum Cathedralis Chersonensis Ecclesiae nomine erit appellandum, atque in illo Cathedra, Sedes, ac dignitas Episcopalis pro suo Antistite instituat, qui Chersonensis Episcopus appellari, ac eidem Ecclesiae, Civitati, et Dioecesi Chersonensi praesidere debebit, eadem omnino ratione, jurisdictione, atque iisdem juribus, honoribus, privilegiis, praerogativis, quibus aliarum Ecclesiarum Episcopi in Russiaco Imperio ad sacrorum Canonum normam utuntur, ac pollent.

Ut autem in huiusmodi Templo decor domus Dei eniteat, ibique divina officia, et aliae sacrae caeremoniae supplicationesque peragantur, quae ad majorem Dei gloriam, ac spiritualem fidelium aedificationem tantopere conducere solent, volumus atque praecipimus ut Cathedrale Canonorum Capitulum statim erigatur. Quod Canonorum Collegium novem constabit ecclesiasticis viris, nempe duobus Praesulibus, seu Dignitatibus, Praeposito et Archidiacono, quatuor Canonis, ex quibus unus Canonici Theologi, alter Canonici Poenitentiarum munere in perpetuum sedulo fungatur, alter demum omnia Parochiamunia cum consuetis juribus perpetuo ac diligenter

obeat in ea, quae Cathedrali eidem attributa fuerit Paroecia, cujus habitualis cura penes Capitulum ipsum esse debet, actualis vero ab uno ex Canonicis uti supra erit exercenda. Hisce autem sex Canonicis tres addantur Mansionarii seu Beneficarii perpetuae pariter fundationis. Illud autem in primis diligenter religioseque servandum esse praecipimus, ut commemorata Beneficia, ac praesertim Canonicatus duarum Dignitatum, et Theologi, Poenitentarii ac Parochi iis deferantur viris, qui digni atque idonei sint, quique necessariis dotibus polleant, ac propterea mandamus, ut Praebendae Canonici Theologi, Poenitentarii et Parochi conferantur praevio concursu juxta Concilii Tridentini praescriptum. Volumus autem ut hoc Chersonensis Cathedralis Templi Canonicorum Collegium, postquam rite fuerit institutum, iisdem choralibus indumentis ac omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, honoribus, indultis perfruatur, quemadmodum canonice gaudent alia in Russiarum Imperio Cathedralium Ecclesiarum Capitula, dummodo sint in usu, nec fuerint ex speciali concessione, vel titulo oneroso data atque acquisita. Ejusdem hanc Litterarum Exsequutoris curae committimus, ut ubi Chersonensis Cathedralis Capituli institutio fuerit peracta, eidem Canonicorum Collegio Capitularia statuta amplectenda proponat, quae Sacrorum Canonum sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus nullo modo adversentur, sed iisdem plane sint consentanea, veluti cetera pro aliis Cathedralibus Capitulis statuta, quae saepius nominatis Apostolicis Litteris rec. mem. Pii VI Decessoris Nostri approbata fuerunt. Quae Cathedralis Ecclesiae Chersonensis Ca-

pitularia Statuta, postquam confecta fuerint, hujus Apostolicae Sedis judicio subjicienda mandamus, ut ejusdem S. Sedis sanctionem consequantur. Cum vero idonei Ecclesiae Ministri non nisi ex Clericis optime institutis fieri possint, volumus ut in Chersonensi Urbe Clericorum Seminarium instituat, in quo juxta sapientissimam, ac providentissimam Concilii Tridentini mentem adolescentes Clerici vel a teneris annis ad omnem pietatem, virtutem, et ecclesiasticam disciplinam mature ac diligenter fingantur, ac doctrina plane catholica, et ab omni prorsus cujusque erroris periculo aliena studiosissime erudiantur. Atque hic haud possumus quin Chersonensis Ecclesiae Antistiti etiam atque etiam inculcemus, ut quoties sui gregis necessitas postulaverit, nunquam omittat per suam Dioecesim Praesbyteros mittere, qui Missionarii munere fungentes omnia spiritualia subsidia Catholicis praebere possint. Quod quidem eo facilius idem Antistes praestare poterit, cum sancitum fuerit Presbyteros ipsos Gubernii impendiis esse sustentandos.

Jam porro quoad temporalia subsidia idem Serenissimus ac Potentissimus Russiarum Imperator, et Poloniae Rex Illustris spondit, se omnia benigne curaturum, atque effecturum, ut hujusmodi salutare negotium prospere conficiatur. Quocirca in ipsa Chersonensi urbe aedes satis idoneae atque decentes, et quoad fieri poterit Cathedrali Templo proximiores comparandae erunt pro Episcopi habitatione, itemque alia aedificia satis ampla et commoda destinanda pro Clericorum Seminario. Quod autem attinet ad redditus, qui necessario attribuendi sunt, ut

res omnes ad eundem Chersonensem Episcopatum pertinentes optatum assequantur effectum, ipsa Episcopalis Mensa, veluti statutum est, annum censum habebit quatuor millium quadringentorum octoginta rublorum argenteorum; quisque vero ex duobus ejusdem Episcopatus Suffraganeis dote fruatur, qua alii Episcopi Suffraganei in Russiaco Imperio potiuntur, scilicet annuo redditu bis mille rublorum argenteorum. Pro Canonicis autem, et Mansionariis Cathedralis Templi Chersonensis, ac pro tuenda ipsius Templi et Sacrarum fabrica, itemque pro impendiis quae ad sacram suppellectilem vel comparandam, vel reficiendam, et ad alia cujusque generis divino cultui decenter exercendo necessaria omnino requiruntur, nec non pro Dioecesano Seminario erigendo et conservando quemadmodum in ceteris Dioecesis dos assignetur, quae tamen omnibus Dioecesis necessitatibus plene respondeat.

Edicimus taxam Episcopali Mensae Chersonensi irrogandam esse debere in florenis auri de Camera triginta tribus cum tertia ejusdem floreni parte, quam taxam in Camerae Apostolicae, et S. Collegii libris ex more inscribendam esse mandamus.

Ut autem quisque Antistes propriae Ecclesiae jurisdictionem agnoscere, et illam accurate exercere queat, harum Litterarum Exsequutori committimus, ut ipse separatis Decretis hujus Apostolicae Sedis iudicio, et sanctioni postea subjiciendis numerum, denominationem, et fines Paroeciarum quae ad singulas quasque Dioeceses spectant, diligentissime recenseat. Cum vero statutum fuerit Coenobia, et Monasteria tum virorum, tum mulierum in universo

Russiarum Imperio nunc existentia (quae supra cœntum reperiuntur) omnino esse servanda, atque illa deinceps imminui numquam posse, absque praevia, et expressa hujus S. Sedis auctoritate, eidem Exsequutori commendamus atque praecipimus, ut in iisdem Decretis summa diligentia exponat quot inibi extent Coenobia, vel Monasteria, et accurate enarret in quibus Oppidis, in qua Dioecesi existant, et cujus ordinis, ritus, nominationis, et regulae sint, et quot personae in unoquoque Coenobio, et Monasterio versentur, quae religiosum institutum rite profiteantur. Insuper volumus, ut idem Exsequutor in iisdem Decretis pari sedulitate enunciet nominationem, et residentiam omnium Suffraganeatum, qui praesto habendi, servandique sunt pro singulis commemoratis Ecclesiis, veluti in commemoratis Apostolicis Litteris Pii VI sancitum fuit.

Ut autem omnia ut supra statuta rite, feliciter atque celeriter ad optatissimum exitum perducantur, Dilectum Filium Ignatium Holowinski electum Episcopum Caristensem in Partibus Infidelium et Suffraganeum, ac Coadjutorem cum futura successione Archiepiscopi Mohiloviensis in harum Litterarum Exsequutorem eligimus, constituimus, et deputamus, eique omnes opportunas, et necessarias facultates tribuimus, ut omnia supra disposita peragere, statuere, et decernere delegata sibi Apostolica auctoritate libere ac licite possit et valeat, atque insuper eidem dilecto Filio Ignatio facultatem facimus, ut ad plenam rerum omnium exsequutionem vel unam, vel plures personas religione, fide, integritate spectatas, et ecclesiastica dignitate insignitas in qui-

busdam praesertim remotissimis locis, ad quae ipse accedere nequeat, subdelegare et tam ipse dilectus Filius Ignatius, quam Persona vel Personae ab eo subdeleganda vel subdelegandae super quacumque quaestione in actu exsequutionis hujusmodi forsitan oritura, servatis tamen de jure servandis, etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere item, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum respective possit, et valeat.

Eidem vero dilecto Filio Ignatio expresse injungimus, atque praecipimus, ut exempla singulorum Actorum, quae tam ipse quam ejus subdelegati in praesentium Litterarum exsequutionem confecerint intra sex menses ab expleta earumdem Litterarum exsequutione ad hanc Apostolicam Sedem in forma authentica transmittat, quae in Tabulario Nostrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae ex more erunt asservanda.

Praesentes Litteras, et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis seu eorum aliquo jus, aut interesse habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeminentiae, dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode aut non satis vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet etiam laesionis, vel alia legitima ac privilegiatissima causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut interesse

habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsā servanda et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non satis adductae, verificatae et justificatae fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel praetextibus notari, impugnari aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, apertionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, decretis, declarationibus generalibus vel specialibus quomodolibet, et quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, et semper ab illis exceptas esse, et fore, et tamquam ex Pontificiae providentiae officio, deque Apostolicae potestatis plenitudine factas, et emanantes omnimoda firmitate perpetuo validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, et ejusdem Chersonensis Ecclesiae noviter erectae et aliarum Ecclesiarum in Russiaco Imperio jam existentium Antistitibus, Capitulis et Canonicis, aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Litterae respiciunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, inquietari, vel impediri posse, neque ad probationem seu verificatio-

nem quorumcumque in eisdem praesentibus Nostris Litteris narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse, et fore pari auctoritate Nostra Apostolica volumus atque decernimus.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, ac supradictis Apostolicis Litteris a rec. mem. Pio VI Decessore Nostro XV Kalendas Decembris Anno 1798 editis, quae incipiunt «*Maximis undique pressi*», nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et concessionibus quamvis specifica, et individua mentione dignis, et omnibus et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum dumtaxat effectum illis alias in iis, quae praesentibus non adversantur, in suo robore permansuris, latissime, plenissime, specialiter et expresse de Apostolicae potestatis plenitudine de-

rogamus, et derogatum esse volumus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut ipsarum praesentium transumptis etiam impressis manu tamen alicujus publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus Personae in ecclesiastica dignitate munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhibetur, si forent ostensae vel exhibitae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum erectionis, constitutionis, dismembrationis, adjectionis, distributionis, divisionis, circumscriptionis, assignationis, subjectionis, dotationis, commissionis, mandati, decreti, declarationis voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quadragésimo octavo, Quinto Nonas Julii. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

U. P. CARDINALIS SPINOLA

PRO D. CARD. LAMBRUSCHINI
A. *Picchioni* *Substitutus*

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XI SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLVIII.

VENERABILES FRATRES

Cum illustris Metropolitanae Parisiensis Ecclesiae viduitati hodierno die consulere properemus, Venerabiles Fratres, Pontificiae Nostrae caritatis officium postulat, ut in amplissimo vestro consessu honorificam, ac desiderii plenam mentionem faciamus de clarissimo ejusdem Ecclesiae Antistite, ex cujus acerbissima morte maximum quidem dolorem accepimus. Optime jam intelligitis, Nos loqui de Venerabili Fratре Dionysio Augusto Affre, qui pietate, mansuetudine, zelo, aliisque Sacerdotalibus virtutibus exornatus in illa Dioecesi regenda ac moderanda omnem impendit operam, ut catholicam religionem defenderet, ecclesiasticam disciplinam assereret, et oves suae fidei traditas ab venenatis pascuis arceret, ad salutaria propelleret, ac miseros et calamitosos omni ope et opera iuvaret, foveret, erigeret et verbis juxta atque exemplis omnes Christo lucrifaceret. Qui quidem Antistes tanto suum gregem est prosequutus amore, ut boni pastoris munere splendide functus insigne et admirabile christianae caritatis exemplum ac pergratum Deo, Angelis, et hominibus spectaculum exhibuerit. Ubi enim proximo mense Junio luctuosissimum civile bellum Lutetiae Parisiorum exar-


sit, ipse, veluti probe nostis, sui omnino immemor, ac de communi aliorum salute unice anxius atque sollicitus, et violentos cruentosque civium motus restringere, ac damna, caedes, ruinas a suo grege penitus avertere summopere exoptans, christiano prorsus et episcopali animo gravissima quaeque despiciens pericula, non dubitavit sese in praeliantium manus immittere. Hinc dum dimicantes inter se cives ad pacis, quietis, tranquillitatis ac mutuae concordiae sensus studia atque consilia amantissime revocare contenderet, letali vulnere accepto paulo post dedit animam suam pro ovibus suis. Atque omnes perspiciunt quantam universus tum inelytae Gallicae Nationis, tum totius catholici orbis Episcopatus et Clerus gloriam fuerit adeptus ex hoc praeclaro christianae caritatis facto, quod certe nulla unquam silebit aetas, nulla serae posteritatis delebit oblivio. Ardentissima autem illa caritas, qua idem Venerabilis Frater pro suo grege omnique Galliae Natione se Deo Optimo Maximo quasi holocausti hostiam obtulit, ac summa religio et pietas, qua hilaris mortem obivit, Nos merito sperare jubent, ut ipse ex miserrima mortalis hujusce vitae statione ad aeternam beatamque patriam advolaverit, ibique a Divino Pastorum Principe immarcescibilem perceperit gloriae coronam. Verumtamen cum ea sit humanae naturae fragilitas, atque conditio, ut religiosa etiam corda de mundano pulvere saepe sordescant, pro defuncti Antistitis anima clementissimo misericordiarum Patri preces, supplicationes, sacrificia offerre haud omisimus. Quod quidem non solum privatim, verum etiam publicis exsequiis praestitimus solemmi

ritu in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica peractis, in quibus et Nos ipsi adesse volumus cum nonnullis e vestro Ordine, ac omnibus Venerabilibus Fratribus Episcopis in hac alma Urbe Nostra morantibus, et ejusdem Basilicae Canonicorum Collegio, ut praeter morem aliquam eximiae Viri memoriae ac virtuti significationem palam publiceque exhiberemus.

Jam vero in eam profecto spem erigimur fore, ut idem Antistes Galliam, quam vivens tantopere dilexit, in coelesti etiam regno benigne respiciens, suis apud Deum precibus imploret, ut ibi cunctis erroribus et calamitatibus omnino amotis, catholica fides, virtus, pietas cum omni vera prosperitate magis in dies vigeant et floreant. Atque hic, Venerabiles Fratres, eidem illustri Gallicanae Nationi meritis debitasque laudes tribuere gaudemus, quod turbulentissimis quoque temporibus, ac tristissimis rerum vicibus insignia sui in catholicam religionem atque in hanc Petri Cathedram amoris, obsequii et venerationis specimina praebere non destitit.

Denique cum videamus incredibili sane animi Nostri moerore quibus quantisque malorum procellis Christiana Respublica ubique jactetur, quibusque monstrosis opinionum commentis ac deliramentis improvidae, praesertim imperitorum hominum, mentes magno cum sanctissimae nostrae religionis et civilis ipsius societatis detrimento deplorandum in modum decipiantur et exagitentur, Nobis temperare non possumus, quin hac quoque occasione utamur, quo Vos, Venerabiles Fratres, ac Nos ipsos vel maxime excitemus, ut in humilitate cordis Nostri nunquam

desinamus dies noctesque clamare ad Dominum Deum nostrum, ut omnipotenti sua virtute imperet ventis et mari, et faciat tranquillitatem, atque in multitudine misericordiae suae errantes homines de errorum tenebris, et vitiorum coeno ad veritatis et justitiae semitas propitius reducere dignetur.



ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XI SEPTEMBRIS ANNO MDCCCXLVIII

VENERABILES FRATRES

Gratum Nobis est, Venerabiles Fratres, aliquid Vobis de orientali Ecclesia posse nuntiare, quae quanto longioribus distat intervallis, tanto magis paternam Nostram caritatem et Apostolicam sollicitudinem excitat ad illius statum cognoscendum et prosperitatem procurandam. Memineritis, a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro Venerabilem fratrem Nicolaum Isaiam Jacobi jam Hadirbeganum in Perse Archiepiscopum ex consilio Congregationis christianae Fidei Propagandae Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis fuisse constitutum. Cum autem ipse Venerabilis Frater Patriarchatum eundem in manibus Nostris dimiserit, ac Nos ejusmodi renunciationem exceperimus, et probaverimus, eadem Congregatio Decretum a Nobis sancitum edidit, quo Venerabilis Frater Josephus Audo Episcopus Amadiensis vacantis Sedis custos, seu Vicarius Patriarchalis Chaldaicae Nationis fuit nominatus, eique munus commissum, ut Venerabiles Fratres illius gentis Episcopos de hac abdicatione certiores faceret, ac simul omnia diligenter peragenda curaret, quo novi Patriarchae electio rite, et celeriter fieri posset. Itaque superiori anno exeunte

الخطاب المعلن في الديوان السرى

في ١١ ايلول سنة ١٨٤٨

ايها الاخوة الاكرمون

انه مما يسرنا ايها الاخوة المحترمون هو ان نستطيع نشرح لكم شيئاً ما عما يلاحظ الكنيسة الشرقية. التي بمقدار ما تبعد مسافتها بمقدار ذلك تحت محبتنا الابوية. واهتمامنا الرسولى للاطلاع على حالها. والاعتنا بنجاحها. انكم تعهدون كيف ان سالفنا السعيد الذكر غريغوريوس السادس عشر. بمشورة مجمع انتشار الايمان اقام الاخ المحترم نيقولايس اشعيا يعقوب الذى كان مطران ادريبيجان في العجم بطريركاً بابلياً على طايفه الكلدان الكاثوليكية. ولكن من حيث ان الاخ المذكور فيها بعد قد ترك بيدنا البطريركية المذكورة. ونحن اقتبلنا واثبتنا تنازله. فالمجمع المذكور اشهر حكماً ماثبوتاً منا. به اقام الاخ المحترم يوسف اودو اسقف العمادية نائباً بطريركياً على طايفة الكلدان اعنى حافظاً لكسريتها المنفرغ. وفوضه لى يجبر بهذا التنازل الاخوة المحترمين اساقفة تلك الطايفة. ولكى يعنى بكل اجتهاد مع الاساقفة سورية لاتمام كلش حتى ان انتخاب البطريرك الجديد يصير بحسب القوانين وبكل سرعة. فمن ثم في آخر السنة الماضية اجتمع سورية اساقفة طايفة الكلدان في مدينة الموصل. وهناك في ٢٤ من شهر كانون الاول باصواتهم اعلنوا بطريركاً بابلياً الاخ المحترم يوسف لودو ذاته. وهذا الانتخاب قد اشهر في اليوم الثانى بحضور الاساقفة وجمع غفير من الشعب الموعوب فرحاً بعد القهقاس الاحتفالى وتمام الرتبة المعتادة ان تصير في حالات كذا. فيمينه

Chaldaicae Nationis Antistites in Mossulensem civitatem convenere, ibique die vigesima sexta Decembris ipsum Venerabilem Fratrem Josephum Audo Patriarcham Babylonensem suis suffragiis renunciarunt. Quae quidem electio postero die iisdem adstantibus Antistitibus, ac maxima laetantis populi frequentia post sacrum sollemne fuit promulgata, iis omnibus adhibitis caeremoniis, quae in hujusmodi occasione peragi solent. Hinc suffragatores Episcopi suas ad hanc Apostolicam Sedem dederunt Litteras, quibus electionem ab ipsis factam nuntiarunt, efflagitantes ut electio ipsa ejusdem Apostolicae Sedis, auctoritate confirmaretur. Atque ipse Venerabilis Frater Josephus una cum Catholicae Fidei professione obsequentissimam ad Nos misit Epistolam, qua suam electionem significans luculentissimis sane verbis suam erga Nos et hanc Petri Cathedram pietatem, observantiam et obedientiam profiteri laetatur, atque humillime rogat, ut eum in Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis suprema Nostra auctoritate confirmare, ac Pallii honore decorare velimus. Nos igitur rebus omnibus per eandem Congregationem Christianae Fidei Propagandae praepositam accurate perpensis atque probatis, juxta ipsius Congregationis sententiam eo sane libentius hujus electionis confirmationem impertiri existimamus, quod probe noscamus, ipsum Venerabilem Fratrem Josephum eximia pietate, virtute, ac prudentia secundum scientiam zelo, et catholicae religionis studio aliisque praeclaris dotibus esse exornatum. Accedit etiam, ut a fide dignis testimoniis acceperimus, summum fuisse gaudium atque laeti-

الاساقفة اصحاب الاصوات ارسلوا مكاتيبهم الى هذه السدة الرسولية
يخبرون بها عن الانتخاب الصاير منهم . ويطلبون متوسلين
لان ينتهت هذا الانتخاب من السلطان الرسولى . ثم الاخ المحترم
يوسف ذاته ارسل لنا مكتوباً مملواً اعتباراً مع اعتقاد الايمان
الكانوليكي وبه يعلن انتخابه وبالفاظ جلية يظهر بسرور محونا
ومحو هذا الكرسي البطرسي ارتباط المحبة والاحترام والطاعة .
ويترجا بتواضع ان نتنازل ونثبته بسلطاننا السامى بطريركاً على
طايفة الكلدان الكاتوليكية . ونشرفه بالدرع المقدس . فحسن اذاً
بعد ما تبصرنا جيداً بواسطة مجمع انتشار الايمان فى كل الظروف
المتقدمة وتحققناها حسب رآى المجمع المذكور . فحكمنا بان
نثبث هذا الانتخاب . لاسيما لاننا نعلم جيداً حسب ما ورد
الينا ان الاخ المحترم يوسف المذكور مجمل بالفضيلة والتقوى
وخبير بالعلم ومتصف بالغيرة والاجتهاد نحو الديانة الكاتوليكية .
ومزِين بفضائل اخر سامية . ويزاد على ذلك ايضاً اننا قد
علمنا من شعود اهل للتصديق . ان اوليك المومنين قد اظهروا
علامات الفرح الكامل والرضا التام . حينما عرفوا ان الاخ
المذكور اُنْتخِبَ لهذه الوظيفة السامية . فمن ثم نرجو بتحقيق
انه يبذل الجهد بتتميم كلما يجب على الراعى الصالح من
الاهتمام الفريد والعناية الخاصة والسهر المتصل . ويعتنى فى
كلما يول مجد الله وخلص الرعية . فلهذا حكمنا بان نثبث
يوسف اودو المذكور بطريركاً بابلياً على طايفة الكلدان
الكانوليكية كما اشرنا . وان نمكحه شرف الدرع المقدس .

ما الذى ترونه

فبسلطان الله القادر على كل شى . والقديسين الرسولين
نطرس وبولس . وبسلطاننا نثبث ونويد الانتخاب او الطلب
الصاير من اخوتنا الاكرمين اساقفة طايفة الكلدان الكاتوليكية .
فى شخص الاسقف المذكور يوسف اودو ومحلّه من رباط التزامه

tiam, qua illi fideles affecti sunt, ubi primum noverunt ad hunc amplissimum gradum eundem Venerabilem Fratrem electum fuisse. Ex quo evenit, ut ea profecto spe sustentemur fore, ut ipse singulari cura, studio, alacritate, vigilantia omnes boni pastoris partes implere ac majorem Dei gloriam ac dilectarum ovium salutem procurare contendat. Quapropter ipsum Venerabilem Fratrem Josephum Audo in Patriarcham Babylonensem catholicae Chaldaeorum Nationis confirmandum, uti jam indicavimus eique Pallii honorem tribuendum censuimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus catholicae Chaldaeorum Nationis Antistitibus de persona praedicti Josephi Audo Episcopi, quem absolvimus a vinculo, quo tenetur, Ecclesiae Amadiensis, ac transferimus ad Patriarchalem praefatam Babylonensem Ecclesiam Chaldaeorum, praeficientes eum in Patriarcham, et Pastorem ejusdem Nationis prout in decreto, et schedula consistorialibus exprimitur.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Pro singulari autem beneficio concessionis sacri Pallii, memorati Patriarchae nomine R. D. Michaël Vezmadian Armenus a S. C. de Propaganda Fide deputatus, absoluto Consistorio, Pontifici gratias egit.

بكنيسة العمادية . وتنقله إلى الكنيسة البطريركية البابلية
الكلدانية . ونقيمه بطريركاً وراعياً لهذه الطائفة حسبما هو
مصرح في الحكم الديواني *

بسم الأب ☩ والابن ☩ والروح القدس ☩ امين *

ثم انه بعد نهاية الديوان فالاب ميخايل فيزمديان الارمني
الاشكرم المغموس من مجمع انتشار الايمان المقدس . اسدى شكراً
لقداسته نيابة عن البطريرك المذكور على هذه المهمة الفريدة
الى منحه اياه الدرع المقدس بالنوع الاتي *

GRATIARVM ACTIO

BEATISSIME PATER

Singularia, Beatissime Pater, quibus in nuper habito Consistorio Reverendissimum Patrem Josephum Audo cumulas beneficiis, tum ejus confirmatione in Patriarcham Babylonensem Chaldaeorum, tum assignatione Sacrosancti Pallii, quod illi per me Sanctitas Tua duxit destinandum, singulares etiam exposcunt ut Tibi, qualitercunque valeo, illius nomine referam gratiarum actiones.

Debitum hoc dum venerabundus exsolvo, Sanctitati Tuae perspectum, testatumque velim, tot tantisque collatis Pontificiae benignitatis muneribus, non Patriarcham modo, sed universam Tibi mirum in modum devinctam fore Chaldaeorum Ecclesiam, quae proinde in obedientia et obsequio erga Sanctam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram constantem usque ad effusionem sanguinis se profiteri gloriabitur. Id ut votis omnibus expeto, ita et eventurum, auxiliante Domino, confido, praesertim si validissimo fulciatur praesidio Apostolicae Tuae benedictionis, quam pro Patriarcha, Episcopis, Clero, ac universo Populo Chaldaico, Sanctitatis Tuae pedibus provolutus, humillime atque obsequentissime imploro.

فعل الشكر

ايها الاب الافدس .

ان الاحسانات العظيمة التي انعمت بها ايها الاب الكلي الطوبى في الديوان الذى صار منذ هنيهة على الاب يوسف اودو بتثبيتك اياه بطريركا باهليا على طايفة الكلدان . وبتشريفك له بالدرع المقدس . الذى تنازلت قداستك ومنحته اياه بواسطى . تضطربى بان اسدى لقداستك شكرا واقرا نيابة عن البطريرك المذكور بمقدار استطاعتى *

فمن ثم عندما اتى فى هذا الدين بكل احترام اعرض موضعا لى قداستك . ان هذه الاحسانات العظيمة التى اقتبلت من سخاك للبروى . تجعل ليس البطريرك فقط يكون مديونا لظوباويتك . بل كنيسة الكلدان باسرها التى لاجل ذلك ستكون مرتبطة معك ارتباطا عجيبا . وبكل طاعة وخضوع تخترم الكنيسة الرومانية المقدسة ام ومعلمة جميع الكنايس وتستعرتابته ومفتخرة بهذا الارتباط والخضوع حتى الى سفك الدم . واتى لواتق بمعونة الله ان ذلك جميعه سينتم . لاسيما اذا تايدت ببركتك الرسولية الفعالة التى بتواضع واحترام التمسها جاثيا على اقدام قداستك . الى البطريرك والاساقفة والاكليروس ولكل الشعب الكلدانى *

VENERABILIBVS FRATRIBVS

PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIBVS, ET EPISCOPIBVS
TOTIVS CATHOLICI ORBIS.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ubi primum nullis certe Nostris meritis, sed arcano divinae providentiae consilio ad sublimem Principis Apostolorum Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, summa quidem consolatione affecti fuimus, Venerabiles Fratres, cum noverimus quomodo in Pontificatu recol: me: Gregorii XVI Praedecessoris Nostri ardentissimum in catholico orbe mirifice revixerit desiderium, ut ab Apostolica Sede tandem aliquando solemnini judicio decerneretur, Sanctissimam Dei Genitricem, omniumque nostrum amantissimam matrem Immaculatam Virginem Mariam absque labe originali fuisse conceptam. Quod pientissimum desiderium clare aperteque testantur atque demonstrant postulationes tum ad eundem Praedecessorem Nostrum, tum ad Nos ipsos continenter perlatae, quibus et clarissimi Antistites, et illustria Canonorum Collegia, et Religiosae Familiae, inter quas inclytus Praedicatorum Ordo certatim efflagitarunt, ut in Sacra Liturgia, ac praesertim in Praefatione Missae de Beatissimae Virginis Conceptione vocem illam *Immaculatam* palam publiceque enunciare et addere liceret. Quibus po-

stulationibus ab eodem Praedecessore Nostro, atque a Nobis ipsis quam libentissime fuit obsecundatum. Accedit etiam, Venerabiles Fratres, ut quamplurimi e vestro ordine suas litteras ad ipsum Decessorem Nostrum, et ad Nos dare non destiterint, per quas iteratis petitionibus, atque ingeminatis studiis exoptularunt, ut veluti Catholicae Ecclesiae doctrinam definire vellemus, Beatissimae Virginis Mariae conceptum immaculatum omnino fuisse, atque ab omni prorsus originalis culpae labe immunem. Neque vero hac nostra etiam aetate defuere viri ingenio, virtute, pietate, doctrina praestantes, qui doctis ac laboriosis eorum scriptis hujusmodi argumentum, pientissimamque sententiam ita illustrarunt, ut non pauci mirentur, quod nondum ab Ecclesia, et Apostolica Sede hic Sanctissimae Virgini decernatur honor, quem communis fidelium pietas Virgini ipsi ex solemnibus ejusdem Ecclesiae et Sedis judicio, atque auctoritate tribui tantopere exoptat. Equidem hujusmodi vota pergrata, perque jucunda Nobis fuere, qui vel a teneris annis nihil potius, nihil antiquius habuimus, quam singulari pietate, et obsequio, atque intimo cordis affectu Beatissimam Virginem Mariam colere, et ea peragere, quae ad majorem ipsius Virginis gloriam, et laudem procurandam, cultumque promovendum conducere posse videantur. Itaque vel ab ipso supremi nostri Pontificatus exordio summa quidem alacritate in tanti momenti negotium curas cogitationesque Nostras serio convertimus, atque humiles fervidasque Deo Optimo Maximo preces adhibere haud omisimus, ut coelestis suae gratiae lumine mentem Nostram collustrare velit, quo cognoscere possimus quid in hac re a Nobis sit peragendum. Etenim ea

potissimum spe nitimur fore, ut Beatissima Virgo, quae *meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit* (1), atque antiqui serpentis caput virtutis pede contrivit, quaeque *inter Christum et Ecclesiam constituta* (2), ac tota suavis et plena gratiarum christianum populum a maximis quibusque calamitatibus, omniumque hostium insidiis, et impetu semper eripuit, atque ab interitu vindicavit, tristissimas quoque ac luctuosissimas nostras vicissitudines, acerbissimasque angustias, labores, necessitates amplissimo, quo solet, materni sui animi miserans affectu, velit praesentissimo, aequae ac potentissimo suo apud Deum patrocinio, et divinae iracundiae flagella, quibus propter peccata nostra affligimur, avertere, et turbulentissimas malorum procellas, quibus cum incredibili animi Nostri dolore ubique jactatur Ecclesia, compescere, dissipare et luctum Nostrum convertere in gaudium. Optime enim nostis, Venerabiles Fratres, omnem fiduciae Nostrae rationem in Sanctissima Virgine esse collocatam; quandoquidem *Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab Ea noverimus redundare.... quia sic est voluntas Ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam* (3).

Hinc aliquos ecclesiasticos viros pietate spectatos, ac theologicis disciplinis apprime excultos, et nonnullos Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales virtute, religione, consi-

(1) S. Gregor. Pap. *de Exposit.* in libros *Regum*.

(2) S. Bernard. *Serm.* in cap. XII. *Apocalyps.*

(3) S. Bernard. *in Nativit. S. Mariae de Aquaeductu.*

lio, prudentia, ac rerum divinarum scientia illustres selegimus, eisque commisimus, ut pro eorum prudentia atque doctrina gravissimum argumentum omni ex parte accuratissime examinandum curarent, ac subinde eorum sententiam ad Nos diligentissime deferrent. Dum autem ita se res habent, illustria Decessorum Nostrorum vestigia sectari, exempla aemulari censuimus.

Quamobrem has Vobis, Venerabiles Fratres, scribimus Litteras, quibus egregiam vestram pietatem, atque episcopalem sollicitudinem magnopere excitamus, Vobisque etiam, atque etiam inculcamus, ut quisque vestrum pro suo arbitrio, atque prudentia in propria Dioecesi publicas preces indicendas, ac peragendas curet, quo clementissimus luminum Pater Nos superna divini sui Spiritus luce perfundere, numine afflare dignetur, ut in tanti momenti re illud consilium suscipere valeamus, quod ad majorem tum sancti sui Nominis gloriam, tum Beatissimae Virginis laudem, tum militantis Ecclesiae utilitatem possit pertinere. Optamus autem vehementer, ut majore, qua fieri potest, celeritate Nobis significare velitis, qua devotione vester Clerus, Populusque fidelis erga Immaculatae Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret, ut ejusmodi res ab Apostolica Sede decernatur, atque in primis noscere vel maxime cupimus quid Vos ipsi, Venerabiles Fratres, pro proximia vestra sapientia de re ipsa sentiatis quidque exoptetis. Et quoniam Romano Clero jam concessimus, ut peculiare canonicas horas de Beatissimae Virginis Conceptione recentissime compositas, ac typis editas recitare valeat loco earum, quae in com-

muni Breviario continentur, ideo hisce Litteris facultatem Vobis tribuimus, Venerabiles Fratres, ut, si ita placuerit, universus vestrae Dioeceseos Clerus easdem de Sanctissimae Virginis Conceptione canonicas horas, quibus nunc Romanus utitur Clerus, persolvere libere et licite possit, quin ejusmodi veniam a Nobis, vel a Nostra Sacrorum Rituum Congregatione implorare debeatis.

Plane non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro singulari vestra in Sanctissimam Virgine Mariam pietate hisce Nostris desideriis omni cura et studio quam libentissime obsequi gaudeatis, atque opportuna responsa, quae a Vobis exposcimus, Nobis dare properetis. Interim vero coelestium omnium munerum auspiciem, et praecipuae Nostrae in Vos benevolentiae testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex imo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae vestrae commissis amantissime impertimur.

Datum Cajetae die II februarii Anno MDCCCXLIX.
Pontificatus Nostri Anno Tertio.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
CAIETAE XX APRILIS ANNI MDCCCXLIX

VENERABILES FRATRES

Quibus, quantisque malorum procellis summo cum animi Nostri dolore Pontificia Nostra ditio, omnisque fere Italia miserandum in modum jactetur ac per-turbetur, nemo certe ignorat, Venerabiles Fratres. Atque utinam homines tristissimis hisce rerum vi-cibus edocti aliquando intelligant, nihil ipsis perni-ciosius esse posse, quam a veritatis, justitiae, ho-nestatis et religionis semitis deflectere, ac nequissi-mis impiorum consiliis acquiescere, eorumque insidiis, fraudibus et erroribus decipi atque irretiri! Equidem universus terrarum orbis probe noscit, atque testa-tur, quae quantaque fuerit paterni atque amantissimi animi Nostri cura sollicitudo in vera solidaque Pon-tificiae Nostrae ditionis populorum utilitate, tranquil-litate, prosperitate procuranda, et quis tantae Nostrae indulgentiae et amoris fructus extiterit. Quibus qui-dem verbis callidissimos tantorum malorum artifices dumtaxat damnamus, quin ullam maximae populo-rum parti culpam tribuere velimus. Verumtamen de-plorare cogimur, multos etiam e populo ita misere fuisse deceptos, ut aures suas a Nostris vocibus ac monitis avertentes, illas fallacibus quorundam ma-gistrorum doctrinis praebuerint, qui relinquentes *iter*

rectum, et per vias tenebrosas ambulantes (1) eo unice spectabant, ut imperitorum praesertim animos mentesque magnificis falsisque promissis in fraudem et in errorem inducerent, ac plane compellerent. Omnes profecto norunt, quibus laudum praeconiis fuerit ubique concelebrata memoranda illa et amplissima venia a Nobis ad familiarum pacem, tranquillitatem, felicitatemque procurandam concessa. Ac neminem latet, plures ea venia donatos non solum suam mentem vel minimum haud immutasse, quemadmodum sperabamus, verum etiam eorum consiliis et molitionibus acrius in dies insistentes nihil unquam inausum nihilque intentatum reliquisse, ut civilem Romani Pontificis Principatum, ejusque regimen, uti jamdiu machinabantur, labefactarent et funditus everterent, ac simul acerrimum sanctissimae nostrae religioni bellum inferrent. Ut autem id facilius consequi possent, nihil antiquius habuere, quam multitudines in primis convocare, inflammare, easque assiduis magnisque motibus agitare, quos vel Nostrarum concessionum praetextu continenter fovere, et in dies augere summpere studebant. Hinc concessionem in ipso Nostri Pontificatus initio a Nobis ultro ac libenter datae non solum optatos fructus haud emitte, sed ne radices quidem agere unquam potuere, cum peritissimi fraudum architecti iisdem concessionibus ad novas concitandas agitationes abuterentur. Atque in hoc vestro consessu, Venerabiles Fratres, facta ipsa vel leviter attingere, ac raptim commemorare ea sane mente censuimus, ut omnes bonae

(1) *Prov. c. 2. v. 13.*

voluntatis homines clare aperteque cognoscant, quid Dei et humani generis hostes velint, quid optent, quidque ipsis in animo semper fixum destinatumque sit.

Pro singulari Nostro in subditos affectu dolebamus, ac vehementer angebamur, Venerabiles Fratres, cum assiduos illos populares motus tum publicae tranquillitati et ordini, tum privatae familiarum quieti ac paci tantopere adversos videremus, nec perferre poteramus crebras illas pecuniarias collectas, quae variis nominibus non sine levi civium incommodo et dispendio postulabantur. Itaque mense Aprili anno 1847, per publicum Edictum Nostri Cardinalis a publicis negotiis omnes monere haud omisimus, ut ab eiusmodi popularibus conventibus et largitionibus sese abtinerent, atque ad propria pertractanda negotia animum mentemque denuo converterent, omnemque in Nobis fiduciam collocarent, ac pro certo haberent, paternas Nostras curas cogitationesque ad publica commoda comparanda unice esse conversas, quemadmodum jam pluribus ac luculentissimis argumentis ostenderamus. Verum salutaria haec Nostra monita, quibus tantos populares motus compescere, et populos ipsos ad quietis et tranquillitatis studia revocare nitebamur, pravis quorundam hominum desideriis et machinationibus vehementer adversabantur. Itaque indefessi agitationum auctores, qui jam alteri ordinationi jussu Nostro ab eodem Cardinali ad rectam utilemque populi educationem promovendam editae obstiterant, vix dum monita illa Nostra noverunt, haud destitere contra ipsa ubique inclamare, et acriori usque studio incautas multitudines com-

movere, eisque callidissime insinuare ac persuadere, ne illi tranquillitati a Nobis tantopere exoptatae se unquam dare vellent, cum insidiosum in ea lateret consilium, ut populi quodammodo indormirent, atque ita in posterum duro servitutis jugo facilius opprimari possent. Atque ex eo tempore plurima scripta, typis quoque edita, atque acerbissimis quibusque contumeliis, conicijsque plenissima ad Nos missa fuerunt, quae oblivione sempiterna obruimus, flammisque tradidimus. Ut autem inimici homines fidem aliquam facerent falsis periculis, quae in populum impendere clamitarent, haud reformidarunt mentitae cujusdam conjurationis, ab ipsis apposite excogitatae, rumorem ac matum in vulgus spargere, ac turpissimae mendaciae vociferari, ejusmodi conjurationem in vitam esse ad urbem Romam civili bello, caedibus ac funeribus funestandam, ut navis institutionibus penitus sublatis atque deletis, pristina gubernandi forma iterum revivisceret. Sed hujus falsissimae conjurationis praetextu inimici homines eo spectabant, ut populi contemptum, invidiam, honorem contra quosdam detestissimos quoque viros virtute, religione praestantes, et ecclesiastica etiam dignitate insignes nefarie commoverent atque excitarent. Erabe nostis, in hoc rerum aestu civicam militiam fuisse propositam, de tanta celeritate collectam, ut nectae illius institutioni atque disciplinae consuli minime potuerit.

Ubi primum ad publicae administrationis prosperitatem magis, magisque procurandam opportunum fore censuimus Status Consultationem instituire, inimici homines occasionem exinde statim arripere, ut nova Gubernio vulnera imponerent ac simul effi-

cerent, at hujusmodi institutio, quæ publicis popu-
lorum rationibus magnæ utilitati esse poterat, in
dammum ac perniciem cederet. Et quoniam eorum
opinio impune jam invaluerat, eâ institutione et Pon-
tificii regiminis indolem ac naturam immutari, et
Nostram auctoritatem Consultorum iudiciis subijci,
idecirco eo ipso die quo illa Status Consultatio in-
augurata fuit, haud omisimus turbulentos quosdam ho-
mines, qui Consultores comitabantur, gravibus seve-
risque verbis serio monere, eisque verum hujus in-
stitutionis finem clare aperteque manifestare. Verum
perturbatores nunquam desinebant deceptam populi
partem majore usque impetu sollicitare, et quibus fac-
cillus assecularum numerum habere et augere possent,
tum in Pontificia Nostra ditioe, tum apud exteras
quoque gentes insigni prorsus impudentia atque au-
dacia evulgabant, eorum opinionibus et consiliis Nos
plane assentire. Memineritis, Venerabiles Fratres, quibus
verbis in Nostra Consistoriali Allocutione die
4 mensis Octobris anno 1847 ad Vos habita uni-
versos populos serio commoneare et exhortari haud
omiserimus, ut ab ejusmodi veteratorum fraude stu-
diosissime caverent. Interim vero pervicaces insidia-
rum et agitationum auctores, ut turbas metusque
continenter alerent et excitarent, mense Januarii
superioris anni incautorum animos inani externi belli
rumore territabant, atque in vulgus spargebant, bel-
lum idem internis conspirationibus et maligna Gu-
bernantium inertia foveari ac sustentatum iri. Nos ad
tranquillandos animos, et insidiantium fallacias refel-
lendas, nulla quidem interposita mora, die 10 Februa-
rii ipsius anni voces ejusmodi omnino falsas et ab-

surdas esse declaravimus illis Nostris verbis, quae omnes probe cognoscunt. Atque in eo tempore carissimis Nostris subditis, quod nunc Deo bene juvante eveniet, praenuntiavimus, futurum scilicet, ut innumerabiles filii ad communis omnium fidelium Patris domum, ad Ecclesiae nempe Statum propugnandum convolarent, si arctissima illa grati animi vincula, quibus Italiae Principes, populique intime inter se obstringi debebant, dissoluta fuissent, ac populi ipsi suorum Principum sapientiam, eorumque jurium sanctitatem vereri, ac totis viribus tueri et defendere neglexissent.

Etsi vero Nostra illa verba nuper commemorata tranquillitatem brevi quidem temporis spatio iis omnibus attulere, quorum voluntas continua adversabatur perturbationi, nihil tamen valere apud infensissimos Ecclesiae, et humanae societatis hostes, qui novas jam turbas, novos tumultus concitaverant. Siquidem calumniis insistentes, quae ab ipsis eorumve similibus contra Religiosos Viros divino ministerio addictos, et bene de Ecclesia meritos disseminatae fuerant, populares iras omni impetu adversus illos excitarunt atque inflammarunt. Neque ignoratis, Venerabiles Fratres, nihil valuisse Nostra verba ad populum die 10 Martii superioris anni habita, quibus Religiosam illam familiam ab exilio et dispersione eripere magnopere studebamus.

Cum inter haec notissimae illae rerum publicarum conversiones in Italia et Europa evenirent, Nos iterum Apostolicam Nostram attollentes vocem die 30 Martii ejusdem anni haud omisimus universos populos etiam atque etiam monere hortari, ut et ca-

tholicae Ecclesiae libertatem vereri, et civilis societatis ordinem tegere, et omnium jura tueri, et sanctissimae nostrae Religionis praecepta exequi, et in primis christianam in omnes caritatem exercere omnino studerent, quandoquidem si haec ipsi agere neglexissent, pro certo haberent, quod Deus ostenderet, se populorum dominatorem esse.

Jam vero quisque vestrum plane noscit quomodo in Italiam Constitutionarii regiminis forma fuerit invecta, et quomodo Statutum a Nobis die 14 Martii superioris anni Nostris Subditis concessum in lucem prodierit. Cum autem implacabiles publicae tranquillitatis et ordinis hostes nihil antiquius haberent, quam omnia contra Pontificium Gubernium conari, et populum assiduis motibus, suspicionibus exagitare, tum qua scriptis in lucem editis, qua Circulis, qua Societatibus et aliis quibusque artibus nunquam intermittebant Gubernium atrociter calumniari, eique inertiae, doli et fraudis notam inurere, licet Gubernium ipsum omni cura et studio in id incumberet, ut Statutum tantopere exoptatum majore, qua fieri posset, vulgaretur celeritate. Atque hic universo terrarum orbi manifestare volumus eo ipso tempore homines illos in suo constantes proposito subvertendi Pontificiam ditionem, totamque Italiam Nobis proposuisse non jam Constitutionis, sed Reipublicae proclamationem, veluti unicum tum Nostrae, tum Ecclesiae Status incolumitatis perfugium atque praesidium. Subit adhuc nocturna illa hora, et versantur Nobis ante oculos quidam homines, qui a fraudum architectis misere illusi ac decepti illorum ea in re causam agere, atque eandem

reipublicae proclamationem Nobis proponere non dubitabant. Quod quidem, praeter innumera alia et gravissima argumenta, magis magisque demonstrat, novarum institutionum petitiones et progressum ab huiusmodi hominibus tantopere praedicatum eo unice spectare, ut assidue foveantur agitationes, ut omnia iustitiae, virtutis, honestatis, religionis principia usquequaque penitus tollantur, atque horrendum et luctuosissimum, ac vel ipsi naturali rationi et juri maxime adversum *Socialismi*, vel etiam *Communismi*, uti appellant, systema cum maximo totius humanae societatis detrimento et exitio quaquaversus inducatur, propagetur, ac longe lateque dominetur.

Sed quamvis haec teterrima conspiratio, vel potius haec diuturna conspirationum series clara esset et manifesta, tamen, Deo sic permittente, multis illorum fuit ignota, quibus communis tranquillitas tot sane de causis cordi summopere esse debebat. Atque etsi indefessi turbarum moderatores gravissimam de se suspicionem darent, tamen non defuere quidam bonae voluntatis homines, qui amicam illis manum praebuere, ea forsitan spe freti fore, ut eos ad moderationis et iustitiae semitam reducere possent.

Interim belli clamor per universam Italiam extemplo pervasit, quo Pontificiae Nostrae ditionis subditorum pars commota atque abrepta ad arma convolavit, ac Nostrae voluntati obsistens ejusdem Pontificiae ditionis fines praetergredi voluit, Nostis, Venerabiles Fratres, quomodo debitas tum Summi Pontificis, tum Supremi Principis partes obeuntes injustis illorum desideriis obstiterimus, qui Nos ad illud bellum gerendum pertrahere volebant, quique postula-

bant, ut inexortam juventutem subitâ modo collectam, ac militaris artis peritia et disciplinâ nunquam excultam, et idoneis ductoribus bellicisque subsidiis destitutam ad pugnam, id est ad certam caedem compelleremus. Atque id a Nobis expetebatur quâ licet immerentes inscrutabili Divinae providentiae consilio ad Apostolicae Dignitatis fastigium erecti, ac vicariam Christi Jesu hic in terris operam gerentes a Deo, qui est auctor pacis, et amator caritatis, missionem accepimus, ut omnes populos, gentes, nationes pari paterni amoris studio prosequentes, omnium salutâ totis viribus consulamus, et non jam ut homines ad elades mortemque impellamus. Quod si quicumque Princeps non nisi justis de causis bellum aggredi nunquam potest, o quis tam consiliû, et rationis expertus unquam erit, qui plane non videat, catholicum orbem merito atque optimo jure longe majorem justitiam, gravioresque causas a Romano Pontifice requirere, si Pontificem ipsam alicui bellum indicere et inferre conspiciat? Quamobrem Nostra Allocutione die 29 Aprilis superiori anno ad Vos habita palam publicetque declaravimus, Nos ab illo bello omnino esse alienos. Atque eodem tempore insidiosissimam profecto manus tam voce, tam scripto Nobis oblatam, ac non solum Personae Nostrae vel maxime injuriosam, verum etiam Italiae perniciosissimum repudiavimus, rejecimus, et scilicet Italiae cujusdam Republicae regimine praesidere vellemus. Equidem singulari Dei miseratione gravissimum loquendi, monendi, hortandique munus a Deo ipse Nobis impositam implendum curavimus, atque adeo confidimus, Nobis illud Isaiae impropertari non

posse : *Vae mihi quia tacui.* Utinam vero paternis Nostris vocibus , monitis, hortationibus suas Nostris omnes filii praebuissent aures !

Memineritis, Venerabiles Fratres, qui clamores, quique tumultus a turbulentissimae factionis hominibus excitati fuere post Allocutionem a Nobis nunc commemoratam, et quomodo civile Ministerium Nobis fuerit impositum Nostris quidem consiliis, ac principis, et Apostolicae Sedis juribus summopere aduersum. Nos quidem jam inde infelicem Italici belli exitum futurum animo prospeximus, dum unus ex illis Ministris asserere non dubitabat, bellum idem, Nobis licet invitis ac reluctantibus, et absque Pontificia benedictione, esse duraturum. Qui quidem Minister gravissimam Apostolicae Sedi inferens injuriam haud extimuit proponere civilem Romani Pontificis Principatum a spirituali ejusdem potestate omnino esse separandum. Atque idem ipse haud multo post ea de Nobis palam asserere non dubitavit, quibus Summum Pontificem ab humani generis consortio ejiceret quodammodo et dissociaret. Justus et misericors Dominus voluit Nos humiliare sub potenti manu. Ejus, cum permiserit, ut plures per menses veritas ex una parte, mendacium ex altera acerrimo inter se dimicarent certamine, cui attulit finem novi Ministerii electio, quod postea alteri locum cessit, in quo ingenii laus cum peculiari tum publici Ordinis tutandi, tum legum observandarum studio erat conjuncta. Verum effraenata pravarum cupiditatum licentia et audacia in dies caput altius extollens longe grassabatur, ac Dei hominumque hostes diuturna ac saeva dominandi, diripiendi ac destruendi siti incensi

nihil jam aliud optabant, quam jura quaeque divina et humana subvertere, ut eorum desideria possent explere. Hinc machinationes jamdiu comparatae palam publiceque emicuere, et viae humano sanguine respersae, et sacrilegia nunquam satis deploranda commissa, et inaudita prorsus violentia in Nostris ipsis Quirinalibus Aedibus infando ausu Nobis illata. Quocirca tantis oppressi angustiis cum ne dum Principis, sed ne Pontificis quidem partes libere obire possemus, non sine maxima animi Nostri amaritudine a Sede Nostra discedere debuimus. Quae luctuosissima facta in publicis Nostris protestationibus enarrata hoc loco iterum recensere praeterimus, ne funesta illorum recordatione communis noster recrescat dolor. Ubi vero seditiosi homines Nostras illas noverunt protestationes, majore furentes audacia, et omnia omnibus minitantes nulli neque fraudis, neque doli, neque violentiae generi pepercerunt, ut bonis omnibus jam pavore prostratis majorem usque terrorem injicerent. Ac postquam novam illam Gubernii formam ab ipsis *Giunta di Stato* appellatam invexere, ac penitus sustulerunt duo Consilia a Nobis instituta, totis viribus elaborarunt, ut novum cogeretur Consilium, quod *Constituentis Romanae* nomine nuncupare voluerunt. Refugit quidem animus, ac dicere reformidat quibus quantisque fraudibus ipsi usi fuerint, ut ejusmodi rem ad exitum perducerent. Hic vero haud possumus, quin meritas majori Pontificiae dittonis Magistratuum parti laudes tribuamus, qui proprii honoris et officii memores munere se abdicare maluerunt, quam ullo modo manum operi admovere, quo eorum Princeps et amantissimus Pa-

ter legitimo suo civili Principatu spoliabatur. Illud tandem consilium fuit coactum, et quidam Romanus Advocatus vel in ipso suae primae orationis exordio ad congregatos habitae, omnibus clare aperteque declaravit, quid ipse cunctique alii sui socii horribilis agitationis auctores sentirent, quid vellent et quo spectarent. *Lex, ut ille inquebat, moralis progressus est imperiosa et inexorabilis, ac simul addebat, sibi, ceterisque jamdiu in animo fixum esse, temporale Apostolicae Sedis dominium ac regimen funditus evertere, licet modis omnibus eorum desideris a Nobis fuisset obsecundatum. Quam declarationem in hoc vestro consessu commemorare volumus, ut omnes intelligant pravam hujusmodi voluntatem non conjectura, aut suspitione aliqua a Nobis turbarum auctoribus fuisse attributam, sed eam universo terrarum orbi palam publiceque ab illis ipsis manifestam, quos vel ipse pudor ab eadem preferenda declaratione revocare debuisset. Non liberiores igitur institutiones, non utilitorem publicae administrationis procuracionem, non providas cujusque generis ordinationes hujusmodi homines cupiebant, sed civilem Apostolicae Sedis principatum, potestatemque impetere, convellere ac destruere omnino volebant. Ac ejusmodi consilium, quantum in ipsis fuit, ad exitum deduxerunt illo *Romanae*, uti vocant, *Constituentis* decreto die 9 Februarii hujus anni edito, quo nescimus, an majori injustitia contra jura Romanae Ecclesiae, adjunctamque illis Apostolici obeundi maneris libertatem, vel majori subditorum Pontificiae ditionis damno et calamitate, Romanos Pontifices a temporali Gubernio tum jure tum facto de-*

cidisse declararunt. Non levi quidem moerore ob tam tristia facta confecti fuimus, Venerabiles Fratres, atque illud in primis vel maxime dolemus, quod Urbs Roma Catholicae veritatis et unitatis centrum, virtutis ac sanctitatis magistra per impiorum ad eam quotidie confluentium hominum operam, omnibus gentibus, populis, nationibus tantorum malorum auctrix appareat. Verumtamen in tanto animi Nostrî dolore pergratum Nobis est, posse affirmare, longe maximam tum Romani Populi, tum aliorum Pontificiae Nostrae ditionis populorum partem Nobis, et Apostolicae Sedi constanter addictam a nefariis illis machinationibus abhorruisse, licet tot tristium eventuum spectatrix extiterit. Summae quoque consolationi Nobis fuit Episcoporum, et Cleri Pontificiae Nostrae ditionis sollicitudo, qui in mediis periculis, et omne genus difficultatibus ministerii et officii sui partes obire non destiterunt, ut populos ipsos qua voce, qua exemplo a motibus illis, nefariisque factionis consiliis averterent.

Nos certe in tanto rerum certamine atque discrimine nihil intentatum reliquimus, ut publicae tranquillitati et ordini consideremus. Multo enim tempore antequam tristissima illa Novembris facta evenirent, omni studio curavimus, ut Helvetiorum copiae Apostolicae Sedis servitio addictae, atque in Nostris Provinciis degentes in urbem deducerentur, quae tamen res contra Nostram voluntatem ad exitum minime fuit perducta eorum opera, qui mense Majo Ministrorum munere fungebantur. Neque id solum, verum etiam ante illud tempus, nec non et postea tum publico praesertim Romae ordini tuendo,

tum inimicorum hominum audaciae comprimendae curas Nostras convertimus ad alia militum praesidia comparanda, quae, Deo ita permittente, ob rerum ac temporum vicissitudines Nobis defuere. Tandem post ipsa luctuosissima Novembris facta haud omisimus Nostris Litteris die quinta Januarii datis omnibus indigenis Nostris militibus etiam atque etiam inculcare, ut religionis et militaris honoris memores juratam suo Principi fidem custodirent, ac sedulam impenderent operam, quo ubique tum publica tranquillitas, tum debita erga legitimum Gubernium obedientia ac devotio servaretur. Neque id tantum, verum etiam Helvetiorum copias Romam petere jussimus, quae huic Nostrae voluntati haudquaquam obsequutae sunt, cum praesertim supremus illarum Ductor in hac re haud recte atque honorifice se gesserit.

Atque interim factionis moderatores majore in dies audacia et impetu opus urgentes tum Nostram Personam, tum alios qui Nostro adhaerent lateri horrendis cujusque generis calumniis et contumeliis lacerare non intermittebant; ac vel ipsis Sacrosancti Evangelii verbis et sententiis nefarie abuti non dubitabant, ut in vestimentis ovium, cum intrinsecus sint lupi rapaces, imperitam multitudinem ad prava quaeque eorum consilia et molimina pertraherent, atque incautorum mentes falsis doctrinis imbuerent. Subditi vero temporali Apostolicae Sedis ditioni, et Nobis immobili fide addicti merito atque optimo jure a Nobis exposcebant, ut eos a tot gravissimis, quibus undique premebantur, angustiis, periculis, calamitatibus et jacturis eriperemus. Et quoniam non-

nulli ex ipsis reperiuntur qui nos veluti causam (innocuam licet) tantarum perturbationum suspiciunt, idcirco isti animadvertant velimus, Nos quidem ut primum ad Supremam Apostolicam Sedem evecti fuimus, paternas Nostras curas et consilia, quemadmodum supra declaravimus, eo certe intendisse, ut Pontificiae Nostrae ditionis populos omni studio in meliorem conditionem adduceremus, sed inimicorum ac turbulentorum hominum opera factum esse, ut consilia illa Nostra in irritum cederent, contra vero factiosis ipsis, Deo permittente, contigisse, ut ad exitum perducere possent quae a longo ante tempore moliri ac tentare omnibus quibusque malitiae artibus nunquam destiterant. Itaque id ipsum, quod jam alias ediximus, hic iterum repetimus, in tam gravi scilicet ac luctuosa tempestate, qua universus fere terrarum orbis tantopere jactatur, Dei manum esse agnoscendam, Ejusque vocem audiendam, qui ejusmodi flagellis hominum peccata et iniquitates punire solet, ut ipsi ad justitiae semitas redire festinent. Hanc igitur vocem audiant qui erraverunt a veritate, et derelinquentes vias suas convertantur ad Dominum; audiant etiam illi, qui in hoc tristissimo rerum statu magis de privatis propriis commodis quam de Ecclesiae bono, et rei catholicae prosperitate solliciti sunt, ac meminerint nihil prodesse homini si *mundum universum lucretur, animae verae suae detrimentum patiatur*; audiant et pii Ecclesiae filii, ac praestolantes in patientia salutare Dei, et majore usque studio emundantes conscientias suas ab omni inquinamento peccati, miserationes Domini

implorare, Eique magis magisque placere, ac jugiter famulari contendant.

Atque inter hæc Nostra ardentissima desideria haud possumus eos non monere speciatim, et redarguere, qui decreto illi, quo Romanus Pontifex omni civilis sui imperii honore ac dignitate est spoliatus, plaudunt, ac decretum idem ad ipsius Ecclesiae libertatem felicitatemque procurandam vob maxime conducere asserunt. Hic autem palam publiceque profitemur, nulla Nos dominandi cupiditate, nullo temporalis Principatus desiderio hæc loqui, quandoquidem Nostra indoles et ingenium a quavis dominatione profecto est alienum. Verumtamen officii Nostrum ratio postulat, ut in civili Apostolicæ Sedis Principatu tuendo jura possessionesque Sanctæ Romanæ Ecclesiae, atque ejusdem Sedis libertatem, quæ cum totius Ecclesiae libertate et utilitate est conjuncta, totis viribus defendamus. Et quidem homines, qui commemorato plaudentes decreto tam falsa et absurda affirmant, vel ignorant, vel ignorare simulant, singulari prorsus Divinæ providentiæ consilio factum esse, ut Romano Imperio in plura regna, variasque ditiones divisum, Romanus Pontifex, cui a Christo Domino totius Ecclesiae regimen et cura fuit commissum, civilem Principatum hæc sane de causa haberet, ut ad ipsam Ecclesiam regendam, ejusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate, quæ ad Supremi Apostolici ministerii munus obendum requiritur. Namque omnibus compertum est, fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam, et observantiam esse præstitura Romano Pontifici, si illum alieujus Principis, vel Gubernii

dominio subjectum, ac minima liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi, et regna vehementer suspicari, ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis, vel Gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc praetextu saepius reficari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quam fiduciam, et observantiam ipsi essent excepturi hortationes, monita, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cujusvis Principis, aut Gubernii imperio subditum esse cognoscerent, praesertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam Ditionem diuturnum aliquid ageretur bellum?

Interea nemo non videt quibus, quantisque vulneribus in ipsis Pontificiae ditionis regionibus immaculata Christi Sponsa nunc afficiatur, quibus vinculis, qua turpissima servitute magis magisque opprimatur, quantisque angustiis visibile illius Caput obruitur. Equis enim ignorat, Nobis communicationem cum Urbe Roma, illiusque Nobis carissimo Clero, et universo Pontificiae ditionis Episcopatu, caeterisque fidelibus ita esse praepeditam, ut ne epistolas quidem, de ecclesiasticis licet ac spiritualibus negotiis agentes, vel mittere, vel accipere libere possimus? Quis nescit, Urbem Romam principem catholicae Ecclesiae Sedem in praesentia prohi dolor! silvam fumentium bestiarum esse factam, cum ea omnium nationum hominibus redundet, qui vel apostatae, vel haeretici, vel *Communismi*, uti dicunt, aut *Socialismi* magistri, ac summo contra catholicam veritatem odio.

animati tum voce, tum scriptis, tum aliis quibusque modis omnigenos pestiferos errores docere, disseminare, omniumque mentes et animos pervertere conantur, ut in Urbe ipsa, si fieri unquam posset, catholicae religionis sanctitas et irreformabilis fidei regula depravetur? Cui jam notum, auditumque non est, in Pontificia ditione Ecclesiae bona, redditus, possessiones ausu temerario et sacrilego occupatas, augustissima templa suis ornamentis nudata, religiosa Coenobia in profanos usus conversa, Virgines Deo sacras vexatas, lectissimos, atque integerrimos Ecclesiasticos, Religiososque viros crudeliter insectatos, in vincula coniectos, et occisos, sacros clarissimos Antistites vel ipsa Cardinalitia dignitate insignes a propriis gregibus dire avulsos, et in carcerem abreptos? Atque haec tanta facinora contra Ecclesiam, ejusque jura, libertatem admittuntur tum in Pontificiae ditionis locis, tum alibi, ubi homines illi, vel eorum similes dominantur, eo scilicet tempore, quo iidem ipsi libertatem ubique proclamant, ac sibi in votis esse confingunt, ut suprema Summi Pontificis potestas a quovis prorsus vinculo expedita omni libertate fruatur.

Jam porro neminem latet in qua tristissima ac deploranda conditione carissimi Nostri versentur Subditi eorundem hominum opera, qui tanta adversus Ecclesiam flagitia committunt. Publicum enim aerarium dissipatum exhaustum, commercium intermissum ac pene extinctum, ingentes pecuniae summae optinatibus viris aliisque impositae, privatorum bona ab illis, qui se populorum rectores et effraenatarum cohortium ductores appellant, direpta, bonorum

omnium tremefacta libertas, eorumque tranquillitas in summum discrimen adducta, ac vita ipsa sicarii pugioni subjecta, et alia maxima et gravissima mala ac damna, quibus continenter cives tantopere affliguntur atque terrentur. Haec scilicet sunt illius prosperitatis initia, quam Summi Pontificatus osores Pontificiae Ditionis populis annunciant atque promittunt.

In magno igitur et incredibili dolore, quo ob tantas tum Ecclesiae, tum Pontificiae Nostrae ditionis populorum calamitates intime excruciamur, probe noscentes officii Nostri rationem omnino postulare, ut ad calamitates ipsas amovendas ac propulsandas omnia conaremur, jam inde a die quarta Decembris proximi superioris anni omnium Principum, et Nationum opem, auxiliumque implorare, et exposcere haud omisimus. Ac Nobis temperare non possumus, quin Vobiscum, Venerabiles Fratres, nunc communemus singularem illam consolationem, qua affecti fuimus, cum iidem Principes et populi, etiam illi qui catholicae unitatis vinculo Nobis voluntatem luculentis sane modis testari ac declarare studuerint. Quod quidem dum acerbissimum animi Nostri dolorem mirifice lenit atque solatur, magis magisque demonstrat quomodo Deus Ecclesiae suae Sanctae semper propitius adsistat. Atque in eam spem erigimur fore, ut omnes intelligant, gravissima illa mala, quibus in hac tanta temporum asperitate populi, ac regna vexantur, ex sanctissimae nostrae religionis contemptu suam duxisse originem, nec aliunde solatium ac remedium habere posse, quam ex divina Christi doctrina, Ejusque Sancta Ecclesia, quae vir-

tutum omnium foecunda parens et altrix, atque expultrix vitiorum, dum homines ad omnem veritatem ac justitiam instituit, eosque mutua caritate constringit, publico civili societatis bono, et ordini mirandum in modum consulit ac prospicit.

Postquam vero omnium Principum opem implo-
ravimus, ab Austria, quae Pontificiae Nostrae ditioni ad Septentrionem finitima est, auxilium eo sane libentius efflagitavimus, quod ipsa non solum temporali Apostolicae Sedis dominio tuendo egregiam suam semper operam navaverit, verum etiam quod nunc ea profecto spes affulgeat fore, ut ab illo Imperio juxta ardentissima Nostra desideria, justissimasque Nostras postulationes notissima quaedam eliminentur principia ab Apostolica Sede perpetuo improbata, ac propterea inibi Ecclesia in suam restituatur libertatem cum maximo illorum fidelium bono atque utilitate. Quod quidem dum non mediocri animi Nostri consolatione significamus, plane non dubitamus, quin id Vobis non leve afferat gaudium.

Idem auxilium a Gallica Natione expostulavimus, quam singulari paterni animi Nostri benevolentia et affectu prosequimur, cum illius Nationis Clerus Populusque fidelis omnibus quibusque filialis devotionis et observantiae significationibus Nostras calamitates et angustias lenire ac solari studuerit.

Hispaniae quoque opem invocavimus, quae de Nostris angustiis vehementer anxia atque sollicita alias catholicas Nationes primum excitavit, ut filiali quodam foedere inter se inito communem fidelium Patrem ac Supremum Ecclesiae Pastorem in propriam Sedem reducere contenderent.

Hanc denique opem ab utriusque Siciliae Regno efflagitavimus, in quo hospitamur apud illius Regem, qui in veram solidamque suorum populorum felicitatem promovendam totis viribus incumbens tanta religione ac pietate refulget, ut suis ipsis populis exemplo esse possit. Etsi vero nullis verbis exprimere possimus, quanta cura et studio idem Princeps eximiam suam filialem in Nos devotionem omnium officiorum genere, et egregiis factis assidue testari, et confirmare laetatur, tamen praeclara ejusdem Principis in Nos merita nulla unquam delebit oblivio. Neque taciti ullo modo praeterire possumus pietatis, amoris et obsequii significationes, quibus ejusdem Regni Clerus et Populus Nos prosequi nunquam destitit, ex quo Regnum ipsum attigimus.

Quamobrem in eam spem erigimur fore, ut, Deo bene juvante, catholicae illae gentes Ecclesiae, ejusque Summi Pontificis communis omnium fidelium Patris causam prae oculis habentes ad civilem Apostolicae Sedis Principatum vindicandum, ad pacem et tranquillitatem subditis Nostris restituendam quamprimum accurrere properent, ac futurum confidimus, ut Sanctissimae Nostrae religionis et civilis societatis hostes ab Urbe Roma, totoque Ecclesiae Statu amoveantur. Atque id ubi contigerit, omni certe vigilantia, studio, contentione a Nobis erit curandum, ut illi omnes errores, et gravissima propulsentur scandala, quae cum bonis omnibus tam vehementer dolere debuimus. Atque in primis vel maxime allaborandum, ut hominum mentes ac voluntates impiorum fallacis, insidiis et fraudibus miserandum in modum deceptae collustrentur sempiternae veritatis

lumine, quo homines ipsi funestissimos errorum et vitiorum fructus agnoscant, atque ad virtutis, justitiae et religionis semitas amplectendas excitentur et inflammentur. Optime enim noscitis, Venerabiles Fratres, horrenda illa et omnigena opinionum monstra, quae ex abyssi puteo ad exitium et vastitatem emersa longe jam lateque cum maximo religionis, civilisque societatis detrimento invalere, ac debacchantur. Quas perversas pestiferasque doctrinas inimici homines seu voce, seu scriptis, seu publicis spectaculis in vulgus disseminare nunquam intermittunt, ut effraenata cujusque impietatis, cupiditatis, libidinis licentia magis in dies augeatur et propageatur. Hinc porro illae omnes calamitates, exitia et luctus, quibus humanum genus, ac universus fere terrarum orbis tantopere est funestatus et funestatur. Neque ignoratis cujusmodi bellum contra sanctissimam Nostram religionem in ipsa quoque Italia nunc geratur, quibusque fraudibus et machinationibus terribissimi ipsius religionis, et civilis societatis hostes imperitorum praesertim animos a fidei sanctitate, sanaque doctrina avertere, eosque aestuantibus incredulitatis fluctibus demergere, atque ad gravissima quaeque peragenda facinora compellere conentur. Atque ut facilius eorum consilia ad exitum perducere, et horribiles cujusque seditionis et perturbationis motus excitare ac fovere possint haereticorum hominum vestigiis inhaerentes, suprema Ecclesiae auctoritate omnino despecta, plane non dubitant Sacrarum Scripturarum verba, testimonia, sententias privato proprio, pravoque sensu invocare, interpretari, invertere, detorquere, ac per summam impie-

tatem sanctissimo Christi nomine nefarie abuti non reformidant. Neque eos pudet palam publiceque asserere, tum cujusque sanctissimi juramenti violationem, tum quamlibet scelestam flagitiosamque actionem sempiternae legi repugnantem non solum haud esse improbandam, verum etiam omnino licitam, summisque laudibus efferendam, quando id pro patriae amore, ut ipsi dicunt, agatur. Quo impio ac praepostero argumentandi genere ab ejusmodi hominibus omnis prorsus honestas, virtus, justitia penitus tollitur, atque nefanda ipsius latronis et sicarii agendi ratio per inauditam impudentiam defenditur et commendatur.

Ad ceteras innumeras fraudes, quibus catholicae Ecclesiae inimici continenter utuntur, ut incautos praesertim et imperitos ab ipsius Ecclesiae sinu avelant et abripiant, acerrimae etiam, ac turpissimae accedunt calumniae, quas in personam Nostram intendere et comminisci non erubescunt. Nos quidem nullis licet Nostris meritis Illius hic in terris vicariam gerentes operam, *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur*, acerbissima quaeque convicia in omni patientia, ac silentio perferre, et pro persequentibus, et calumniantibus Nos orare numquam omisimus. Verum cum debitores simus sapientibus, et insipientibus, omniumque saluti consulere debeamus, haud possumus, quin ad praecavendam praesertim infirmorum offensionem, in hoc vestro Consessu a Nobis rejiciamus falsissimam illam, et omnium teterrimam calumniam, quae contra Personam humilitatis Nostrae per recentissimas quasdam ephemeridas est evulgata. Etsi vero

incredibili horrore affecti fuimus ubi illud commentum legimus, quo inimici homines Nobis, et Apostolicae Sedi grave vulnus inferre commoliuntur, tamen nullo modo vereri possumus, ne ejusmodi turpissima mendacia vel leviter offendere queant supremam illam veritatis Cathedram, et Nos, qui nullo meritum suffragio in ea collocati sumus. Et quidem singulari Dei misericordia divinis illis Nostri Redemptoris verbis uti possemus *Ego palam loquutus sum mundo et in occulto loquutus sum nihil*. Atque hic, Venerabiles Fratres, opportunum ducimus ea ipsa iterum dicere et inculcare, quae in Nostra praesertim Allocutione ad vos die 13 Decembris Anno 1847 habita declaravimus, inimicos scilicet homines, quo facilius veram germanamque catholicae religionis doctrinam corrumpere, aliosque decipere, et in errorem inducere queant, omnia comminisci, omnia moliri, omnia conari, ut vel ipsa Apostolica Sedes eorum stultitiae particeps et faulrix quodammodo appareat. Nemini autem ignotum est, quae tenebrosissimae, aequae ac perniciosissimae societates, et sectae a fabricatoribus mendacii, et perversorum dogmatum cultoribus fuerint variis temporibus coactae, et institutae, ac variis nominibus appellatae, quo eorum deliramenta, systemata, molimina in aliorum animos tutius instillarent, incautorum corda corrumperent, ac latissimam quibusque sceleribus impune patrandis viam munirent. Quas abominabiles perdicionis sectas non solum animarum saluti, verum etiam civilis societatis bono et tranquillitati vel maxime infestas, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostri damnatas Nos ipsi jugiter detestati sumus, ac No-

stris Encyclicis Litteris die 9 Novembris Anno 1846 ad universos Catholicae Ecclesiae Antistites datis condemnavimus, et nunc pariter suprema Nostra Apostolica auctoritate iterum damnamus, prohibemus, atque proscribimus.

At hac Nostra Allocutione haud sane voluimus vel omnes errores enumerare, quibus populi misere decepti ad tantas impelluntur ruinas, vel singulas percensere machinationes, quibus inimici homines, et catholicae religionis perniciem moliri, et arcem Sion usquequaque impetere, et invadere contendunt. Quae hactenus dolenter commemoravimus satis superque ostendunt ex perversis grassantibus doctrinis, atque ex justitiae et religionis contemptu eas oriri calamitates et exitia, quibus nationes, et gentes tantopere jactantur. Ut igitur tanta amoveantur damna, nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus, neque vigiliis est parcendum, quo tot perversis doctrinis radicitus evulsis, omnes intelligant, veram solidamque felicitatem virtutis, justitiae, ac religionis exercitio inniti. Itaque et Nobis, et Vobis, atque aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis summa cura, studio, contentione in primis est allaborandum, ut fideles populi ab venenatis pascuis amoti, atque ad salutaria deducti, ac magis in dies enutriti verbis fidei et insidiantium hominum fraudes et fallacias agnoscant, devitent, ac plane intelligentes, timorém Domini bonorum omnium esse fontem, et peccata atque iniquitates provocare Dei flagella, studeant omni cura declinare a malo, et facere bonum. Quocirca inter tantas angustias non levi certe laetitia perfundimur, cum noscamus quanta

animi firmitate et constantia Venerabiles Fratres catholici orbis Antistites Nobis, et Petri Cathedrae firmiter addicti una cum obsequente sibi Clero ad Ecclesiae causam tuendam, ejusque libertatem propugnandam strenue conitantur, et qua Sacerdotali cura et studio omnem impendant operam, qua et bonos magis magisque in bonitate confirmant, et errantes ad justitiae semitas reducant, et pervicaces religionis hostes tum voce, tum scriptis redarguant atque refellant. Dum autem has meritas debitasque laudes ipsis Venerabilibus Fratribus tribuere laetamur, eisdem animos addimus, ut divino auxilio freti pergant alacriori usque zelo ministerium suum implere, ac praeliari praelia Domini, et exaltare vocem in sapientia et fortitudine ad evangelizandam Jerusalem, ad sanandas contritiones Israel. Iuxta haec non desinant adire cum fiducia ad thronum gratiae, ac publicis privatisque precibus insistere, et fidelibus populis sedulo inculcare, ut omnes ubique poenitentiam agant, quo misericordiam a Deo consequantur, et gratiam inveniant in auxilio opportuno. Nec vero intermittant viros ingenio, sanaque doctrina praestantes hortari, ut ipsi quoque sub eorum, et Apostolicae Sedis ductu populorum mentes illustrare, et serpentium errorum tenebras dissipare studeant.

Hic etiam Carissimos in Christo Filios Nostros Populorum Principes, et Rectores obtestamur in Domino, atque ab ipsis exposcimus, ut serio ac sedulo considerantes quae et quanta damna ex tot errorum ac vitiorum colluvie in civilem societatem redundent, omni cura, studio, consilio in id potissimum incumbere velint, ut virtus, justitia, religio ubique

dominentur, ac majora in dies incrementa suscipiant. Atque universi populi, gentes, nationes, earumque Moderatores assidue ac diligenter cogitent et meditentur, omnia bona in justitiae exercitio consistere, omnia vero mala ex iniquitate prodire. Siquidem *justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum* (1).

Antequam autem dicendi finem faciamus, haud possumus, quin gratissimi animi Nostri sensus illis omnibus carissimis atque amantissimis filiis palam publiceque testemur, qui de Nostris calamitatibus vehementer solliciti singulari prorsus erga Nos pietatis affectu suas Nobis oblationes mittere voluerunt. Etsi vero piae hujusmodi largitiones non leve Nobis afferant solatium, tamen fateri debemus, paternum cor Nostrum non mediocri angi angustia, cum suum opere timeamus, ne in tristissima hac rerum publicarum conditione iidem carissimi filii suae in Nos caritati nimium indulgentes, largitiones ipsas proprio etiam incommodo ac detrimento facere velint.

Denique, Venerabiles Fratres, Nos quidem investigabilibus sapientiae Dei consiliis, quibus gloriam suam operatur, plane acquiescentes; dum in humilitate cordis Nostri maximas Deo agimus gratias, quod Nos dignos habuerit pro nomine Jesu contumeliam pati, et aliqua ex parte conformes fieri imagini Passionis Ejus, parati sumus in omni fide, spe, patientia, et mansuetudine acerbissimos quosque labores, aerumnas perferre, atque ipsam animam Nostram pro Ecclesia ponere, si per Nostrum san-

(1) Prov. c. 14. v. 34.

guinem ipsius Ecclesiae calamitatibus consulere possemus. Interim vero, Venerabiles Fratres, ne intermittamus dies, noctesque assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum humiliter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii sui omnipotenti sua dextera Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus jactatur procellis, eripiat, utque divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustret, et in multitudine misericordiae suae omnium praevaricantium corda expugnet, quo cunctis ubique erroribus depulsis, cunctisque amotis adversitatibus, omnes veritatis, et justitiae lucem adspiciant, agnoscant, atque occurrant in unitatem fidei, et agnitionis Domini Nostri Jesu Christi. Atque ab Ipso, qui facit pacem in sublimibus, quique est pax Nostra, suppliciter etiam exposcere nunquam desinamus, ut malis omnibus, quibus christiana respublica vexatur, penitus avulsis, optatissimam ubique pacem et tranquillitatem facere velit. Ut vero facilius annuat Deus precibus nostris suffragatores apud Eum adhibeamus, atque in primis Sanctissimam immaculatam Virginem Mariam, quae Dei mater et nostra, quaeque mater misericordiae, quod quaerit invenit, et frustrari non potest. Suffragia quoque imploremus Beati Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum coelitem, qui jam facti amici Dei cum ipso regnant in coelis, ut clementissimus Dominus, eorum intervenientibus meritis ac precibus, fidelem populum ab iracundiae suae terroribus liberet, semperque protegat, ac divinae suae propitiationis abundantia laetificet.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS NONNVLLA DECLARANTVR DE EQVITIBVS
PRIMAE CLASSIS ORDINIS PIANI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum hominum mentes, animique ita sint comparati, ut ad virtutis et justitiae semitam terendam, atque ad optimas excolendas artes, et pulcherrima quaeque peragenda facinora honorum et laudum gloria vehementer excitentur, tum Romani Pontifices Decessores Nostri provido sane consilio Equestres Ordines instituerunt, quo Viris de christiana et civili republica ob egregia facta optime meritis debitos tribuerent honores, et alios ejusmodi stimulo ad illustria virtutum exempla imitanda inflammarent. Hac quidem mente per similes Nostras Apostolicas Litteras die XVII Junii anno MDCCCXLVII editas Equestrem Ordinem a Nostro nomine Ordinem Pianum appellatum constituimus, illumque in duos gradus divisimus, quorum alterum Equitibus primae classis, alterum vero Equitibus secundae classis attribuimus, itemque concessimus, ut primae tantum classis Equites pollerent privilegio transmittendi in filios nobilitatis titulum. Iisdem in Litteris proprium ejusdem Ordinis insigne statuimus, quod ex auro confectum stellae instar superficiem habet in octo coeruleos radios divisam, parvum album numisma in medio referentem, in quo aureis litteris scriptus « PIVS IX »

quod numisma aureo circulo clauditur, et in eo inscriptio coeruleis litteris posita « VIRTUTI ET MERITO » atque in parte aversa numismatis scriptum « ANNO MDCCCXLVII ». Statuimus quoque ut primae classis Equites illud insigne e taenia serica coerulea, duplici linea rubri extremis oris distincta collo inserta dependens gestarent, utque secundae classis Equites insigne ipsum minoris moduli, atque eadem ex taenia pendens in sinistra vestis parte juxta communem equitum morem deferrent. Propriam quoque Equitum vestem sancivimus, quae coeruleo colore, rubris oris, ac variis aureis ornamentis est ornata pro vario ipsorum Equitum gradu. Insuper manifestavimus, primae classis Equites consequi posse privilegium gerendi magnum argenteum numisma insigni simile in sinistro pectoris latere innexum, declarantes, nulli ex Equitibus licere ejusmodi uti privilegio, nisi peculiaris et expressa facultas facta fuisset, ac Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris jus reservavimus tum elegendi Equites, tum concedendi primae classis Equitibus commemorati argentei numismatis usum. Jam vero hisce Nostris Apostolicis Litteris statuimus atque decernimus, ut ii omnes, qui in posterum Equites Piani Ordinis primae classis fuerint renunciati pollere debeant privilegio gestandi commemoratum magnum argenteum numisma in sinistro pectoris latere, utque alterum proprium Ordinis insigne jam primae classis Equitibus attributum non amplius e fascia collo inserta dependens veluti antea, sed ita deferant, ut idem insigne fascia serica praelonga coerulei pariter coloris duplici linea rubri coloris extremis oris distincta dextero humero

sustineatur. Et quoniam plures clarissimi Viri a Nobis in primam Piani Ordinis classem cooptati fuerunt cum privilegio gerendi memoratum magnum argenteum numisma, idcirco per praesentes Litteras declaramus, ut ii tantum primae ipsius Ordinis classis Equites, quibus ejusdem numismatis usus a Nobis fuit concessus, alterum Ordinis insigne deferre possint, et debeant quemadmodum Nostris hisce Litteris nunc praescribitur. Insuper primae Piani Ordinis classis Equites memoratum magnum argenteum numisma coruscantibus quoque gemmis exornatum in posterum deferre poterunt, quando tamen id a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris peculiari et expressa facultate fuerit concessum, sine qua nemini unquam licebit magnum numisma gemmis ornare. Haec statuimus, concedimus et declaramus non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, praesertim verò commemoratis Nostris Apostolicis Litteris die XVII Junii anno MDCCCXLVII editis, quas in iis omnibus, quae praesentibus hisce Litteris minime adversantur, firmas, atque in suo robore permansuras volumus atque mandamus.

Datum Cajetae sub Annulo Piscatoris die XVII Junii Anno MDCCCXLIX. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ITALIAE

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nostis et Nobiscum una conspicitis, Venerabiles Fratres, quanta nuper perversitate invaluerint perditii quidam veritatis, justitiae et honestatis cujusque inimici, qui sive per fraudem, omnisque generis insidias, sive palam et tanquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, effraenatam cogitandi, loquendi et impia quaeque audiendi licentiam quaqua-versus diffundere contendunt inter fideles Italiae populos, et catholicam Religionem in Italia ipsa labefactare, ac si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Apparuit tota diabolici eorum consilii ratio tum aliis nonnullis in locis, tum in alma praesertim Urbe, Supremi Pontificatus Nostri Sede, in qua, Nobis abire inde coactis, liberius, paucis licet mensibus, debacchati sunt; ubi divinis humanisque rebus nefario ausu commiscendis, eo tandem illorum furor pervenit, ut spectatissimi Urbani Cleri, et Praesulum sacra inibi jussu Nostro impavide curantium turbata opera et auctoritate despecta, vel ipsi interdum miseri aegroti cum morte colluctantes, cunctis destituti religionis subsidiis, animam inter procacis alicujus meretricis illecebras emittere cogebantur.

Jam vero etsi deinceps Romana eadem Urbs, et aliae Pontificiae Ditionis provinciae, Deo miserante, per Catholicarum Nationum arma civili Nostro regimini restitutae fuerint, ac bellorum tumultus in aliis pariter regionibus Italiae cessaverit, non destitere tamen nec sane desistunt improbi illi Dei hominumque hostes a nefando suo opere, sin minus per apertam vim, aliis certe fraudulentis nec semper occultis modis urgendo. Verum infirmitati Nostrae supremam totius Dominici gregis curam in tanta temporum difficultate sustinenti, et peculiaribus hujusmodi Ecclesiarum Italiae periculis vehementer afflictas, non levis inter aerumnas consolatio est ex pastoralis Vestro studio, Venerabiles Fratres, cujus multa Nobis documenta, et in medio praeteritae tempestatis turbine non defuerant, et nova in dies clarioraque obveniunt. Ipsa autem rei gravitas urget Nos, ut pro debito apostolici officii Fraternitatibus Vestris, in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, acriores sermone atque hortationibus Nostris addamus stimulos ad praelianda constanter una Nobiscum praelia Domini, atque ad ea omnia concordibus animis providenda ac praestanda, quibus, Deo benedicente, et damna reparentur quaecumque Religioni sanctissimae per Italiam illata jam sint, et imminente in posterum pericula propulsentur.

Inter multiplices fraudes, quibus praedicti Ecclesiae hostes uti consueverunt ad Italorum animos a Fide catholica abalienandos, asserere etiam, et quaquaversus clamitare non erubescunt, catholicam Religionem Italiae Gentis gloriae, magnitudini et prosperitati adversari ac propterea opus esse, ut illius loco

Protestantium placita et conventicula inducantur, constituentur et propagentur, quo Italia pristinum veterum temporum, scilicet ethnicorum, splendorem iterum acquirere possit. In quo sane illorum commento haud facile quis existimaverit, num detestanda magis et vesanae impietatis malitia, vel impudentia mentientis improbitatis.

Etenim spirituale emolumentum ut de potestate tenebrarum in Dei lumen translati et justificati Gratia Christi heredes simus secundum spem vitae aeternae, hoc scilicet animarum emolumentum, a catholicae Religionis sanctitate dimanans, ejus profecto est pretii, ut quaecumque hujus mundi gloria et faustitas in comparatione illius plane in nihilum esset computanda. « Quid enim prodest homini si mundum » universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua (1)»? At vero tantum porro abest, ut temporalia illa detrimenta Italicorum Genti ob verae Fidei professionem acciderint, ut immo Religioni catholicae in acceptis referre illa debeat si Romano labante Imperio non in eam conditionem deciderit, in quam Assyrii et Chaldaei, Medi, Persaeque et Macedones Populi, multos antea dominati per annos commutata deinceps temporum vice, dilapsi fuerant. Etenim nemo prudens ignorat, per sanctissimam Christi Religionem effectum esse, ut Italia non solum a tot ac tantis, quibus obruebatur, errorum tenebris fuerit erepta, verum etiam ut inter antiqui illius imperii ruinas, et barbarorum tota Eu-

(1) Matthaei XVI, 26.

ropa grassantium incursiones, ad eam nihilominus gloriam et magnitudinem prae caeteris totius mundi nationibus se provectam conspiceret, ut per sacram Petri cathedram singulari Dei beneficio in ipsa collocatam latius atque solidius praesideret religione divina, quam praefuerat olim dominatione terrena.

Atque ex ipso hoc Apostolicae habendae Sedis singulari privilegio, et ex Religione catholica firmiores exinde in Italiae Populis radices obtinente alia porro permulta, eademque insignia beneficia profecta sunt. Siquidem sanctissima Christi Religio verae sapientiae magistra, humanitatis vindex, ac virtutum omnium foecunda parens, avertit quidem Italorum ab infelicis illius gloriae splendore, quam illorum majores in perpetuo bellorum tumultu, in exterorum oppressione, atque in longe maximo hominum numero, ex eo quod vigeat jure belli, ad durissimam captivitatem redigendo posuerant, sed una simul Italos ipsos Catholicae veritatis luce collustratos ad sectandam justitiam et misericordiam, atque adeo ad praeclara etiam pietatis in Deum, et beneficentiae erga homines aemulanda opera excitavit. Hinc in praecipuis Italiae urbibus admirari est, sacra templa, et alia Christianorum temporum monumenta, haudquam per cruentos labores hominum sub captivitate gementium, sed ingenue vivificae caritatis studio confecta, et pia cujusque generis instituta, quae sive ad Religionis exercitia, sive ad educationem juventutis, et litteras, artes, disciplinas rite excolendas, sive ad miserorum aegritudines et indigentias sublevandas comparata sunt. Haec igitur divina Religio, in qua tot quidem nominibus Italiae salus, felicitas et gloria

continetur, haec scilicet Religio illa est; quam ab Italiae populis rejiciendam inclamant? Lacrimas cohibere non possumus, Venerabiles Fratres, dum conspiciamus aliquos nunc Italos reperiri, improbos adeo, misereque illusos, ut pravis impiorum hominum plaudentes doctrinis in tantam Italiae perniciem conspiciant cum ipsis non reformidant.

Sed vero ignotum vobis non est, Venerabiles Fratres, praecipuos illos hujus scelestissimae machinationis architectos eo tandem spectare, ut populos omni perversarum doctrinarum vento agitados, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque ad nefaria novi *Socialismi* et *Communismi* systemata traducant. Norunt autem et longo multorum saeculorum experimento comprobatum vident, nullam sibi consensionem sperari posse cum Ecclesia catholica, quae scilicet in custodiendo divinae revelationis deposito nihil unquam detrahi patitur propositis Fidei veritatibus, nihil illis per nova hominum commenta admisceri. Idcirco consilium inierunt de Italis populis traducendis ad Protestantium placita et conventicula; in quibus ut illos decipiant, non aliud esse dicitant, quam diversam verae ejusdem christianae Religionis formam, in qua, aequae ac in Ecclesia catholica, Deo placere datum sit. Interea minime ignorant, profuturum summopere impiae suae causae principium illud quod in Protestantium placitis praecipuum est, de Sacris scilicet Scripturis privato uniuscujusque judicio intelligendis. Exinde enim facilius sibi fore confidunt, ut primo quidem Sacris ipsis Litteris perperam interpretatis abutantur ad errores suos, quasi Dei nomine, diffun-

dendos; subinde autem ut homines superbissima illa de divinis rebus judicandi licentia inflatos propellant ad communia ipsa justae, honestique principia in dubium revocanda.

Absit tamen, Venerabiles Fratres, ut Italia, ex qua, ob Sedem Apostolici Magisterii Romae constitutam, nationes aliae incorruptos salutaris doctrinae latices haurire solitae sunt, fiat illis in posterum lapis offensionis et petra scandali; absit, ut dilecta haec Dominicae Vineae pars in direptionem cedat omnium bestiarum agri; absit ut Itali Populi, venefico Babylo-nici calicis haustu dementati, parricidalia contra matrem Ecclesiam arma suscipiant. Nobis quidem, uti et Vobis, in haec tanti periculi tempora occulto Dei judicio reservatis, cavendum omnino est, ne fraudes atque impetus hominum contra Italiae Fidem conspirantium extimescamus, nostris quasi viribus superandos; cum nostrum consilium et fortitudo sit Christus, et sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus (1). Agite igitur, Venerabiles Fratres, advigilate impensius super creditum gregem, eumque a rapacium luporum insidiis et aggressionibus tueri contendite. Communicate invicem consilia, pergite, ut jam instituistis, coetus habere inter Vos, ut maiorum initiis, et praecipuis pro locorum diversitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis, sub auctoritate ac ductu Sanctae hujus Sedis promptiora illis remedia comparare valeatis, atque ita una Nobiscum concordissimis animis, totoque pastoralis studii robore curas laboresque Vestros,

(1) Ex S. Leone Magno Epist. ad Rusticum Narbonensem.

Deo adjuvante, in id conferatis, ut omnes hostium Ecclesiae impetus, artes, insidiae, molimina irrita fiant.

Ea vero ut in irritum cadant, satagendum omnino est, ne populus de Christiana Doctrina, ac de Lege Domini parum instructus, et diuturna in multis grassantium vitiorum licentia hebetatus, paratas sibi insidias, et propositorum errorum pravitatem agnoscere vix possit. A Vestra igitur pastorali sollicitudine vehementer exoptamus, Venerabiles Fratres, ut nunquam intermittatis omnem adhibere operam, quo crediti Vobis fideles sanctissima Religionis nostrae dogmata ac praecepta, pro cujusque captu, diligenter edoceantur, simulque moneantur, et excitentur omnimodis ad vitam moresque suos ad illorum normam componendos. Inflammate in eum finem Ecclesiasticorum hominum zelum, illorum praesertim, quibus animarum cura demandata est, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, et habentes ob oculos Tridentini Concilii praescripta (1) majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianae plebis instructionem incumbant, et sacra eloquia, ac salutis monita in omnium cordibus inserere studeant, annunciando ipsis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant.

Speciatim vero procurandum est, ut fideles ipsi impressum in animis habeant, alteque defixum dogma illud sanctissimae nostrae Religionis, quod est de

(1) Sess. V cap. 2 - Sess. XXIV cap. 4 et 7 de Ref.

necessitate catholicae Fidei ad obtinendam salutem (1). Hunc in finem summopere conducet, ut in publicis orationibus fideles laici una cum Clero agant identidem peculiare Deo gratias pro inaestimabili catholicae Religionis beneficio, quo ipsos omnes clementissime donavit, atque ab eodem Misericordiarum Patre suppliciter petant, ut ejusdem Religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur.

Interea Vobis certe peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive a Fraternitatibus Vestris suscipiant Sacramentum Confirmationis, per quod summo Dei beneficio specialis gratiae robur confertur ad Fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam. Nec porro ignoratis, eundem in finem prodesse, ut ipsi a peccatorum sordibus, per sinceram illorum detestationem, et Sacramentum Poenitentiae expiati, saepius devote percipiant sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo spiritualemente constat animarum cibum et antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur, atque adeo symbolum unius illius corporis, cujus Christus caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexionem adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata (2).

(1) Hoc dogma a Christo acceptum, et inculcatum a Patribus atque a Conciliis, habetur etiam in Formulis Professionis Fidei, tum in ea scilicet, quae apud Latinos, tum in ea, quae apud Graecos, tum in alia, quae apud ceteros Orientales Catholicos in usu est.

(2) Ex Trid. Sess. XIII. Decr. de SS. Euchar. Sacramento Cap. 2.

Equidem non dubitamus, quin Parochi, eorumque adjuutores et Sacerdotes alii, qui certis diebus, jejuniorum praesertim tempore, ad praedicationis ministerium destinari consueverunt, auxiliarem Vobis operam sedulo in his omnibus sint praestituri. Attamen illorum operae adungere interdum oportet extraordinaria subsidia Spiritualium Exercitiorum, et Sacrarum Missionum, quas, ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles benedicente Domino esse constat, tum fovendae honorum pietati, tum peccatoribus, et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus orescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificet, et uberioribus coelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis constantius abhorreat.

Ceterum in his omnibus Vestrae, ac Sacerdotum Vobis auxiliantium curae eo inter alia spectabunt, ut fideles majorem horrorem concipiant illorum scelerum, quae cum aliorum scandalo patrantur. Nostis enim, quantum diversis in locis excreverit eorum numerus, qui Sanctos Caelites, vel ipsum quoque Sacrosanctum Dei Nomen palam blasphemare audent, aut in concubinato vivere dignoscuntur cum incestu interdum conjuncto, aut Festis diebus servilia opera apertis etiam officinis exercent, aut Ecclesiae praecepta de jejniis ciborumque delectu pluribus quoque adstantibus contemnunt, aut alia diversa crimina simili modo committere non erubescunt. Meminerit igitur, Vobis instantibus, fidelis populus, et serio consideret magnam peccatorum hujusmodi gravitatem et severissimas poenas, quibus illorum auctores ple-

ctendi erunt tum pro reatu cujusque criminis proprio tum pro spirituali periculo, in quod fratres suos pravi sui exempli contagione induxerunt. Scriptum est enim: *Vae mundo a scandalis..... Vae homini illi per quem scandalum venit* (1).

Inter diversa insidiarum genera, quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque Societatis inimici populos seducere annuntur, illud certe in praecipuis est, quod nefariis consiliis suis jamdiu paratum in novae Artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque in eo toti sunt, ut impios libellos et Ephemerides ac Pagellas mendacii, calumniarum, et seductionis plenas edere in vulgus, ac multiplicare quotidie non intermittant. Immo et praesidio usi Societatum Biblicarum, quae a Sancta hac Sede jamdudum damnatae sunt (2), Sacra etiam Biblia praeter Ecclesiae regulas (3) in vulgarem linguam translata, atque adeo corrupta, et in pravum sensum infando ausu detorta diffundere, illorumque lectionem sub Religionis obtentu fidei plebi commendare non verentur. Hinc pro sapientia Vestra optime intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta Vobis vigilantia, et sollicitudine adlaborandum sit, ut fideles oves a pestifera illorum lectione prorsus

(1) Matthaei XVII. 1

(2) Extant ea super re, praeter alia praecedentia Decreta, Encyclicae Litterae Gregorii XVI datae postridie Nonas. Maii MDCCCLIV, quae incipiunt — *Inter praecipuas machinationes* — cujus sanctiones Nos quoque inculcavimus in Encycl. Epist. data 9 Novembris 1846.

(3) Vid. Reg. 4 ex iis, quae a Patribus in Conc. Tridentino delectae conscriptae, et a Pio IV approbatae fuerunt. in Const. *Dominici gregis* 24 Mart. 1564: et additionem eidem factam a Congr. Indicis, auctoritate Ben. XIV 17 Jun. 1757 (quae praemitti solent Indici Libr. prohibitor.)

abhorreant; atque ut de divinis nominatim Litteris meminerint, neminem hominum id sibi arrogare posse, ut suae prudentiae innixus illas ad suos sensus contorquere praesumat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater, Ecclesia; cui quidem soli a Christo Domino mandatum est, ut Fidei depositum custodiat, ac de vero divinorum eloquiorum sensu, et interpretatione iudicet (1).

Ad ipsam vero pravorum Librorum contagionem comprimendam perutile erit, Venerabiles Fratres, ut quicumque penes Vos sint insignis, sanaeque doctrinae Viri alia parva item molis scripta, a Vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem Fidei, ac salutarem populi instructionem. Ac Vestrae hinc curae erit, ut eadem scripta, uti et alii incorruptae pariter doctrinae, probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum ac personarum ratio suggesterit, inter fideles diffundantur.

Omnes autem, qui una Vobiscum in defensionem Fidei allaborant, eo speciatim spectabunt, ut pietatem, venerationem, atque observantiam erga supremam hanc Petri Sedem, quas Vos, Venerabiles Fratres, tantopere excellitis, in vestrorum fidelium animis insinuent, tueantur, alteque defigant. Meminerint scilicet fideles populi, vivere hic, et praesidere in Successoribus suis Petrum Apostolorum Principem (2), cujus dignitas in indigno etiam ejus herede non de-

(1) Vid. Tridentinum Sess. IV in Decret. *De editione et usu Sacrorum Librorum*.

(2) Ex Actis Ephesini Concilii Act. III et S. Petro Chrysologo Epist. ad Eutychem.

ficat (1). Meminerint, Christum Dominum posuisse in hac Petri Cathedra inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum (2), et Petro ipsi claves dedisse Regni Caelorum (3), ac propterea orasse, ut non deficeret fides ejus, eidemque mandasse, ut confirmaret in illa fratres (4); ut proinde Petri Successor Romanus Pontifex in universum Orbem teneat primatum, et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor existat (5).

In qua sane erga Romanum Pontificem populorum communione, et obedientia tuenda, brevis et compendiosa via est ad illos in Catholicae veritatis professione conservandos. Neque enim fieri potest, ut quis a Catholica Fide ulla unquam ex parte rebellet, nisi et auctoritatem abjiciat Romanae Ecclesiae, in qua extat ejusdem Fidei irreformabile Magisterium a Divino Redemptore fundatum, et in qua propterea semper conservata fuit ea, quae est ab Apostolis traditio. Hinc non modo antiquis haereticis, sed etiam recentioribus Protestantibus, quorum ceteroquin tanta in reliquis suis placitis discordia est, illud commune semper fuit, ut auctoritatem impugnarent Apostolicae Sedis, quam nullo prorsus tempore, nullaque arte aut molimine, ne ad unum quidem ex suis erroribus tolerandum inducere potuerunt. Idcirco hodierni

(1) Leo M. Sermon. in Anniv. Assumpt. suae.

(2) V. Matthaei XVI 18.

(3) Matthaei XVI v. 19.

(4) Lucae XXII 31 32.

(5) Ex Concilio Oecumenico Florentino in Definit. seu Decr. Unionis.

etiam Dei et humanae Societatis hostes nihil inausum relinquunt, ut Italos populos a Nostro Sanctaeque ejusdem Sedis obsequio divellant; rati nimirum tum demum posse sibi contingere, ut Italiam ipsam impietate doctrinae suae, novorumque systematum peste contaminent.

Atque ad pravam hanc doctrinam, et systemata quod attinet, notum jam omnibus est, illos eo potissimum spectare, ut libertatis et aequalitatis nominibus abutentes, exitiosa *Communismi* et *Socialismi* commenta in vulgus insinuent. Constat autem, ipsis seu *Communismi*, seu *Socialismi* magistris, diversa licet via ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris praesertim status homines suis deceptos fallaciis, et faustioris conditionis promissione illusos, continuis commotionibus exagitent, atque ad graviora paullatim facinora exerceant; ut postmodum illorum opera uti possint ad superioris cujusque Auctoritatis regimen oppugnandum, ad expilandas, diripiendas vel invadendas Ecclesiae primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates, ad omnia tandem violanda divina humanaque jura, in divini cultus destructionem atque in subversionem totius ordinis civilium Societatum. In tanto autem Italiae discrimine Vestrum munus est, Venerabiles Fratres, omnes pastoralis studii nervos intendere, ut fidelis populus agnoscat perversa hujusmodi placita et systemata, si ab illis decipi se patiatur, in aeternam pariter ac temporalem ejus perniciem fore cessura.

Moneantur itaque fideles curae Vestrae concrediti, pertinere omnino ad naturam ipsam humanae socie-

tatis, ut omnes Auctoritati obtemperare debeant legitime in illa constitutae; nec quidquam commutari posse in praeceptis Domini, quae in Sacris Litteris ea super re annuntiata sunt. Scriptum est enim :
 » Subjecti estote omni humanae creaturae propter
 » Deum sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus,
 » tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum,
 » laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei,
 » ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium
 » hominum ignorantiam: quasi liberi, et non
 » quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed
 » sicut servi Dei (1) ». Et rursus: « Omnis anima
 » potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim
 » potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae
 » sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit:
 » Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (2) ».

Sciant praeterea, esse pariter naturalis atque adeo incommutabilis conditionis humanarum rerum, ut inter eos etiam, qui in sublimiori auctoritate non sunt, alij tamen aliis, sive ob diversas animi, aut corporis dotes, sive ob divitias, et externa hujusmodi bona praevaleant: nec ullo libertatis, et aequalitatis, obtentu fieri unquam posse, ut aliena bona, vel jura invidere, aut quomodolibet violare licitum sit. Perspicua hoc quoque in genere, et passim inculcata extant in Sacris Litteris divina praecepta, quibus nedum ab occupatione alienarum rerum, sed ab ipso etiam ejus desiderio districte prohibemur (3).

(1) S. Petri Epist. I Cap. II 13 seq.

(2) S. Pauli Epist. ad Romanos XIII 1 seq.

(3) Exodi XX 45 17 — Deuteronomii V 19 21.

Sed meminerint insuper pauperes, et miseri quicumque homines quantum ipsi debeant Catholicae Religioni, in qua intemerata viget, et palam praedicatur Christi doctrina; qui beneficia in pauperes, vel miseros collata perinde haberi a se declaravit, ac si facta sibi ipsi fuissent (1): atque omnibus praenuntiatam voluit peculiarem rationem, quam in die Iudicii habiturus est de iisdem misericordiae operibus, sive scilicet ad praemia aeternae vitae fidelibus tribuenda, qui illis vacaverint, sive ad illos, qui ea neglexerint, aeterni ignis poena multandos (2).

Ex qua Christi Domini praenuntiatione, aliisque Illius circa divitiarum usum, earumque pericula severissimis monitis (3), in Ecclesia Catholica inviolate custoditis, factum porro est, ut pauperes et miseri apud Catholicas gentes in longe mitiore, quam apud alias quaslibet, conditione versentur. Atque hi quidem in regionibus nostris uberiora adhuc subsidia obtinerent, nisi plura instituta, quae Majorum pietate comparata fuerant ad ipsorum levamen, extincta nuper repetitis publicarum rerum commotionibus, aut direpta fuisse. De reliquo pauperes nostri, Christo ipso docente, meminerint, non esse cur tristes sint de conditione sua: quandoquidem in paupertate ipsa facilior eis parata via est ad obtinendam salutem, dummodo scilicet suam indigentiam patienter sustineant, et non re tantum, sed spiritu pauperes sint.

(1) Matthaei XVI:1 15 XXV 40 45.

(2) Matthaei XXV 34 seq.

(3) Matthaei XIX 23 seq. — Lucae VI 4 XVIII 22 seq. — Epist. Jacobi V 1 seq.

Ait enim: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum » est regnum Coelorum (1) ».

Sciat etiam fidelis populus universus, veteres Reges ethnicarum Gentium, aliosque in illis publicarum rerum Praesides multo gravius frequentiusque abusus fuisse potestate sua; atque hinc Religioni nostrae sanctissimae in acceptis referendum esse cognoscat, si Principes Christianorum temporum reformidantes, Religione admonente, *judicium durissimum*, quod *his, qui praesunt, fiet*; et destinatum peccantibus supplicium sempiternum, in quo *potentes potenter tormentum patientur* (2), justiori erga subjectos populos et clementiori regimine utuntur.

Agnoscant denique crediti Vestris Nostrisque curis fideles, veram perfectamque hominum libertatem, et aequalitatem in Christianae Legis custodia positam esse; quandoquidem Deus Omnipotens, qui fecit *pusillum et magnum*, et cui *aequaliter cura est de omnibus* (3), *non subtrahet personam cujusquam, nec verebitur magnitudinem cujusquam* (4), ac diem statuit *in quo judicaturus est Orbem in aequitate* (5), in suo unigenito Christo Jesu, qui *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus* (6).

Quod si fideles iidem paterna suorum Pastorum monita, et commemorata superius Christianae Legis

(1) Matthaei V 3.

(2) Sapientiae VI 6 7.

(3) Sapientiae VI 8.

(4) Ibidem.

(5) Actorum XVII 31.

(6) Matthaei XVI 27.

mandata despicientes, a supradictia hodiernarum machinationum promotoribus decipi se patiantur, et in perversa *Socialismi* et *Communismi* sistemata conspirare cum illis voluerint, sciant serioque considerare, thesaurizare se sibimetipsis apud Divinum Judicem thesauros vindictae in die irae; nec quidquam interea ex conspiratione illa temporalis in populum utilitatis, sed nova potius miseriarum et calamitatum incrementa obventura. Non enim datum hominibus est, novas stabilire societates et communiones naturali humanarum rerum conditionis adversantes; atque idcirco conspirationum hujusmodi, si per Italiam dilatarentur, non alius esse exitus posset, nisi ut hodierno publicarum rerum statu per mutuas civium contra cives aggressiones, usurpationes, caedes labefactato funditusque convulso, pauci tandem aliqui, multorum spoliis locupletati, summum in communi ruina dominatum arriperent.

Jam vero ad fidelem populum avertendum ab impiorum insidiis, et in professione custodiendum Catholicae Religionis, atque ad veras virtutis opera excitandum, magna, ut probe scitis, vis est in illorum vita et exemplo, qui divinis se ministeriis manciparunt. Verum, proh dolor! non defuere per Italiam aliqui, pauci illi quidem, Viri Ecclesiastici, qui ad Ecclesiae hostes transfugae non minimo illis ad fideles decipiendos adjumento fuerunt. Sed Vobis certe, Venerabiles Fratres, novo illorum lapsus stimulo fuit, ut acriori in dies studio in Cleri disciplinam advigiletis. Atque hic in futurum quoque tempus, pro eo ac debemus, prospicere cupientes, temperare Nobis non possumus, quin commendemus denuo, quod in

prima nostra ad totius Orbis Episcopos Encyclica Epistola inculcavimus (1), nempe ut nemini cito manus imponatis (2), sed in Ecclesiasticae Militiae delectu majorem usque diligentiam adhibeatis. De iis praesertim, qui sacris Ordinibus initiari desiderent, inquirere et diu multumque investigare opus est, num ea doctrina, gravitate morum, et divini cultus studio commendentur, ut certa spes affulgeat fore, ut tanquam lucernae ardentes in Domo Domini, eorum vivendi ratione, atque opera aedificationem et spiritualem Vestro gregi utilitatem afferre queant.

Quoniam vero ex Monasteriis recte administratis ingens in Ecclesia Dei splendor atque utilitas dimanat, et Regularis etiam Clerus adjutricem Vobis in procuranda animarum salute operam navat, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, in mandatis damus, primum quidem ut religiosas familias cujusque Dioecesis Nostro nomine certiores faciatis, Nobis peculiare aerumnas ingemiscantibus, quas multae illarum in recenti calamitoso tempore perpessae sunt, non levi interae consolationi fuisse animorum patientiam, atque in virtutis, et Religionis studio constantiam, quibus plurimi ex religiosis hominibus ad exemplum se commendarunt; etsi aliqui non defuerint, qui suae professionis obliti cum magno bonorum scandalo, et Nostro fratrumque suorum dolore turpissime praevaricati sunt: deinde vero, ut Praesides earumdem Familiarum, et superiores, ubi opus fuerit, illarum Moderatores Nostris verbis adhortemini, ut pro sui of-

(1) 9 Novembris 1846.

(2) I ad Timoth. V 22.

ficii debito, nulli parcant curae atque industriae, quo Regularis Disciplina, ubi servatur, magis in dies vi-geat et floreat, ubi vero detrimentum aliquod passa fuerit, omnino reviviscat, et redintegretur. Moneant instanter iidem Praesides, arguant, increpent religiosos illarum Alumnos, ut serio considerantes quibus se votis Deo obstrinxerunt, illa diligenter reddere studeant, suique Instituti regulas inviolate custodiant, et mortificationem Jesu in suo corpore circumferentes ab iis omnibus abstineant, quae propriae vocationi adversantur, et operibus instent, quae caritatem Dei ac proximi, perfectaeque virtutis studium praeseferant. Caveant praesertim supradicti Ordinum Moderatores, ne ulli ad religiosa Instituta aditum faciant, nisi cujus antea vitam, mores atque indolem accuratissime expenderit; ac deinde illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tyrocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut judicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cujusque Instituti ratione procurare possint. Super his autem deliberatum fixumque Nobis est, ut ea omnino serventur, quae ad Religiosarum Familiarum bonum statuta praescriptaque sunt in Decretis a Nostra Congregatione super Statu Regularium die 25 Januarii superiori anno editis, et Apostolica Nostra Auctoritate sancitis.

Post haec ad Saecularis Cleri delectum revocato sermone, commendatam in primis volumus Fraternitatibus Vestris instructionem, et educationem minorum Clericorum; quandoquidem idonei Ecclesiae Ministri vix aliter haberi possunt, quam ex illis, qui

ab adolescentis et prima ipsa aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint. Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae Tyrones a teneris annis, quoad ejus fieri poterit, in Ecclesiastica Seminaria recipiantur, atque inibi, tanquam novellae plantationes succrescentes in circuito Tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque litteras et minores majoresque disciplinas, praesertim sacras addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cujusque erroris periculo alienam.

Quoniam vero haud facile Vobis continget Minorum omnium Clericorum eruditionem in Seminariis perficere, et ceteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastorem Vestram sollicitudinem pertinere non est dubium, excubate insuper, Venerabiles Fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in Vobis est omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad Catholicae doctrinae normam exigatur, et conveniens in illas juvenus ab idoneis et probitate ac religione spectatis Magistris ad veram virtutem, bonasque artes et disciplinas instituta, opportunis muniatur praesidiis, quibus structas sibi ad impiis insidias agnoscat, et exitiales eorumdem errores devitet, atque ita sibi et christianae, ac civili reipublicae ornamento et utilitati esse possit.

Eo autem in genere praecipuam Vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super Professoribus Sacrarum Disciplinarum, et in reliquis omni-

bus quae Religionis sunt, aut Religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in his maxime, quae Religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cujusque suspicione immunes. Commonete Animarum Curatores, ut seduli Vobis adjutores sint in iis, quae scholas respiciunt infantium et juvenum primae aetatis; quo destinentur ad illas Magistri, et Magistrae probatissimae honestatis, et in pueris aut puellis ad Christianae Fidei rudimenta instituendis libri adhibeantur a Sancta hac Sede probati. Qua in re dubitare non possumus, quin Parochi ipsi exemplo illis sint, et Vobis sedulo instantibus, in pueros ad Christianae Doctrinae primordia instruendos quotidie magis incumbant, eamque instructionem ad graviore s sui muneris partes omnino pertinere meminerint (1). Idem vero admonendi erunt, ut in suis sive ad pueros, sive ad reliquam Plebem instructionibus habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Tridentini Concilii, et S. Pii V immortalis memoriae Decessoris Nostri jussu editum, alii porro Summi Pontifices, ac nominatim fel. record. Clemens XIII cunctis animarum Pastoribus denuo commendatum voluit, tanquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram, sanamque doctrinam propagandam, stabiliendamque opportunissimum subsidium* (2).

(1) Tridentinum Sess. XXIV. 4. — Bened. XIV. Const. *Etsi minime* 7 febr. 1742.

(2) In Encyclicis Litteris ea de re ad omnes Episcopos datis 14 Junii 1761.

Haud sane mirabimini, Venerabiles Fratres, si de his fusiore aliquantulum calamo scripsimus. Enimvero prudentiam Vestram minime fugit, periculoso hoc tempore Vobis Nobisque ipsis omni industria atque opera, ac magna animi firmitate connitendum et invigilandum esse in illis omnibus, quae Scholas, et puerorum ac juvenum utriusque sexus instructionem et educationem attingunt. Nostis enim, hodiernos Religionis, humanaeque Societatis inimicos, diabolico plane spiritu, in id suas omnes artes conferre, ut juveniles mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant. Idcirco etiam nihil intentatum, nihil prorsus inausum relinquunt, ut Scholas et Instituta quaelibet juventutis educationi destinata, ab Ecclesiae auctoritate, et a Sacrorum Pastorum vigilantia omni ex parte subducant.

Juxta haec firma spe sustentamur fore, ut carissimi in Christo Filii Nostri omnes Italiae Principes Fraternitatibus Vestris potenti patrocinio suo adfuturi sint, quo in supradictis omnibus muneri Vestro uberius satisfacere valeatis; nec dubitamus, quin iidem ipsi Ecclesiam, et omnia tam spiritualia quam temporalia ejus jura tueri velint. Id quidem religioni congruum est, avitaeque pietati, qua se in exemplum animatos ostendunt. Illorum quoque sapientiam non latet, initia malorum omnium, quibus tantopere affligimur, a detrimentis repetenda esse, quae Religioni Ecclesiaeque Catholicae jamdiu, praesertim vero a Protestantium aetate, irrogata fuerant. Perspiciunt scilicet, ex depressa saepius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum in divinis et Ecclesiasticis praeceptis impune violandis,

factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga Civilem Potestatem, et hodiernis publicae tranquillitatis inimicis planior inde pateret via ad seditiones contra Principem commovendas. Perspiciunt etiam, ex occupatis non raro direptisque, ac palam divenditis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis jure spectantibus, contigisse, ut decrecente in populi reverentia erga proprietates religionis destinatione consecratas, multi hinc faciliores praeberent aures audacissimis novi *Socialismi* et *Communismi* assertoribus, qui alias pariter aliorum proprietates occupari ac dispertiri, aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscuntur. Perspiciunt insuper recidisse paullatim in civilem Potestatem impedimenta illa, quae jamdiu multiplici fraude comparata fuerant ad cohibendos Ecclesiae Pastores, ne sacra sua Auctoritate uti libere possent. Perspiciunt denique calamitatum, quibus urgemur, nullum aliud invenire posse promptius et majoris virtutis remedium, quam ut refloreat in tota Italia splendor Religionis Ecclesiaeque Catholicae, in qua diversis hominum conditionibus, et indigentis opportunissima praesto esse praesidia non est dubium.

Siquidem (verbis utimur S. Augustini) « Catholica » Ecclesia non solum ipsum Deum, sed etiam pro- » ximi dilectionem atque caritatem ita complectitur, » ut omnium morborum, quibus pro peccatis suis » animae aegrotant, omnis apud illam medicina prae- » polleat. Ipsa pueriliter pueros, fortiter juvenes, » quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, » sed et animi aetas est, exercet et docet. Ipsa fe-

» minas viris suis non ad explendam libidinem, sed
 » ad propagandam sobolem, et ad rei familiaris so-
 » cietatem casta, et fideli obedientia subjicit; et
 » viros conjugibus non ad illudendum imbecilliorum
 » sexum, sed sinceri amoris legibus praeficit. Ipsa
 » parentibus filios liberâ quadam servitute subjun-
 » git, parentes filiis pia dominatione praeponit. Ipsa
 » fratribus fratres Religionis vinculo firmiore, atque
 » arctiore, quam sanguinis, nectit, omnemque generis
 » propinquitatem et affinitatis necessitudinem, ser-
 » vatis naturae, voluntatisque nexibus, mutua cari-
 » tate constringit. Ipsa dominis servos non tam
 » conditionis necessitate, quam officii delectatione
 » docet adhaerere; et dominos servis, summi Dei
 » communis Domini consideratione placabiles, et ad
 » consulendum magis, quam coercendum propensio-
 » res facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et pro-
 » sus homines primorum parentum recordatione non
 » societate tantum, sed quadam etiam fraternitate
 » conjungit. Docet reges prospicere populis, monet
 » populos se subdere regibus. Quibus honor debea-
 » tur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus ti-
 » mor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus
 » exhortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio,
 » quibus supplicium, sedulo docet, ostendens quem-
 » admodum et non omnibus omnia, et omnibus ca-
 » ritas, et nulli debeatur injuria (1).»

Nostrum igitur Vestrumque est, Venerabiles
 Fratres, ut nulli parcentes labori, nulla unquam dif-
 ficultate deterriti, toto pastoralis studii robore tuea-

(1) S. Augustini de Moribus Cathol. Ecclesiae Lib. I. c. 25.

mur in Italis populis cultum catholicae Religionis, et non solum obstamus alacriter impiorum conatibus, qui Italiam ipsam ab Ecclesiae sinu avellere commoliuntur, sed etiam degeneres illos Italiae filios, qui jam eorumdem artibus seduci se passi fuerint, ad salutis viam revocare annitamur.

Veruntamen cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum descendat, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Venerabiles Fratres, et coelestem luminum et misericordiarum Patrem publicis privatisque precibus orare suppliciter atque obsecrare non intermittamus, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini nostri Jesu Christi, avertens faciem suam a peccatis nostris, omnium mentes et corda virtute gratiae suae propitius illustret, ac rebelles quoque ad se compellens voluntates, Ecclesiam Sanctam novis victoriis et triumphis amplifcet; quo in tota Italia, immo et ubique terrarum, merito pariter ac numero populus ei serviens augeatur. Invocemus etiam Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae praevalido apud Deum patrocinio suo quod quaerit invenit, et frustrari non potest, atque una Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum ejus Paulum omnesque Sanctos Coelites, ut Clementissimus Dominus, eorum intervenientibus precibus, flagella iracundiae suae a fidelibus populis avertat; et cunctis, qui Christiana professione censentur, tribuat propitius per gratiam suam et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea quae sunt apta sectari.

Demum, Venerabiles Fratres, Nostrae in Vos studiosissimae voluntatis testem accipite Apostolicam

Benedictionem , quam intimo cordis affectu , Vobis ipsis et Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae Vestrae concreditis peramanter impertimur.

Datum Neapoli in Suburbano Portici die VIII Decembris Anni MCCCXLIX. Pontificatus Nostri An. IV.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XX MAII ANNO MDCCL

VENERABILES FRATRES

Si semper antea, Venerabiles Fratres, admirabilem Dei Optimi Maximi in re catholica tuenda providentiam extitisse cognovimus, postremis hisce potissimum annis coelestem illam vim, qua Deus Ecclesiae suae usque ad consummationem saeculi sese adfuturum promisit, mirandum in modum fulgere perspeximus. Universo enim, qua late patet, terrarum orbi notae ac pervulgatae sunt tristissimae rerum vicissitudines, quibus Nos vehementer afflicti ab hac Nostra Sede sexdecim et amplius menses exsulare coacti fuimus, itemque comperta atque explorata sunt acerbissima et nunquam satis deploranda tempora, quibus tenebrarum princeps suam omnem contra Ecclesiam et hanc Apostolicam Sedem rabiem evomere, atque in hac ipsa quoque Urbe, catholicae veritatis centro, cum incredibili Nostro, Vestroque et omnium bonorum luctu debacchari visus est. Atque omnes norunt quomodo justus et misericors Dominus, qui percutit et sanat, mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit, praesentibus manifestisque suae bonitatis praesidiis consolatus Nos fuerit in tribulatione Nostra, et Nostras preces gemitusque, ac totius Ecclesiae vota propitio et sereno vultu respi-

ciens luctuosissimam illam atque ab inferis excitatam tempestatem sedare, et carissimos Pontificiae Nostrae ditionis populos ab infelici illo, in quo misere jacebant, statu eripere, Nosque in hanc almam Urbem ipsis populis prae laetitia gestientibus atque omni catholico orbe exultante, reducere sit dignatus. Itaque cum post Nostrum in Urbem reditum hodierno die Vos primum alloquuturi simus, nihil certe Nobis potius, quam ut maximas atque immortales Omnipotenti Deo pro tantis beneficiis agamus gratias, ac meritis laudibus prosequamur inclytas illas Nationes et Principes, qui a Deo ipso excitati de Nobis deque hac Apostolica Sede optime mereri, et suis opibus, consiliis et armis civilem ejusdem Sedis Principatum tueri ac defendere, et publicam quietem et ordinem huic Urbi et Pontificiae ditioni restituere tam vehementer laetati sunt.

Atque gratissimi Nostri animi sensus, et Nostrarum laudum praeconium merito sibi vindicat carissimus in Christo Filius Noster Ferdinandus II utriusque Siciliae Rex illustris. Ipse enim pro eximia sua religione, vix dum de Nostro Cajetam adventu certior factus, nulla interposita mora ad Nos advolans una cum Augusta sua Conjuge Maria Theresia omnes singularis suae pietatis ac filialis prorsus devotionis et obsequii significationes Christi in terris Vicario exhibere vehementer gaudens, Nos munifico hospitio excepit, ac toto tempore, quo in suo Regno morati sumus, quovis officiorum genere Nos cumulare nunquam intermisit, veluti Vos ipsi testes locupletissimi fuistis, Venerabiles Fratres. Cum autem aliae quoque Nationes ad civilem Apostolicae hujus

Sedis Principatum tutandum accurrerunt, idem Princeps suas ipse copias ducere voluit. Quae quidem egregia pientissimi Regis in Nos et eandem Sedem merita animo Nostro ita infixae haerent, ut jucundam eorum memoriam nulla unquam delere possit oblivio. Nunc vero magno cum honore et perenni grati animi Nstri testimonio nominanda a Nobis est clarissima Gallorum Natio militari gloria et in hanc Apostolicam Sedem obsequio, atque aliis tot sane nominibus illustris, cujus propensissimam in Nos voluntatem et beneficia experti sumus. Siquidem illa natio, ejusque Reipublicae inclytus Praeses afflictis Nostris et Pontificiae ditionis rebus occurrens, nullisque sumptibus parcens strenuos suos Duces, militesque mittendos decrevit, qui multis gravibusque perfuncti laboribus hanc potissimum Urbem misere divexatam atque prostratam ab infelici, qua premebatur, conditione liberarunt vindicarunt, ac Nos in ipsam Urbem reducere tantopere gloriati sunt. Qua quidem in laude, et grati animi Nstri significatione conjunctum quoque omnino volumus carissimum in Christo Filium Nostrum Franciscum Josephum Austriae Imperatorem, Hungariae Regem Apostolicum, et Bohemiae Regem illustrem, qui pro avita sua pietate, et in hanc Petri Cathedram observantia validissimam suam opem et operam in civilem hujus Apostolicae Sedis Principatum tuendum omni alacritate et studio conferens Pontificias praesertim Aemiliae, Piceni et Umbriae Provincias victricibus suis copiis ab injusta ac tristi dominatione eripuit, easque legitimo Nostro et ejusdem Sedis regimini restituit. Gratissima quoque recordatione praecipuam

rationem habere debemus erga Nos meritorum carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Elisabeth Hispaniarum Reginae Catholicae, ejusque Gubernii: nam, veluti optime scitis, ubi nostras accepit calamitates, nihil antiquius habuit, quam singulari cura catholicas gentes ad communis omnium fidelium Patris causam propugnandam statim excitare, ac valentes suas deinde mittere copias ad Romanae Ecclesiae possessiones tuendas. Atque hic, Venerabiles Fratres, nullo modo taciti praeterire possumus aliorum praeclarissimorum Principum, illorum etiam qui huic Petri Cathedrae minime consociantur, propensissimam erga Nos voluntatem, qui licet suas copias haud miserint, tamen eorum operam in temporalibus Nostris et Romanae Ecclesiae juribus rationibusque tuendis impendere studuerunt. Quocirca iis quoque omnibus debitas meritasque habemus et agimus gratias, atque ipsis Nos summopere gratos esse profitemur. Qua quidem in re nemo admirari non potest summam illius omnia fortiter suaviterque regentis et moderantis Dei providentiam, qui in hac quoque tanta temporum perturbatione et acerbitate effecit, ut vel ipsi Principes cum Romana Ecclesia minime conjuncti civilem ejusdem Ecclesiae Principatum sustinerent, defenderent, quo Romanus Pontifex singulari ejusdem divinae providentiae consilio per tot jam continentia saecula optimo quoque jure potitur, ut in universae Ecclesiae regimine sibi divinitus commisso supremam suam Apostolicam auctoritatem toto orbe ea plane libertate possit exercere, quae ad Summi Pontificatus munus obeundum ac totius Dominici gregis salutem procurandam tan-

topere est necessaria. Debitae autem laudis et honoris testimonium omnibus eorundem Principum et Nationum apud Nos et hanc S. Sedem Oratoribus, atque Administris deferimus, qui pro suorum Principum et Nationum erga Nos voluntate ac studiis Personam Nostram ante discessum tutati sunt, ac Nos tum in exilio tum in reditu semper sunt comitati. Tot vero tantisque singularis pietatis, impensi amoris, devotissimi obsequii, ac largissimae liberalitatis officii ab universo catholico orbe affecti fuimus, ut vehementer cuperemus in hoc Vestro consessu non solum singulis civitatibus et oppidis, sed unicuique etiam hominum iterum debitas pro suis erga Nos meritis persolvere gratias ac tribuere laudes, nisi longius quam par est haec Nostra excurrere deberet oratio. Verumtamen silentio praeterire non possumus illustria sane et mira fidei, pietatis, amoris et liberalitatis testimonia, quibus Nos prosequuti sunt, Venerabiles Fratres, totius catholici orbis Antistites, qui maximae Nobis laetitiae fuerunt. Namque ipsi, quamvis in gravissimis angustiis ac difficultatibus constituti, sacerdotali tamen fortitudine et zelo ministerium suum implere et bonum certamen certare, et tum voce, tum salutaribus scriptis, tum episcopalibus conventibus Ecclesiae causam, jura, libertatem impavide defendere, et commissi sibi gregis salutem prospicere nunquam cessarunt. Atque haud possumus quin gratissimi Nostri animi sensus Vobis quoque profiteamur, Venerabiles Fratres S. E. R. Cardinales, qui summam certe consolationem et solatium Nobis attulistis, quandoquidem Nostrarum calamitatum socii atque participes, invicto animo dura per-

pepsi, et graviora quaeque pro Ecclesia Dei subire parati amplissimum, quem in eadem Ecclesia obtinetis, dignitatis gradum omni virtute sustinere, Nosque in tanto rerum certamine et discrimine Vestris consiliis atque laboribus juvare nunquam omisistis. Cum igitur maximo Dei beneficio res ita conversae fuerint, ut in hanc Apostolicam Sedem inter summas non solum hujus almae Urbis, sed omnium etiam populorum gratulationes redire potuerimus, nihil certe Nobis omnibus potius esse debet, quam in humilitate cordis Nostri assiduas atque immortales ipsi clementissimo miserationum Domino agere gratias, qui fecit Nobiscum misericordiam suam, itemque Sanctissimae Dei Genitrici Immaculae Virgini Mariae, cujus potentissimo patrocinio salutem Nostram acceptam referimus.

Hactenus, Venerabiles Fratres, ea raptim commemoravimus quae Nobis jucunditati fuerunt, nunc vero pro supremi Nostri Apostolici ministerii debito haud possumus quin de iis loquamur, quae cor Nostrum intime sollicitant, angunt et premunt. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, teterrimum sane atque inexorabile bellum excitatum inter lucem et tenebras, inter veritatem et errorem, inter vitium et virtutem, inter Belial et Christum, neque ignoratis quibus nefariis artibus et molitionibus inimici homines et sanctissimae nostrae Religionis res ubique affligere ac prostrare, et omnium Christianarum virtutum germen radicitus evellere, et effrenatam impiamque opinandi vivendique licentiam quaquaversus propagare, et imperitae praesertim multitudinis, atque improvidae juventutis animos mentesque omnigenis, per-

versis perniciosisque erroribus inficere, corrumpere, et jura omnia divina et humana subvertere, et si fieri unquam posset, catholicam Ecclesiam funditus delere, Sanctamque hanc Petri Cathedram expugnare connituntur. Ac nemo non videt quibus quantisque malis et damnis Christi ovile Nobis concreditum, ac vel ipsa humana societas a tenebrarum potestate, non sine magno animi Nostri dolore, undique afflicteretur et divexetur. Itaque Nobis, Vobisque, Venerabiles Fratres, si unquam alias, nunc certe summa animorum consensione omnique vigilantia, zelo, contentione, et qua opere, qua verbo, qua exemplo strenue est allaborandum, ut opposcentes murum pro Domo Israel impavide praeliemur praelia Domini. Nos quidem licet infirmitatis Nostrae conscii, tamen omnipotentis Dei auxilio suffulti, pro supremi Nostri Apostolici muneris officio « *propter Sion non tacebimus et propter Hierusalem non quiescemus* (1) » et continenter aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, nullis certe curis, nullis consiliis, nullis laboribus unquam parcemus, ut possimus suffulcire domum, corroborare templum, et Ecclesiae reparare ruinas omniumque saluti prospicere, prompti ac parati Nostram ipsam pro Christo Jesu Ejusque Sancta Ecclesia quam libentissime profundere vitam. Atque hoc loco ad omnes Venerabiles Fratres catholici orbis Antistites in sollicitudinis Nostrae partem vocatos Nostram orationem convertentes, dum illis denuo vehementer gratulamur de praeclaris eorum pro Dei gloria et animarum salute laboribus,

(1) *Isai.* 62, 1.

animos eis denuo addimus, ut in hoc horribili contra divinam nostram religionem bello ipsi unanimes uno ore id ipsum invicem sentientes et confortati in Domino et in potentia virtutis Ejus, sumentes in omnibus scutum inexpugnabile fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, progrediantur, ut adhuc fecerunt, alacriori in dies studio, sua episcopali virtute, constantia, prudentia pro ipsa sanctissima religione intrepide decertare, atque inimicorum hominum conatibus obsistere, tela retundere, impetus frangere, et gregem sibi commissum ab illorum insidiis et impetu defendere atque ad salutis semitas deducere. Insuper ab ipsis Venerabilibus Fratribus exposcimus, ut nunquam intermittant ecclesiasticos potissimum viros monere, hortari, excitare, quo orationi instantes, spiritu ferventes, ac pie sancteque viventes praebeant in omnibus se ipsos exemplum bonorum operum, et Dei gloriae, et animarum salutis zelo incensi, atque arctissimo inter se caritatis vinculo obstricti accipiant armaturam Dei, et concordissimis animis, conjunctisque viribus in aciem prodeant, ac sub proprii Antistitis ductu dies noctesque sacerdotalem vocem attollant, Dei legem, et Ejus Sponsae Ecclesiae praeceptiones christiano populo diligenter annuntient. Pergant quoque ipsi Venerabiles Fratres eisdem ecclesiasticis viris inculcare, ut christianae plebi insidiantium hominum fallacias et fraudes detegant, ac fideles edoceant, miseras omnes et calamitates in populos ex peccatis semper redundasse ac redundare, et veram solidamque felicitatem in christianae legis custodia consistere, et idcirco nihil intentatum relinquunt, ut

omnes odientes malum, et adhaerentes bono incedant per viam mandatorum Dei, utque errantes de errorum tenebris et vitiorum coeno emergant, et convertantur ad Dominum.

Jam vero, Venerabiles Fratres, Vobiscum communicamus summam certe consolationem, qua inter tantas angustias affecti fuimus, ubi cognovimus Decreta a Carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Josepho Austriae Imperatore, Hungariae Rege Apostolico, et Bohemiae Rege illustri edita, quibus pro egregia sua religione Nostris, et Venerabilium Fratrum amplissimi sui Imperii Antistitum votis et postulationibus obsequutus, maxima cum sui nominis gloria, et ingenti bonorum omnium exultatione optatissimam catholicae Ecclesiae libertatem alacri et libentissimo animo cum suis Administris in Imperio suo adserere est orsus. Quocirca eidem clarissimo Imperatori et Regi de tam insigni re, catholico Principe plane digna, meritas tribuimus laudes ac vehementer in Domino gratulamur. Atque bona profecto spe nitimur, fore ut ipse religiosissimus Princeps pro sua erga Ecclesiam studio praeclarum ejusmodi opus prosequi, perficere ac suis in rem catholicam meritis cumulum afferre velit.

Verum dum hac utebatur consolatione acerbissimus sane accessit dolor, quo vehementer angimur et premimur, videntes quomodo sanctissimae nostrae Religionis res in alio catholico Regno nunc affligantur, et sacra Ecclesiae atque hujus S. Sedis conculcentur jura. Probe intelligitis, Venerabiles Fratres, Nos hic loqui de Subalpino Regno, ubi, quemadmodum omnes ex privatis nuntiis, publicisque Litteris

jam cognoscunt, lex Ecclesiae juribus ac solemnibus cum hac Apostolica Sede initis conventionibus ad-versa fuit promulgata, et hisce diebus summo animi Nostri moerore praeclarissimus Taurinensium Antistes Venerabilis Frater Aloisius Fransoni militari manu ab episcopalibus suis sedibus avulsus, et cum magno Taurinensis Urbis ac totius illius Regni bonorum luctu in arcem est deductus. Nos itaque, prout rerum gravitas, atque officii Nostri ratio in tuendis Ecclesiae juribus postulabat, nulla interjecta mora per Nostrum Cardinalem a publicis negotiis primum de commemorata lege, postmodum vero de injuria et vi egregio Antistiti illata statim apud illud Gubernium reclamavimus. Atque interea dum inhaerentem cordi Nostro amaritudinem ea spe solamur, fore ut ejusmodi reclamaciones optatum assequantur exitum, Nos haud omitemus alia Allocutione de ecclesiasticis illius Regni negotiis agere, Vosque certiores facere, cum id opportunum esse censuerimus.

Post haec abstinere non possumus quin pro paterna Nostra sollicitudine erga illustrem Belgarum gentem, quae catholicae Religionis studio semper enituit, Nostrum exprimamus dolorem, cum inibi rei catholicae pericula impendere prospiciamus. Sed futurum confidimus ut Serenissimus ille Rex, et ii omnes qui in eo Regno summam rerum procurationem gerunt, pro eorum sapientia animadvertentes quantopere catholica Ecclesia ejusque doctrina ad temporalem quoque populorum tranquillitatem prosperitatemque conducat, salutarem ejusdem Ecclesiae vim sartam tectam haberi velint, ac Sacros ipsius

Ecclesiae Antistites et Ministros eorumque optimam operam tegere ac tueri studeant.

Cum autem Apostolica illa caritas, qua omnes populos nationes in Christo complectimur ita Nos urgeat, ut nihil prorsus aliud tam vehementer optemus, quam ut omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, verba Nostra ad illos omnes qui a Nobis dissident toto cordis affectu convertimus, eosque obtestamur in Domino, ut depulsa errorum caligine veritatis lucem aspiciant, et ad sinum confugiant Sanctae Matris Ecclesiae, atque ad hanc Petri Cathedram, in qua Christus ejusdem Ecclesiae suae fundamentum posuit.

Denique, Venerabiles Fratres, ne desistamus unquam, majore qua possumus contentione, humillimas fervidasque clementissimo bonorum omnium largitori Deo adhibere preces, ut per merita Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi, Ejusque Sanctissimae Genitricis Immaculatae Virginis Mariae, ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque sanctorum Coelitum Ecclesiam suam sanctam ab omnibus adversitatibus eripiat, eamque ubique gentium ubique terrarum majoribus ac splendidioribus triumphis exornet et augeat, ac Nos uberrimis suae honoris donis in dies cumulet, et Principibus atque Nationibus de Nobis optime meritis amplitudinem repondeat omnis verae felicitatis, atque universo terrarum Orbi optatissimam pacem largiatur.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS HIERARCHIA EPISCOPALIS IN ANGLIA RESTITVITVR

AD PERPETVAN REI MEMORIAM

Universalis Ecclesiae regendae potestas Romano Pontifici in Sancto Petro Apostolorum Principe a Domino Nostro Jesu Christo tradita praeclaram illam in Apostolica Sede sollicitudinem quacumque aetate servavit, qua Religionis catholicae bono ubicumque terrarum consuleret, ejusque incremento studiose provideret. Id autem Divini ipsius fundatoris consilio respondit, qui capite constituto Ecclesiae incolunitati usque ad consummationem saeculi singulari sapientia prospexit. Pontificiae hujus sollicitudinis fructum sensit una cum aliis populis inclytum Angliae Regnum, cujus historiae testantur Christianam Religionem vel a primis Ecclesiae saeculis in Britanniam invectam esse, atque in ea deinde plurimum floruisse; sed medio circiter saeculo quinto, posteaquam Angli et Saxones in eam Insulam advocati sunt, non modo publicas illic res, sed etiam Religionem maximis fuisse detrimentis affectam. Constat vero simul Sanctissimum Praedecessorem Nostrum Gregorium Magnum missis primum cum sociis Augustino Monacho, atque eo postmodum aliisque pluribus ad Episcopalem Dignitatem evectis, additaque iis magna Presbyterorum Monachorum copia, Anglo-Saxones adduxisse, ut christianam Religionem am-

plecterentur et virtute sua effecisse, ut in Britannia, quae Anglia etiam appellari coepit, catholica iterum restituta undique fuerit, et amplificata religio. Sed ut quae sunt recentiora commemoremus, nihil in tota Anglicani schismatis, quod saeculo decimosexto excitatum est, historia manifestius arbitramur, quam Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum impensam curam et nunquam intermissam, ut Religioni catholicae in eo Regno in maximum periculum et ad extremum discrimen adductae succurrerent, et quaecumque possent ratione auxilium afferrent. Quo inter alia spectant, ea quae a Summis Pontificibus, vel ipsis mandantibus atque probantibus provisa gestaque sunt, ut in Anglia haudquaquam deessent, qui catholicarum illic rerum curam susciperent, itemque ut Adolescentes catholici bonae indolis, ex Anglia in continentem venientes, educarentur atque ad scientias praesertim Ecclesiasticas diligenter informarentur; qui Sacris subinde Ordinibus insigniti et in patriam reversi sedulam navarent operam popularibus suis Verbi et Sacramentorum ministerio juvandis, et verae fidei ibidem tuendae ac propagandae. Verum ea sunt fortasse clariora, quae Praedecessorum Nostrorum studium respiciunt, ut Angli catholici, quos tam atrox, et saeva tempestas Episcoporum praesentia et pastorali cura privaverat, Praesules iterum haberent Episcopali characterе insignitos. Jam vero Gregorii XV Litterae Apostolicae incipientes «Ecclesia Romana» datae die XXIII Martii Ann. MDCXXIII ostendunt, Summum Pontificem, ubi primum potuit, Guillelmum Bishopium consecratum Episcopum Chalcedo-

nensein cum satis ampla facultatum copia, et cum Ordinariorum propria potestate ad Angliae et Scotiae catholicos gubernandos destinasse; quod postea Urbanus VIII, Bishopio mortuo, missis ad Richardum Smith similis exempli Litteris Apostolicis die IV Februarii An. MDCXXV renovavit, Episcopatu Chalcidonensi et iisdem, quae Bishopio concessae fuerant, facultatibus Smithio tributis. Visa sunt in posterum, quum Jacobus II in Anglia regnare coepisset, catholicae Religioni feliciora tempora obventura esse. Hac vero opportunitate Innocentius XI statim usus Joannem Leyburnium Episcopum Adrumetenum totius Angliae Regni Vicarium Apostolicum an. MDCLXXXV deputavit. Quo facto aliis Litteris Apostolicis die XXX Januarii Ann. MDCLXXXVIII editis, quarum initium est «Super Cathedram» Leyburnio tres alios Episcopos Ecclesiarum in partibus infidelium titulis insignitos Vicarios Apostolicos adjunxit: quapropter Angliam universam, operam dante Apostolico in Anglia Nuntio Ferdinando Archiepiscopo Amasiensi, in quatuor districtus Pontifex ille partitus est, Londinensem scilicet, Occidentalem, Medium et Septentrionalem, quibus omnibus Vicarii Apostolici cum opportunis facultatibus et cum Ordinarii locorum propria potestate praeesse coeperunt. Eis autem auctoritate sua, sapientissimisque responsis tum Benedictus XIV edita die XXX Maii MDCCLIII, Constitutione quae incipit «Apostolicum ministerium» tum alii Pontifices Praedecessores Nostri, ac Nostra Propagandae Fidei Congregatio ad tam grave munus rite recteque gerendum normae et adjumento fuerunt. Haec vero totius Angliae in quatuor Vicaria-

tus Apostolicos partitio usque ad Gregorii XVI tempora perduravit, qui Litteris Apostolicis die III Julii An. MDCCCXL. datis incipientibus « Muneris Apostolici » habita praesertim ratione incrementi, quod Religio catholica in eo Regno jam acceperat, novae facta regionum Ecclesiastica partitione, duplo majorem Vicariatuum Apostolicorum numerum excitavit, et Angliam totam Vicariis Apostolicis Londinensi, Occidentali, Orientali, Centrali, Walliensi, Lancastriensi, Eboracensi et Septentrionali, in spiritibus gubernandam commisit. Quae cursim hoc loco, alijs pluribus praetermissis, indicavimus, perspicuo documento sunt, Praedecessores Nostros in id vehementer incubuisse, ut quantum auctoritate sua valebant, ad Ecclesiam in Anglia ex permagna calamitate recreandam, ac reficiendam adniterentur et laborarent. Habentes itaque ob oculos praeclarum hujusmodi Decessorum Nostrorum exemplum, illudque pro Supremi Apostolatus officio aemulari volentes, et animi etiam Nostri inclinationi erga dilectam illam Dominicae vineae partem obsecundantes vel ab ipso Pontificatus Nostri exordio Nobis proposuimus opus tam bene coeptum proseguere, et ad Ecclesiae utilitatem in eo Regno quotidie magis augendam Nostra impensiora studia revocare. Quamobrem universum, ut nunc est in Anglia rei catholicae statum diligenter considerantes, ac permagnum catholicorum numerum qui passim ibi amplior evadit, animo rependentes atque impedimenta illa in dies auferri Nobiscum cogitantes, quae catholicae Religionis propagationi valde obfuerunt, tempus advenisse reputavimus, ut regiminis Ecclesiastici for-

ma in Anglia ad eum modum restitui possit, in quo libere est apud alias gentes, in quibus nulla sit peculiaris causa, ut extraordinario illo Vicariorum Apostolicorum ministerio regantur. Temporum scilicet ac rerum adjuncta effecisse sentiebamus, ut necesse non sit diutius Angliae catholicos a Vicariis Apostolicis gubernari, immo vero talem inibi rerum conversionem factam esse, ut Ordinarii Episcopalis regiminis formam flagitaret. Accessit his, Angliae Vicarios Apostolicos ipsos id interea a Nobis communi suffragio petiisse, permultos tam clericos, quam laicos virtute ac genere spectatos viros hoc idem a Nobis precatos esse, aliosque Angliae catholicos longe plurimos id in votis habere. Haec animo volentes non omisimus Dei Optimi Maximi auxilium implorare, ut in rei tam gravis deliberatione id quod ad Ecclesiae bonum augendum expeditius futurum esset, Nos intelligere et recte implere possemus. Beatissimae praeterea Mariae Virginis Doiparae et Sanctorum, qui Angliam virtute sua illustrarunt, opem invocavimus, ut ad negotium istud feliciter absolvendum suo apud Deum patrocinio Nobis adesse dignarentur. Tum vero rem universam Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Nostrae Congregationis Propagandae Fideli sedulo graviterque perpendendam commisimus. Eorum autem sententia fuit desiderio illi Nostro prorsus consentanea, quam libenter probandam et ad effectum perducendam iudicavimus. Itaque post rem universam a Nobis etiam accurata consideratione perpensam, motu proprio, certa scientia ac de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis constitulimus,

atque decernimus ut in Regno Angliae reflorat juxta communes Ecclesiae Regulas Hierarchia Ordinariorum Episcoporum, qui a Sedibus nuncupabuntur, quas hisce ipsis Nostris Litteris in singulis Apostolicorum Vicariatuum Districtibus constituimus. Atque ut a Districtu Londinensi initium faciamus, duae in eo Sedes erunt, Westmonasteriensis scilicet, quam ad Metropolitanæ seu Archiepiscopalis dignitatis gradum evehimus et Suthwarcensis, quam uti et reliquas mox indicandas, eidem suffraganeas assignamus. Et Westmonasteriensis quidem Dioecesis eam habebit memorati Districtus partem, quae ad Septentrionem protenditur fluminis Tamesis, et Comitatus Middlesexiensem, Essexiensem atque Hertfordiensem complectitur: Suthwarcensis vero partem reliquam ad meridiem fluminis, videlicet Comitatus Berche-riensem Suth-Hantoniensem, Surreiensem, Sussexiensem et Kantiensem, una cum Insulis Vecta, Ierseia, Gerneseia, aliisque prope illas sitis. In Districtu Septentrionali unica erit Sedes Episcopalis, ab Urbe Hagulstadensi nuncupanda, cujus Dioecesis iisdem, quibus Districtus ille, finibus continebitur. Eboracensis etiam Districtus unicam efficiet Dioecesim, cujus Episcopus in Urbe Beverlaco sedem habebit. In Districtu Lancastriensi duo erunt Episcopi, quorum alter a Liverpolitana Sede appellandus, pro Dioecesi habebit, cum Insula Mona, Centurias Lonsdale, Amounderness, et West Desby: alter vero Sedem habiturus a Salfordensi urbe nuncupandam, pro Dioecesi obtinebit Centurias Salford, Blackburn et Leyland. Quod vero attinet ad Cestriensem Comitatum, etsi ad Districtum ipsum pertineat, eum nunc alii

Dioecesi adjungemus. In Districtu Walliensi erunt binae Sedes Episcopales, Salopiensis scilicet ac Menevensis et Newportensis invicem unitae: Salopiensis quidem Dioecesis ad Septentrionalem Districtus partem complectetur Comitatus qui dicuntur Anglesea, Caernarvonensis, Denhighensis, Flintensis, Merviniensis et Montgomeriensis, quibus adjungimus Cestrensem Comitatum ex Districtu Lancastriensi, et ex Centrali Districtu Comitatum Salopiensem: Episcopo autem Meneviensi et Newportensi pro Dioecesi assignamus ad Meridionalem Districtus partem Comitatus Brechinensem, Maridunensem, Cereticensem, Glamorganiensem, Penbrochiensem et Radnoriensem, necnon anglos Comitatus Monumethensem et Herefordensem. In Districtu Occidentali duas constituimus Episcopales Sedes Cliftonensem et Plymuthensem, quarum illi pro Dioecesi assignamus Comitatus Glocestriensem, Somersettensem et Wiltoniensem; huic vero Comitatus Devoniensem, Dorcestriensem et Cornubiensem. Centralis Districtus, a quo Salopianum Comitatum jam sejuximus, duas habebit Episcopales Sedes Nottinghamiensem et Birminghamiensem: quarum primae pro Dioecesi assignamus Comitatus Nottinghamiensem, Derbiensem, Leicestriensem, necnon Comitatus Lincolniensem et Rutlandensem, quos a Districtu Orientali separamus; alteri vero Staffordiensem, Warwicensem, Wigorniensem et Oxoniensem. Tandem in Districtu Orientali unica erit Episcopalis Sedes, quae a Northantoniensi Urbe nuncupabitur, habebitque pro Dioecesi Districtum iisdem quibus in praesens limitibus definitum, exceptis tamen Comitatibus Rutlandensi et Lincolniensi quos supra-

dictae Nottinghamiensi Dioecesi jam assignavimus. Ita igitur in florentissimo Angliae Regno unica erit Provincia Ecclesiastica ex uno Archiepiscopo seu Metropolitano Antistite, et duodecim Episcopis illius suffraganeis constituta; quorum studiis et pastoralibus curis Catholicam illic rem Deo dante uberibus in dies auctibus amplificandam confidimus. Quare Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris jam nunc reservatum volumus, ut Provinciam ipsam in plures dispertiamus, et augeamus prout res tulerit Dioecesium numerum; ac generatim ut quemadmodum opportunum in Domino visum fuerit, novas illarum circumscriptiones libere decernamus. Interea Archiepiscopo et Episcopis supradictis mandamus, ut relationes de suarum Ecclesiarum statu ad Nostram Congregationem Propagandae Fidei debitis temporibus transmittant, nec desistant eandem instructam reddere de iis omnibus, quae spiritali suarum ovium bono noverint profutura. Nos enim in rebus ad Anglicanas Ecclesias pertinentibus ministerio ejusdem Congregationis uti pergemus. Verum in sacro Cleri Populique regimine, atque in ceteris quae ad pastorale officium pertinent, Archiepiscopus et Episcopi Angliae jam nunc omnibus fruuntur juribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Episcopi ex Communi Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum ordinatione utuntur et uti possunt, atque obstringentur pariter iis obligationibus quae alios Archiepiscopos et Episcopos ex eadem Communi Catholicae Ecclesiae disciplina obstringunt. Quaecumque autem sive in antiqua Ecclesiarum Angliae ratione, sive in subsequenti

missionum statu ex specialibus Constitutionibus aut privilegiis, vel consuetudinibus peculiaribus viguerint, mutata nunc temporum causa, nullum posthac sive jus sive obligationem inducent: qua de re ut nulla remanere dubitatio valeat Nos iisdem illis peculiaribus Constitutionibus ac privilegiis cujusque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis omnem prorsus obligandi aut juris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae Nostrae Auctoritatis tollimus et abrogamus. Hinc Archiepiscopo et Episcopis Angliae integram erit ea porro decernere, quae ad communis juris executionem pertinent, quaeve ex generali ipsa Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Nos autem haud certe omitemus adesse illis Apostolica Auctoritate Nostra, et perlibenti etiam animo obsecundabimus eorundem postulationibus in iis, quae ad majorem Divini Nominis gloriam animarumque salutem conducere visa fuerint. Enimvero Nos in restitutione Ordinariae Episcoporum Hierarchiae, et Communis Ecclesiae Juris observatione Nostris hisce Litteris decernenda eo quidem praecipue spectavimus, ut catholicae Religionis per Angliae Regnum prosperitati et incremento prospiceremus; sed una simul propositum Nobis fuit votis annuere tum Venerabilium Fratrum eo in Regno sacras res Vicariae Apostolicae Sedis Auctoritate moderantium, tum plurimorum Dilectorum Filiorum ex catholico Clero ac Populo, a quibus impensissimas in eum finem preces acceperamus. Hoc ipsum non semel postulaverant illorum majores a Praedecessoribus Nostris, qui sane Vicarios Apostolicos tum

demum in Anglia deputare orsi fuerant cum nulli ibidem manere poterant catholici Antistites propriam in Regno ipso Ecclesiam Ordinario jure obtinentes atque hinc illorum consilium in Vicariorum numero et Vicarialibus ipsis Districtibus deinceps iterum atque iterum multiplicandis, non eo certe spectabat ut catholicam rem in Angliae Regno extraordinaria jugiter ratione moderarentur, sed potius ut ejus incremento prout tempora ferebant prospicientes viam una simul pararent Ordinariae illic Hierarchiae tandem aliquando instaurandae. Itaque Nos, quibus tantum opus perficere summo Dei beneficio datum est, hoc ipso in loco declaratum volumus, longe prorsus abesse a mente consiliisque Nostris ut Antistites Angliae, Ordinariorum Episcoporum nomine ac juribus insigniti quacumque alia in re commodis destituantur, quibus antehac una cum Apostolicorum Vicariorum titulo fruebantur. Nec enim ratio sinit, ut in illorum detrimentum cedant quae a Nobis ex catholicorum Anglorum voto in bonum Sacrae apud ipsos rei decreta sunt. Juxta haec firmissima immo spe nitimur fore ut iidem Dilecti Nostri in Christo Filii qui in Regno Angliae catholicam rem, et Antistites Vicaria illam auctoritate moderantes in tanta varietate temporum eleemosynis ac largitionibus suis juvare nunquam destiterant, majori porro liberalitate usuri sint erga Episcopos ipsos Anglicanis Ecclesiis stabiliori nunc vinculo alligatos, quo scilicet iisdem minime desint temporalia subsidia in Templorum et Divini cultus splendorem, in Cleri pauperumque sustentationem atque in alios usus Ecclesiasticos eroganda. Ad extremum, levantes oculos

Nostros in montes, unde veniet auxilium Nobis a Deo Optimo Maximo in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione supplices poscimus, ut quae a Nobis pro Ecclesiae bono decreta sunt, Divini auxilii sui virtute confirmet, iisque ad quos rerum a Nobis decretarum exequutio plurimum pertinet, gratiae suae robur adjiciat ut pascant, qui in iis est gregem Dei atque ut ad majorem Ejus Nominis gloriam propagandam semper impensius incumbant. Atque ad uberiora in idipsum coelestis gratiae praesidia impetranda, deprecatores apud Deum denuo invocamus Sanctissimam Dei Matrem, beatos Apostolos Petrum et Paulum, cum ceteris Coelitibus Angliae Patronis, ac nominatim S. Gregorium Magnum, ut quoniam Nobis etiam meritis adeo imparibus datum nunc est Episcopales Sedes in Anglia renovare, prout ille cum summa Ecclesiae utilitate aetate sua perfecit, haec quoque facta a Nobis in eo Regno Episcopaliurn Dioecesium restitutio Religioni catholicae benevertat. Decerentes has Nostras Apostolicas Litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis vitio, vel intentionis Nostrae aut alio quocumque defectu notari, vel impugnari posse, sed semper validas et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis atque in Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, necnon veterum Angliae Sedium et Missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum et quarumcumque Ecclesiarum ac Piorum Locorum juribus, aut privilegiis

juramento etiam, confirmatione Apostolica, aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quantumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis, et per constitutum in Ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc Diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX Septembris MDCCCL. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

A. CARD. LAMBRVSCINI

Virginitatis laudem qua nulla præstantior atque illustrior, quæque fragilis hominum natura ad purissimas Angelorum mentes proxime videtur accedere, in Ecclesia Dei perpetuo floruisse compertum est. Scilicet aetate qualibet castissimæ Virgines enituere quæ restincto voluptatis ardore, domitisque carnis illecebris immaculati Agni nuptias elegerant. Has inter adnumeranda Venerabilis Serva Dei Maria Anna a Jesu De Paredes, quæ a prima aetate castitatis lilium quum devovisset coelesti sponso, illud assiduis corporis cruciatibus quasi spinis sepire studuit, atque ad extremum usque spiritum conservavit illæsum. Haec porro Quito, quæ urbs est Americae Meridionalis pridie Kalendas Octobris anni 1618 illustribus orta natalibus; sacrisque baptismatis undis lustrata vel ab ipsa infantia portendere visa est ad quam editum culmen sanctitatis, divina auxiliante gratia, esset perventura. Mirabilis in ea morum compositio et candor, ardens in Deum pietas, constans erga Immaculatam Genitricem Dei cultus, et observantia, assiduum precandi studium emicabat, atque ab ipsa coaequales puellae omnigena ducebant exempla virtutum. Nulli licet religioso instituto addicta, tribus simplicibus votis castitatis, paupertatis et obedientiae se obstrinxit decimum agens aetatis annum, eaque ad ultimum vitae terminum perfectis-

sime servavit. Charitatis igne quo flagrabat, magis exarsit quum ad sacram mensam accedens divino Christi corpore primum refecta est. Proximorum salutis studiosissima graviter angebatur tot miserarum gentes idololatriae erroribus obvolutas sedere in tenebris atque in umbra mortis, quare aestuabat desiderio dissitos Japoniae, aliarumque regionum tractus adire, ubi verae Religionis lumen barbaris gentibus ostenderet. Hinc cum olim laudes audiret trium e Societate Jesu Martyrum, qui in Japonia pro christiana fide sanguinem profudissent, inusitato quodam verae fidei propaganda ardore mirabiliter incensa clam se ad iter accinxit. Verum cum initum exequi consilium minime potuisset, divinae acquiescens voluntati propria in domo recessum sibi parare constituit. Itaque in parte suarum aedium interiore se abscondens ibi coelestem quamdam inivit vitae rationem. Etenim crebris jejuniis, asperrimisque tormentis virgineum corpus affligere, plurimum diei noctisque rebus divinis meditandis impendere, Christi Domini cruciatus mortemque acerbissimam jugi cum lacrymarum imbri, intimoque doloris sensu recolere, sanctissimo Eucharistiae pabulo se frequenter reficere consuevit. Quo in vitae genere cum ad annum aetatis suae vicesimum septimum constantissime perstitisset, lethali tandem oppressa morbo ad castissimas, quas tantopere deperibat, coelestis sponsi nuptias advolvit septimo Kalendas Junias Anni 1645. Quae de Venerabilis Servae Dei sanctitate opinio animis insederat, aucta plurimum post obitum fuit ex fama prodigiorum, quae illa deprecante a Deo patrata ferebantur. Itaque de more ad Congregationem Ve-

nerabilium Fratrum Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, sacris Ritibus tuendis prae-positorum, delata causa est circa Ven. Servae Dei virtutes, easque felicitatis recordationis Pius VI Praedecessor, decreto edito Decimoquinto Kalendas Aprilis anni 1776, heroicis fuisse sancivit. Postea instituta quaestio est de miraculis, quae illa suffragante contigisse dicerentur, ac duo potissimum in eodem Sacrorum Rituum conventu, omnibus maturo iudicio perpensis, vera atque explorata reperta sunt, eaque Nos rite probavimus Decreto edito pridie Idus Januarii anni 1847. Denique eadem Congregatio coram Nobis Tertio Kalendas Augusti anni vertentis coacta est, auditisque Consultorum suffragiis unanimis censuit, cum Nobis visum esset, commemoratam Dei Servam Beatam posse declarari cum omnibus indultis, donec illius Beatificationis solemnities celebrentur. Nos igitur piis, enixisque Quitensium praesertim precibus, votisque permoti ex commemoratae Cardinalium Congregationis consilio et assensu, Auctoritate Nostra Apostolica harum vi Literarum facultatem facimus atque impertimur, ut eadem Dei Serva Maria Anna a Jesu de Paredes Beatae nomine in posterum nuncupetur, ejusque corpus et lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi exponantur atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur officium et Missa singulis annis de communi Virginum cum Orationibus propriis per Nos adprobatis juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Ejusmodi vero Officii recitationem, Missaeque celebrationem

feri concedimus dumtaxat Quiti, ejusque in Dioecesi die 26 Maii ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas dicere tenentur. Et quod ad Missas attinet etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias in quibus festum peragatur confluentibus. Denique concedimus atque indulgemus, ut anno ab hisce Literis datis primo solemnia Beatificationis Servae Dei Mariae Annae a Jesu de Paredes in Templis supradictae Dioeceseos celebrentur cum Officio, et sacris seu Missis duplicis majoris Ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario indicenda, ac posteaquam ea solemnia celebrata fuerint in Basilica Vaticana. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et Sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam judicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VII Octobris MDCCCL. Pontificatus Nostri anno Quinto.

A. CARD. LAMBRVCHINI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE 1 NOVEMBRIS ANNO MDCCCL

VENERABILES FRATRES

In Consistoriali Oratione, qua Vos alloquuti fuimus XIII Kalendas Junii hujus anni, haud praetermisimus, Venerabiles Fratres, commemorare paucis verbis ac dolere Vobiscum, quae in Carissimi in Christo Filii Nostri Sardiniae Regis Ditione contra Ecclesiae jus gesta nuper statutaque fuerant, atque una significavimus consilium Nobis esse, ut super his accuratiorem in Consessu Vestro sermonem opportuno alio tempore institueremus. Ea vero spe sustentabamur fore, ut injuriis illic Ecclesiae illatis aliquod interea remedium afferretur, quod annuntiare Vobis possemus. Sed quoniam longe admodum abfuit ut res ex sententia succederet, nostri tandem officii esse duximus, ut ratione in hoc negotio a Nobis adhibita ab ipsis ejus rei exordiis brevissime repetita, queramur et graviori oratione reclamemus contra ea omnia, quae tum in continentibus, tum etiam in trasmarinis supradictae Ditionis regionibus decreta in Ecclesiae injuriam aut facta sunt.

Nostis, Venerabiles Fratres, solemnem Conventionem, quae die 27 Martii anni 1841 inter Pontificium et Regium Legatum inita fuit, et quam sine mora tum Gregorius XVI recol. mem. Decessor Noster,

tum Carolus Albertus fel. rec. Sardiniae Rex ratam habuerunt et confirmarunt; nostis scilicet hanc Conventionem eo prorsus spectasse, ut Ecclesiasticae immunitates, quae in Ditione illa ex sanctione Sacrorum Canonum diuturno multorum saeculorum decursu viguerant, quaeque recentiori tempore pactis conventis, et Romanorum Pontificum benignitate, aliqua ex parte relaxatae fuerunt, novis adhuc ac multo arctioribus limitibus continerentur. Atque hinc non defuere in Subalpinis provinciis qui de indulgentia Decessoris Nostri ea in re, quasi de nimis ampla concessione mirarentur; et Regium quoque Gubernium nonnullos annos abstinuit ab ejusdem Conventionis legibus in transmarinum suum Sardiniae Regnum inducendis. Jam vero idem Gubernium anno 1848 novam a Nobis conventionem postulavit, et die 14 Septembris ejus anni Regius Legatus Legato a Nobis deputato Literas tradidit ejusmodi conventionis formulam proponentes, paucis distinctam articulis, quos prooemium quoddam haud levis sane momenti praecederet. Pervidit facile Legatus Noster postulationem ea, qua explicabatur amplitudine ac verbis admitti prorsus non posse; immo nec agi in postulatione ipsa de mutua aliqua concessione paciscenda; quandoquidem nihil in ea proponebatur, in quo Gubernium ullam, ne levissimam quidem, obligationem erga Ecclesiam contrahere videretur. Itaque Noster idem Legatus novos proposuit articulos Gubernii votis meliori, qua fieri posse censuit, ratione consentaneos, quibus et alios adjunxit in id spectantes, ut Ecclesia omni pene civilis immunitatis usu caritura hanc saltem jacturam liberiore in reliquis

suae auctoritatis exercitio compensaret. Declaravit tum Regius Legatus, postulaturum se novas a suo Gubernio instructiones, ut plene ad proposita respondere posset. Ignoramus equidem an instructiones illae Romam unquam advenerint; sed conjicere licet Regium Gubernium rem distulisse propter notissimas calamitates, quae Italiam pene universam subinde affligerunt, quaeque Nos ipsos a tota Nostra civili Ditione discedere coegerunt. Postea, tranquillatis rebus, dum prope Neapolim tempus praestolaremur, quo in Urbem redire opportunum foret, novus illuc ad Nos missus est Extraordinarius Legatus, cui mandatum inter alia erat, ut intermissam de conventionem tractationem repeteret. Attamen postquam de aliis negotiis egisset, revocatum se declaravit a Regio Gubernio, ac re necdum inchoata discessit. Itaque sperare licuit, Regiis Ministris opportunius visum fuisse ut tractatio illa in tempus magis idoneum, post Nostrum scilicet in Urbem reditum, remitteretur.

Attamen paucos post menses accepimus, Regium ipsum Ministerium detulisse ad Regni Comitia novam Legem de Clericorum et Ecclesiarum immunitate penitus abolenda, de iudicio etiam super Patronorum nominationibus ad Beneficia Ecclesiastica Tribunalibus Laicis attribuendo, necnon de aliis nonnullis sive eodem sive posteriori tempore, contra Ecclesiae jus, aut non sine Religionis periculo statuendis.

Ut primum de hujusmodi Legis propositione significatum Nobis est, reclamari contra illam jussimus tum a Cardinali Nostro Pro-Secretario Status,

tum etiam a Nostro Apostolico Nuntio tunc Augustae Taurinorum degente. Sed utraque reclamazione cadente in irritum, expostulare paulo post oportuit contra ipsas, quas memoravimus, novitates ab utroque legibus ferendis Consilio approbatas, et Regia statim auctoritate sancitas. In quo ejus rei progressu atque exitu non illud modo dolendum, quod Sanctissima Ecclesiae jura, quae ex Canonum sanctionibus in tot saeculorum diuturnitate viguerant, facto ipso violata et proculcata fuerint, sed etiam quod plures ex Deputatis ac Senatoribus Regni, qui in publica utriusque Consilii deliberatione verba fecerunt et quorum sententia vicit, eam sibimetipsis seu Laicae Potestati auctoritatem asserere non dubitaverint, ut solemnes Conventiones super usu illorum eorundem jurium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante rescindere et declarare ac facere irritas valeant.

Videtis qualia et quam gravis momenti haec sint, Venerabiles Fratres: perspicitis cujusmodi futura esset sacrarum rerum conditio, si suos Ecclesiae juribus honor non sit, si despiciantur illius Canones, si nulla diuturnae possessionis ratio habeatur, si tandem neque sua stet fides pactis inter Sanctam hanc Sedem et Civilem Potestatem rite conventis. Nec porro ignoratis non solum Religionis, sed etiam Civilis Ordinis, ac publicae privataeque rei omnino interesse, ut Ecclesiasticae eadem Conventiones sanctae atque intemeratae habeantur; quandoquidem earum vi ac jure contempto et labefactato, aliorum quoque publicorum privatorumque pactorum ratio concideret.

Injuriis per memoratas novas sanctiones Ecclesiae et Sanctae huic Sedi illatis aliae insuper brevi intervallo additae sunt, cum scilicet Regii Administrati et Judices Laici duos praesertim sacros Antistites Nostros Venerabiles Fratres Archiepiscopum Turritanum et Archiepiscopum Turinensem in jus vocarunt; et illum quidem domi suae carceris loco detinuerunt, hunc vero deduxerunt militari manu in Castrum Regiae Urbis, ac tandem utrumque eorum civili poena multarunt; non aliam quidem ob causam, nisi quod pro suo pastoralis munere instructiones ad Parochos dederant de ratione, qua in novae Legis conspectu suae et suarum ovium Deum timentium conscientiae consulere valerent. Ita igitur id sibi arrogavit Civilis Auctoritas ut de instructionibus judicaret, quas Ecclesiae Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere ediderant.

Postmodum alia his eademque gravior accessit injuria, postquam Nobilis quidam Vir, quem inter praecipuos supradictae injustissimae Legis suasores extitisse omnes noverant, quique abmuebat a facto illo suo palam improbando, indignus Archiepiscopi Taurinensis auctoritate judicatus est, cui extrema morientium Sacramenta administrari possent. Hac scilicet occasione et Archiepiscopus idem militari manu a sua Ecclesia avulsus atque in severioris custodiae Castrum detrusus est, et Parochus e Religiosa Familia Servorum B. M. V., qui ei pro officio paruerat, una cum Religiosis Sodalibus suis e Taurinensi Coenobio per vim expulsi, atque in alia asportati sunt: quasi vero ad Laicam Potestatem pertinere possit, ut de divinorum Sacramentorum administra-

tine et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernat.

Nec satis. Ipsa haec de Sacramentorum ministerio causa, et alia insuper de novis pro conscientiarum regula instructionibus antea jam a memorato Archiepiscopo, ex mandato etiam Nostro datis, delatae sunt ad Taurinense Appellationis Tribunal; a quo statim die 25 Mensis Septembris decretum est, ut Archiepiscopus amandaretur extra fines Regiae Ditionis, atque ut omnia Archiepiscopatus bona sequestro retinerentur. Eodem fere tempore, die videlicet 21 ejusdem mensis, Tribunal Appellationum Regni Sardiniae similia decrevit contra Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Calaritanum; cui crimini datum est, quod generalibus verbis (nullius scilicet expresso nomine) declaraverat Censuras Ecclesiasticas ab iis facto ipso contractas, qui Episcopalia Aedium immunitatem violando partem quandam Episcopalis Tabularii intrare per vim ausi fuerant. Horum igitur Décretorum vi iidem Antistites a possessione ac procuratione dejecti sunt temporalium honorum reddituumque ad Sacerdotia sua pertinentium, et alter quidem in Gallias, alter vero in Nostram hanc Almam Urbem venire coactus.

Verum alia quoque sunt, ac non levia illa quidem, quae Subalpinum Gubernium contra Ecclesiae jura vel in Religionis detrimentum, statuit ac gessit. Inter quae non possumus non lamentari vehementer de funestissima Lege, quam inde a die 4 Octobris anni 1848 super publica institutione, et publicis privatisque seu majorum seu minorum disciplinarum scholis editam fuisse cognovimus. Totum illarum

regimen, Episcopalibus Seminariis aliqua ratione exceptis, attributum ea in Lege habetur Regio Ministro, atque auctoritatibus eidem subditis; et ita quidem attributum ut in Articulo 58 Legis ejusdem statuatur ac declaretur, nullum alii cuicumque auctoritati fore jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione Magistrorum. Hinc in catholica illa Ditione scholae cujusque generis, atque adeo cathedrae etiam sacrarum disciplinarum, quarum ea in Lege mentio fit; necnon puerorum institutio ad elementa christianae Fidei, quam eadem Lex inter minorum Ludimagistrorum officia annumerat, ab Episcoporum auctoritate subtrahuntur. Ac ne quis ea de re dubitare valeat, in memorato Articulo ipsi etiam Directores spiritus inter eos recensentur, qui a Regio Ministerio sive ab auctoritatibus ei subditis, absque ullo alterius cujuscumque auctoritatis interventu, deligi atque approbari possunt. Igitur sacri Pastores nedum privati injustissime sunt praecipua illa auctoritate, quam a multis retro saeculis in plurima saltem studiorum instituta ex Pontificiis Regiisque Constitutionibus, atque ex primaevae foundationis lege potiebantur, sed nec liberum ipsis est in ea advigilare, quae in scholarum regimine doctrinam Fidei, christianos mores, aut divini cultus causam attingunt.

Equidem sperare juvat fore, ut saltem in executione illius Legis, aliqua Episcopalis Auctoritatis ratio habeatur. Ipsam tamen perniciosos fructus jam peperisse dignoscitur ex pestiferis opinionibus, et placitis irreformabili Ecclesiae doctrinae contrariis,

quae non in liberioris tantum editionis libellis pagellisque sparguntur quotidie in vulgus, sed ab aliquo etiam in publicis scholis Doctore instillantur in mentes adolescentium et publice propugnantur. Verba desunt, Venerabiles Fratres, quibus dolorem explicemus longe acerbissimum, quem ex notitia hujus rei, haud ita pridem ad Nos perlata, concepimus. Nulla quidem interposita mora providimus, ut eadem de re accuratius cognosceremus; et nihil porro a Nobis desiderari patiemur, quod ad officium pertineat custodiendae Fidei, et confirmandi in illa fratres infirmitati Nostrae divinitus attributum.

Novissime ut scitis, missus a Subalpino Gubernio ad nos fuerat unus ex Primoribus spectatus Vir, ut tractationes instauraret Ecclesiasticis rebus cum Sancta hac Sede componendis. Illum tamen haudquamquam admittere potuimus ad literas Legationis suae testes consueto solemniori more Nobis reddendas. Ipse enim sive cum privatim ad Nos adiit, sive in sermonibus cum Cardinali Nostro Pro-Secretario Status iterum iterumque habitis, de supredicta de Immunitatibus Lege ita loquutus est, ut Laicam Potestatem in ea contra sanctiones Canonum, et contra initarum cum Sede Apostolica Conventionum fidem promulganda suo prorsus jure usam fuisse contenderet. Hinc eorum, quae deinde contigerant, culpam transferebat in Clerum Sacrosque Antistites, maxime autem in Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Taurinensem, ob suam in pastoralibus officiis constantiam in severiori tunc custodia retentum. De hoc scilicet praestantissimo Praesule gravius querebatur, quasi de homine quietis ac tranquillitatis populi pa-

rum studioso; atque idcirco id se a Regio Gubernio in praecipuis mandatis habuisse declarabat, ut Nos induceret ad eundem Antistitem in aliud extra Regiam Ditionem munus transferendum. Post haec opus non est ut alia explicemus, quae deinceps inter illum et Cardinalem praedictum mutuo sermone incassum tentata sunt ad aliquam rerum componendarum viam reperiendam. Interim vero tantum abfuit, ut Gubernium a sua agendi ratione cessaret; quin potius illo ipso tempore prodierint, atque ad effectum perductae fuerint supradictae Tribunalium saecularium in ecclesiasticis causis novissimae Sententiae tum contra memoratum Aschiepiscopum, tum contra Archiepiscopum Calaritanum.

Ceterum de supradictis Ecclesiarum Clericorumque immunitatibus notum omnibus esse volumus, Nos, qui tractationes alterum ante annum a Subalpino Gubernio propositas minime recusavimus, hodie pariter non abhorrere a Canonum sanctionibus circa immunitates ipsas pro loco ac tempore moderandis, prout scilicet opportunum in Domino visum fuerit, ac dummodo Ecclesia aliis in rebus liberiori suorum jurium exercitio potiatur. Non enim defecit in Nobis studium paternae benevolentiae, quo Romanos Pontifices Decessores Nostros inclytam Sabaudiae Domum prosequutos fuisse compertum est: dolemus insuper calamitates et aerumnas, quibus in ejus ditione Fratres Filiique Nostri in his rerum adjunctis haud leviter anguntur; ideoque et prompti sumus ad opportuna in eorum levamen adhibenda remedia; ex constanti nimirum instituto Sanctae hujus Romanae Ecclesiae, quae veluti amantissima mater

filiis succurrere in angustia ac tribulatione positis , et Apostolica Auctoritate sua ad sanandas contritiones Israel uti jugiter consuevit. Hac tamen Auctoritate , quae Nobis in aedificationem non in destructionem data est , haudquaquam uti possumus , ubi non de alio agatur , nisi ut quae in Ecclesiae injuriam; quae in contemptum Sacrorum Canonum; quae contra solemnes Conventiones, immo et ad ipsam quarumcumque Conventionum rationem labefactandam; quae tandem contra Sacerdotes et praecipuos ipsos Ecclesiae Praesules pastoralis sui munere circa conscientiarum moderationem , Sacramentorumque administrationem fungentes deliberata, decreta, aut facta illic doluimus , patientia , conniventia et concessionibus Nostris approbare quodammodo videamur.

Absit, Venerabiles Fratres, ut Auctoritate Nostra in Ecclesiae et catholicae rei detrimentum abuti unquam velimus. Immo divino praesidio nixi omnem industriam atque operam in id constanti animo collocabimus , ut Religionis utilitati prospiciamus , et sanctissima Ecclesiae jura sarta tecta habeamus. Juxta haec igitur attollentes hodie in solempni hoc Conventu Nostram apostolicam vocem, reclamamus majorem in modum contra ea, quae superius enarravimus, et contra alia omnia, quae sive in Continnente sive in Transmarinis regionibus Summo Taurinensi Principi subditis contra Ecclesiae jus, aut in Religionis damnum gesta quomodolibet aut tentata sunt ; et ab omnibus, ad quos pertinet, gravissime exposcimus, ut desistant a vexandis Ecclesiae Pasto-

ribus sacrorumque Ministris , et illata illic Sacrae Rei damna reparare festinent.

Interea ne intermittamus , Venerabiles Fratres , Deo Misericordiarum Patri humiles orationes et obsecrationes offerre, et invocato etiam piissimo interventu Immaculatae Deiparae Virginis, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, ab Eo suppliciter poscere, ut dilectam illam Dominicae Vineae partem dextera sua tegat et brachio sancto suo defendat.

Nostris Apostolicis Literis quae die XXIX Septembris proximi elapsi sub annulo Piscatoris datae sunt, instauravimus in florentissimo Angliae Regno ordinariam Episcopalem Hierarchiam, constituentes in illo Metropolitanam Ecclesiam Westmonasteriensem, et ejusdem Suffraganeas Episcopales Ecclesias Suthwarcensem, Hagulstadensem, Beverlecensem, Liverpoolitanam, Salfordensem, Cliftoniensem, Plymuthensem, Nottinghamiensem, Birminghamiensem, Northantoniensem, Salopiensem, necnon Mcnewensem et Newportensem invicem unitas atque insuper declaramus illarum omnium procurationem exigendam esse ad communes Ecclesiastici juris regulas, quas quidem eo in regno in omnibus quae ad Religionem et Ecclesiam catholicam pertinent servandos fore decernimus, prout in supradictis nostris Literis uberius explicatum est. Deinde aliis pluribus Literis Apostolicis datis pariter sub annulo Piscatoris suos tribuimus pastores tum Archiepiscopali Ecclesiae Westmonasteriensi, tum aliis septem Ecclesiis Hagulstadensi nimirum, Beverlecensi, Liverpoolitanae, Birminghamiensi, Northantoniensi et Ecclesiis invicem unitis Menewiensi et Newportensi; ac tempus praestolantes quo ceteris etiam suos dare Episcopos valeamus, commisimus interea Westmonasteriensi Archiepiscopo administrationem Ecclesiae Suthwarcen-

sis, Episcopo Liverpoolitano administrationem Ecclesiae Salfordensis, Episcopo Cliftoniensi administrationem Ecclesiae Plymuthensis, Episcopo Birminghamiensi administrationem Ecclesiae Nottinghamiensis, ac tandem Episcopo Ecclesiarum unitarum Meneviensis et Newportensis administrationem demandavimus Ecclesiae Salopiensis. Hisce igitur per diversas supra commemoratas Nostras Apostolicas Literas, ita constitutis, curas modo nostras convertimus ad institutionem Collegiorum canonicalium, eamque ut celerius perfici valeat, ipsis Praesulibus jam institutis duximus committendam. Itaque motu proprio ac plenitudine Apostolicae Nostrae auctoritatis Dilecto Filio Nostro Card. Archidiscopo Westmonasteriensi et Venerabilibus Fratribus Episcopis Hagulstadensi, Beverlecensi, Liverpoolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, Northantoniensi, et Episcopo unitarum Ecclesiarum Meneviensis et Newportensis committimus atque mandamus, ut unusquisque illorum nostro nomine, et delegata ex nobis potestate constituat in Dioecesi sua Capitulum quod ex una saltem dignitate et decem Canonicis constet. Ad memoratas autem unitas Ecclesias Meneviensem et Newportensem quod attinet, satis in praesens esse censemus et unicum pro utraque Capitulare Collegium instituat. Mandamus insuper et eidem Metropolitano Antistiti atque Episcopis Liverpoolitano, Cliftoniensi, Birminghamiensi, necnon Episcopo unitarum Ecclesiarum Meneviensis et Newportensis potestatem facimus ut quisque illorum Cathedrale Capitulum eodem plane modo et ex delegata pariter Apostolica auctoritate constituat in ea etiam Ecclesia

ejus administratio eidem a nobis demandata est. Jam vero Capitula ipsa ut primum instituta fuerint omnibus fruuntur juribus omnibusque obligationibus tenebuntur quae Metropolitanis aut Cathedralibus cujuscumque Capituli ex communi Sacrorum Canonum jure propria sunt. Igitur quoties deinde contigerit ut aliqua ex Metropolitana aut Episcopalibus Angliae Ecclesiis Pastore suo videntur, et nemo sit cui ejusdem administratio a Sancta hac Sede fuerit demandata, pertinebit ad Capitulum in illa institutum ut Dioecesis procuratori prospiciat per deputationem Vicarii Capitularis atque ad eum modum qui communi Canonum jure et Tridentini Concilii decreto praescriptus est. Quod si ejusmodi alicujus Ecclesiae vacatio contingat antequam in illa Capituli institutio facta fuerit, vel si Capitulum in ea constitutum officio suo rite atque in praefinito tempore functus non sit, servandae pariter erunt communis Ecclesiae juris, Tridentinique Concilii regulae, ad quarum trames cura eadem et Vicarii deputatio ad Metropolitanum Antistitem vel ad antiquiorem alium Episcopum pro casuum varietate spectabit. Haec decernimus, mandamus, committimus et declaramus, non obstantibus iis omnibus quae in supradictis Nostris Apostolicis Literis die XXIX Septembris hujus anni datis non obstare decrevimus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX mensis Novembris MDCCCL. Pontificatus Nostri anno V.

A. CARD. LAMBRVRSCHINIVS

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XVII FEBRVARII ANNI MDCCCLI

VENERABILES FRATRES

Inter novos diversarum Ecclesiarum Antistites, quos Vobis, Venerabiles Fratres, in hodierno Conventu proposituri sumus, erit etiam Ven. Frater Joseph a Silva Torres Archiepiscopus Palmyrensis, quem Coadjutorem futurumque Successorem dare consilium est Dilecto Filio Nostro Petro Paulo S. R. E. Cardinali Figueredo Archiepiscopo Bracharensi. Opportunum vero reputavimus Nostri ejusdem consilii rationem Vobis breviter explicare, ut eorum, quae antea contigerant, memoria repetita, notum cuique sit, quare et quibus usi cautionibus induxerimus animum ad memoratum Josephum futuro Bracharensis Ecclesiae regimini destinandum.

Erat idem Josephus, ut sane nostis, Archiepiscopus Goae in Indiis Orientalibus, cujus Ecclesiae regimen decretum ei fuerat a Gregorio XVI fel. rec. Decessore Nostro in Consistorio Secreto diei XIX Junii anni MDCCCXLIII. In magno autem Orientalium illarum Regionum numero et amplitudine, ad quas olim Goani Archiepiscopi sive ordinaria, sive Metropolitana jurisdictio pertinebat, complures tunc erant Vicarii Apostolici Antistiti eidem minime subditi, quos inibi Sancta haec Sedes, catholicae scilicet Re-

ligionis causa id postulante, constituerat. Nam praeter illos, qui in latissimis Regionibus Sinarum Imperii, aliisque conterminis per Litteras Apostolicas Innocentii XII rec. me. Praedecessoris Nostri (1) a Dioecibus Pechinensi, Nanchinensi et Macaonensi, atque a Metropolitano Goanae Ecclesiae jure in perpetuum divulsis deputari jamdiu consueverunt et praeter alios, qui postmodum aliis Indiarum locis destinati sunt (2); ipse etiam Gregorius XVI novos in Goanae Ecclesiae Dioecesi ac Metropolitana illius provincia Vicarios Apostolicos provisorio modo instituerat. Eo spectant notissimae ejusdem Summi Pontificis Litterae, quarum initium *Multa praeclare*, datae sub Annulo Piscatoris die 24 Aprilis anni 1838 uti et aliae Litterae Apostolicae, ac Decreta Nostrae Congregationis Propagandae Fidei, quae illis aut praecesserant, aut pontificio postmodum jussu et auctoritate successerunt.

Hanc Decessoris Nostri ampliorem providentiam mutata temporum ratio, et tuendae in Indiis atque amplificandae catholicae Religionis causa flagitabat. Dum enim major ipsa verae Fidei propagatio majorem in dies Evangelicarum Missionum et sacrorum operariorum numerum postularet, huic quidem sustinendo oneri impares omnino erant Viri Ecclesiastici, qui Lusitanorum ope illuc mitti, aut ex indigenis institui solebant; postquam praesertim quae in Indiis plurima olim fuerant Lusitanae Ditionis Loca, nonnullis tantum cum urbe Goa et urbe Macao exce-

(1) Datae illae sunt diebus 15 et 23 Octobris 1696.

(2) Versopolitanus an. 1701, Avanus et Peguanus an. 1741 etc.

ptis, in aliorum Principum potestatem transiverant; ut nihil porro dicamus de postremis Lusitani Regni calamitatibus, quae relationibus etiam inter S. hanc Sedem et Lusitanum Gubernium interruptis, eo rem adduxerant, ut et Goana, et illius Suffraganae Ecclesiae una simul vacarent. Jam vero Ecclesiastici homines, qui tunc temporis easdem Ecclesias sive ex canonica Capituli deputatione, sive alio quovis titulo administrabant, quaerentes quae sua erant non quae Jesu Christi, contradicere ausi sunt Vicariis Apostolicis a Gregorio XVI deputatis; nec dubitarunt arrogare sibi spiritualem auctoritatem super Ecclesias et fideles illorum curae a Sede Apostolica commendatos: ex quo eorum facinore haud leves difficultates, dissensiones et scandala dimanarunt. Atque haec quidem, ad Religionem quod attinet, Indicarum rerum conditio erat cum, instauratis Lusitani Gubernii cum Sancta hac Sede relationibus, carissima in Christo Filia Nostra Maria Portugalliae et Algarbiorum Regina Fidelissima supradictum Josephum a Silva Torres Decessori Nostro praesentavit, ut ad Goanam Ecclesiam promoveretur.

Jam vero Goana Civitas cum circumstantibus Locis pertinebant adhuc, uti et nunc pertinent, ad Lusitanam Ditionem, nec ulli ex Apostolicis Vicariis commendata illa fuerant; ideoque hae ex parte nihil impedimento erant, quominus Ecclesiae illi novus daretur Antistes. Sperare autem licebat, ipsos Apostolicos Vicarios alibi constitutos nihil porro molestiae a memorato Josepho passuros. Siquidem Gregorius XVI antequam de ipso ad Goanam Sedem provehendo decerneret, plura eademque idonea te-

stimonia acceperat de illius fide, doctrina et probitate, atque insuper noverat eundem de Pontificiis Decretis ad Vicarios Apostolicos pertinentibus ab Internuntio et Delegato Apostolico, qui Olisippone degebat, fuisse praemonitum; denique idem Josephus obedientiam et obsequium suum erga Romanum Pontificem Sedemque Apostolicam peculiaribus quoque Litteris declaraverat. Nihilo tamen minus Praedecessor Noster novum ipsum Archiepiscopum de Apostolicis Vicariis eorumque auctoritate sarta tecta habenda admonere voluit Pontificiis Litteris, quas ea super re ad illum dedit die 8 Julii 1843, quaeque eidem redditae fuerunt eo ipso tempore, quo Apostolica Diplomata delati Archiepiscopatus testimonium de more habentia Olisipponem perlata sunt.

Verum Josephus Archiepiscopus insequenti adveniente anno 1844 Goam profectus haudquaquam continuit se intra fines officii sui, sed sibimetipsi antiquam Decessorum suorum auctoritatem asserere conatus est in Locis quoque Apostolicorum Vicariorum curae commendatis; neque porro Litteris paruit, quibus iterum Praedecessor Noster Gregorius, ac subinde Nos ipsi illum ad saniora revocare consilia studuimus. Itaque facile Nobis fuit perspicere, providendum omnino esse, ut Archiepiscopus ille a Goanae Ecclesiae procuratore revocaretur. Sed una simul consideravimus, rem fore gravissimarum difficultatum et periculi plenam, nisi Regium Lusitanum Gubernium Nobiscum in id consentiret. Itaque Nostro Extraordinario Internuntio et Delegato Apostolico, qui anno 1847. Romae aderat et Olisipponem rediturus erat, in precipuis mandatis dedimus, ut de

revocando Goano Antistite ageret cum Regio Gubernio, negotiumque hujusmodi omni ope atque opera urgeret. Is, post tractationem susceptam, haud sane praetermisit insequenti anno 1848 referre de praecipuis conditionibus, quibus rem componi posse perspexerat; ac Nos subinde curavimus, ut Nostram super illis sententiam in tempore cognosceret.

Sed Litteris, quae a Cardinali Nostro Secretario Status die 8 Julii datae in id fuerant, turbulento illo tempore interceptis, aut aliter retardatis, tandem ipso illo anno ad exitum vergente, dum Nos ab hac Alma Urbe discedere coacti Cajetae substitueramus, perlatae illuc sunt Litterae et Documenta ab Internuntio missa, ex quibus apparuit, ipsum die 21 mensis Octobris illius anni cum Regio Gubernio jam convenisse, ut Praesul Josephus ab Ecclesia Goana ad aliquam in partibus Infidelium Metropolitanam Ecclesiam transferretur, et Olisipponem sine mora rediens munus interim obtineret Commissarii Bullae Cruciatæ, atque insuper ut Coadjutor fieret futurusque Successor Archiepiscopi Bracharensis; datis tamen ab eodem Josepho ad Nos Litteris, quibus suam Sedi Apostolicæ submissionem atque observantiam testaretur; denique ut ad ultiores dissensiones praevertendas in novo postmodum Antistite in Goana Ecclesia constituendo, atque adeo in Diplomatis Apostolicis delati ei Archiepiscopalis muneris testibus mentio haberetur finium, intra quos auctoritatem suam exercere posset. Cognovimus una simul Lusitanum Gubernium jussu Reginae Fidelissimæ suas jam Goam misisse Litteras, ut Archiepiscopus Josephus de his omnibus certior fieret, et Olisipponem

reverti non cunctaretur. Eodem tempore Regius apud Sanctam hanc Sedem Legatus, qui Nos Cajetam sequutus fuerat, a Nobis Regio nomine suppliciter postulavit, ut Praesuli Josepho in Lusitaniam prope diem redituro nedum munus tribueremus Commissarii Bullae Cruciatæ, quo fungi interim deberet donec Bracharensis Ecclesia non vacaverit, sed etiam ut in Consistorio, quod illis diebus habituri eramus, illum constituere dignaremur Coadjutorem futurumque Successorem Archiepiscopi memoratæ Ecclesiæ; siquidem dubitari minime posse dicebat, quin ille statim ad Nos eas, quæ superius indicatæ sunt, submissionis Litteras scriberet.

Haec sane postulatio, et supradictæ Pontificii Internuntii Litteræ, imprimis autem quæ ab eo conventa fuerant de futura Ecclesiæ Bracharensis procuratione Praesuli Josepho destinanda, Nos, tot jam tantisque aliis per eos dies angustiis circumdatos, non parum sollicitos habuerunt. Obversabantur enim ante oculos quæ Praesul ipse in Goano Archiepiscopatu fungendo perperam gesserat. Contra vero si Nos ea, in quæ Noster Internuntius hanc circa rem consenserat, præstare abnuissemus, metuendum profecto erat nedum ut spes evanesceret, quam de removendo ab Indiis memorato Antistite conceperamus, sed etiam ut ab ipso, ejusque aseclis ex Nostra illa recusatione nova atque ad fucum faciendum apta arriperetur occasio majoribus illic dissidiis cum graviore Religionis detrimento excitandis. Interim sperare alia ex parte licebat, memoratum Antistitem, sacrae ceteroquin doctrinae, bonorumque morum laude non destitutum, ubi ab occasionibus removeretur quæ

illum Goae in transversum egerant , rediturum per Dei gratiam ad consilia meliora, et in novae Ecclesiae procuratione ita se porro gesturum, ut suas pariter, atque ovium saluti consuleret. Hinc considerata , ut par erat tota rei causa , et aliquibus ex Vestro Amplissimo Ordine in consilium adhibitis, ac memoria repetentes oeconomiam a Decessoribus Nostris in simili rerum gravitate et difficultate non semel adhibitam , induximus animum ut meliori, quam res ferret, cautione accepta in expetitam destinationem assentiremur.

Mandavimus igitur Cardinali Nostro Pro-Secretario Status , ut Regio Legato respondens , clare illi aperteque nostro nomine declararet, Nos quidem in proximo, si id optaret, Consistorio aduturos Josephum Antistitem a vinculo Goanae Ecclesiae, eundem quoque transluturos ad Metropolitanam aliam Ecclesiam in partibus Infidelium existentem, ac subinde eidem munus colluturos Commissarii Bullae Cruciatæ: ceterum Sanctam hanc Sedem, quod Regius ipse Legatus probe noverat, graves habuisse reclamandi causas contra Archiepiscopi gesta in regimine Ecclesiae Goanae, atque idcirco Nos non posse omnino tuto conscientia destinare illi futuram procurationem Bracharensis Ecclesiae, nisi antea congruam documentum sive tales ab eo Litteras acciperemus , ex quibus constaret illum et dolere quae perperam gesserat, et statutum fixumque in animo habere , ut nunquam in posterum ab officio derelinet.

Acquievit nostrae huic declarationi Regius Legatus, et de ratione Litterarum, quae expectabantur, minime dubitans, postulare institit, ut ea quae jam

tunc perfici poterant, decerneremus. Quare ad diem 22 Decembris supradicti anni 1848 in Consistorio Cajetae coacto transtulimus Antistitem Josephum a Goana Ecclesia ad Archiepiscopatum Palmyrensem in partibus Infidelium, atque insequenti mense officium Commissarii Bullae Cruciatæ novo eidem Palmyrensi Archiepiscopo demandavimus.

Hinc post aliquot menses Antistes ille in Lusitaniam reversus est. Nos itaque eidem Olissipone jam commoranti significandum rursus mandavimus, quantum Nobis sollicitudinem attulissent quæ ipse in Indiis extra limites auctoritatis suæ, et contra Sanctæ hujus Sedis mandata gerere non dubitaverat, et nonnulla etiam quæ paulo ante suum inde discessum in quibusdam suis Litteris seu scriptis indicaverat. Jam vero gratum cordi nostro est annuntiare Vobis, Venerabiles Fratres, Palmyrensem Archiepiscopum ita Nobis fecisse satis, ut existimare debeamus, ipsum per Dei gratiam ad meliora consilia toto animo fuisse reversum. Ab eo enim Litteras accepimus datas die 18 Novembris superioris anni, atque iis conceptas verbis, quæ hominem decent errata sua detestantem, et de meliori in posterum ratione tenenda, suaque Nobis adhaesione et obedientia factis ipsis constanter comprobanda sollicitum. Subjiciuntur hæ ipsæ Litteræ ante oculos vestros, atque una legetis Nostrum ad illas responsum, in quo nostros illi sensus omni ex parte declarare non omisimus.

Juxta hæc, ut initio diximus, Palmyrensem ipsum Archiepiscopum Venerabilem Fratrem Josephum a Silva Torres promovere hodie consilium est ad munus Coadjutoris Dilecti Filii Nostri Cardinalis Ar-

chiepiscopi Bracharensis, cum adjuncto jure ut eidem in Ecclesia ipsa succedat. Et quoniam in hoc suscipiendo consilio nihil certe, nisi majorem Religionis utilitatem, et Apostolicarum in Indiis Missionum tranquillio-rem, felicio-remque cursum spectavimus; firmam plane in spem erigimur fore, ut illud Deo benedicente in eundem finem, atque in Bracharensis quoque Ecclesiae emolumentum proficiat. Id quidem ab ipso Misericordiarum Patre per Jesum Christum ejus Filium in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione implorare contendimus; atque a Vestra etiam pietate, Venerabiles Fratres, exposcimus ut fervidas preces et supplicationes vestras Nostris adjungere non intermittatis.

*Epistola Josephi Archiepiscopi Palmyrensis
ad SS. D. N. PIVM PP. IX*

BEATISSIME PATER

Purissimus affectus, submissaque non solum observantia, quibus Beatitudinis Tuæ Sacram Personam et istam Divi Petri Sedem, ex meo munere officioque prosequor gratissimo in causa sunt quod vehementer doleo Beatitudini Tuæ fuisse molesta, et nonnulla quæ evenerunt, dum Goæ Archiepiscopus essem, et aliquas illius epistolæ sententias, quam duodecimo Kalendas Februarii anteacti anni ad Sanctitatem Tuam scripsi; et pastorem etiam allocutionem, quam sexto nonas Aprilis ipsius anni ibidem edidi.

Quum enim Dei beneficio catholicus sim, et Episcopus simul, paternam Tuæ Beatitudinis pietatem obsecro, ut has præsentem litteras vultu digneris excipere benigno, persuasumque habere nullatenus in præcedentibus me potuisse habere conatum, vel actus meæ in Oriente administrationis extra culpam penitus ponendi, vel me de ipsis jactandi.

Ex Bullarum etiam promulgatione quas memoratae adjunxi allocutioni minime inferatur, Beatissime Pater, in meo animo consilium fuisse insistendi in aliquo erga Sanctam Sedem, ejusque decreta oppositionis genere.

Illi enim affectu et non officio tantum conjunctus ea in debito semper habeo honore, Tuæque Sanctitati spondeo intimum obsequium valdeque sub-

missam venerationem, atque obedientiam erga Sacram Supremi Ecclesiae Principis Personam in meis gerendis Te semper spectaturum.

Pro hujus venerationis et obedientiae testimonio etiam per tuam singularem clementiam hoc mihi detur, Beatissime Pater, ut eam non praetermittam opportunitatem Tibi patefaciendi dolorem, quem verbis satis exequi non possum, quoque ob meum in Dioecesi Goana acerbum invitumque statum fui extra modum confectus.

Hic vero dolor maxime angebatur ob impotentiam, de qua laborabam, diversis typographicis silentium imperandi scriptis, quae longe aberant, ut charitatis ac reverentiae terminos custodirent.

Has absolvens litteras, Beatissime Pater, Sanctitatem etiam Tuam suppliciter oro leniter clementerque accipiendi non solum mea erga Te, qui es in terris Christi Vicarius, omniumque fidelium Pastor et Magister, catholicaeque unitatis centrum, justissimae adhesionis canonicaeque subjectionis vota, sed etiam ingenuam quorumcumque dictorum vel factorum retractationem, quibus huic catholicae doctrinae, meo in animo altis radicibus defixae, in qua Deo favente ad ultimum perseverare spero, refragari poterim.

Benedictionem tandem efflagitans Apostolicam, Beatitudinisque Tuae admodum reverenter osculans pedes Deum Opt. Max. pro Tua pretiosissima vita valetudineque, ut meum est, semper orabo.

Olissipone die decima octava mensis Novembris anni 1850.

JOSEPH ARCHIEP. PALMYRENSIS

*Epistola SS. D. N. PII PAPAE IX
ad Josephum Archiepiscopum Palmyrensem*

VENERABILIS FRATER
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Reditae sunt Nobis Tuae Litterae die 18 proximi mensis Novembris datae, quibus pro purissimo, ut inquis, Tuo affectu et submissa erga Nos, et hanc Petri Cathedram observantia vehementer doles, Nobis molesta fuisse et nonnulla, quae evenerunt, dum Goae Archiepiscopus eras, et aliquas sententias illius Epistolae, quam duodecimo Kalendas Februarii praeterito anno 1849 ad Nos misisti, et pastorem Allocutionem a Te ibidem eodem anno vulgatam Sexto Nonas Martii, non vero Aprilis, veluti Tibi e calamo excidit. Hinc Nos obsecras, ut persuasum habere velimus, Te in praecedentibus nullatenus potuisse habere conatum, vel actus Tuae in Oriente administrationis extra culpam penitus ponendi, vel de ipsis Te jactandi. Ac simul declaras in Bullarum promulgatione, quas commemoratae Allocutioni adjunxisti, nunquam in Tuo animo fuisse consilium insistendi in aliquo oppositionis genere erga hanc Sanctam Sedem, ejusque decreta. Profiteris enim, Te eidem Sedi affectu, et non officio tantum conjunctum, eam in debito honore semper habiturum, ac Nobis intimum obsequium, valdeque submissam venerationem et obedientiam spondes. Pro cujus venerationis et obedientiae testimonio Nobis summum patefacis dolorem,

quem verbis satis exequi haud potes, quo extra modum confectus fuisti ob Tuum in Goana Dioecesi acerbum, invitumque statum. Itaque Nos etiam atque etiam suppliciter oras, ut non solum excipere velimus Tua erga Nos, qui Christi vicariam hic in terris gerimus operam, justissimae adhaesionis, canonicaeque subjectionis vota, sed etiam quorumcumque tuorum dictorum, vel factorum retractationem, quibus catholicae doctrinae refragari potueris, quae in Tuo animo altis radicibus est defixa, et in qua, Deo favente, ad ultimum perseverare speras. Equidem, Venerabilis Frater, ejusmodi Tui animi sensus, quos e puro corde et conscientia bona, ac fide non ficta proficisci confidimus, gratissimi Nobis fuerunt, et acerbissimum illum leniunt moerorem, quo praeterita Tua agendi ratio Nos, Nostrumque Praedecessorem rec. me. Gregorium XVI vehementer affecerat. Atque ea porro spe sustentamur fore, ut huic Tuae declarationi, quae catholicum Antistitem omnino decet, Tua omnia consilia, et actiones in posterum plane respondeant. Etenim haud ignoras, Venerabilis Frater, catholico Episcopo nihil potius, nihil antiquius esse debere, quam supremam hujus beati Petri Sedis potestatem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ac Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ex animo venerari, ejusque Sedis jura, quae non humana, sed divina auctoritate nituntur, summopere vereri ac defendere, et Romano Pontifici firmiter adhaerere, omnemque observantiam et obedientiam fideliter profiteri ac praestare, qui in eadem Sede collocatus in persona Beatissimi Apostolorum Principis plenam ab ipso Christo Domino potestatem ac-

cepit pascendi agnos et oves, confirmandi fratres et universam, qua late patet, regendi et gubernandi Ecclesiam. Atque optime scis quanta cura et studio catholicus Episcopus in id imprimis incumbere debeat, ut catholicae Ecclesiae unitatem totis viribus foveat, tueatur, propugnet, quae sine debita erga hanc Sanctam Sedem et Romanum Pontificem observantia et obedientia esse non potest, quaeque in eo potissimum sita esse dignoscitur, ut quamvis in Populo Dei multi sint Sacerdotes, multique Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. Neque Te latet quam indignum, quam perversum, quam miserrimum sit fideles, ac praesertim ecclesiasticos ab hac catholica unitate deflectere, et quantopere sint improbandi ac damnandi ii omnes, qui ejusmodi unitati quovis modo adversari, et eorum opera, atque exemplo alios etiam ab illa avertere non extimescunt. Dum autem haec Tecum loquimur, Venerabilis Frater, ea sane fiducia nitimur, ut catholicis hisce sensibus Tu vere animatus, quemadmodum in commemorata Tua Epistola luculenter declaras, nihil antiquius habere velis, quam majoris consolationis causam Nobis semper praebere, nihilque intentatum relinquere, ut qua opere, qua verbo, qua exemplo sinceram Tuam erga Nos et hanc Sanctam Sedem fidem ostendas, omnesque Tuas vires in catholicae Ecclesiae doctrinam ejusque unitatem tuendam, ac propugnandam conferas, atque ita efficias, ut ii omnes, qui Tuae Goanae administrationis facta agnoscunt, quique non mediocrem ex illis admirationem doloremque susceperunt, malam de Te opinionem deponant, bonamque concipiant et habeant.

**Denique Pontificiae Nostrae in Te caritatis testem,
et coelestium omnium munerum auspicem Apostoli-
cam Benedictionem Tibi ipsi, Venerabilis Frater,
peramanter impertimur.**

**Datum Romae apud Sanctum Petrum die VI Ja-
nuarii Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno
Quinto.**

DAMNATIO

Et prohibitio Operis in sex tomis hispanico idiomate editi sub titulo : *Defensa de la autoridad de los Gobiernos y de los Obispos contra las pretenciones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima 1848.*

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Multiplices inter gravissimasque, quibus undique premimur, officii Nostri curas, et maximas hujus temporis calamitates, quae in gliscenti rerum omnium novitate animum Nostrum sollicitant anguntque vehementer, illud accedit magnopere dolendum, quod Libri perniciosissimi e latebris Jansenistarum aliorumque hujus generis hominum in diem erumpant, quibus hujus saeculi filii in persuasibilibus humanae sapientiae verbis loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se. Apostolici itaque Nostri Ministerii ratio postulat, ut Libros istiusmodi solemniorem in modum ad Catholicae Religionis puritatem ac venerandam Ecclesiae disciplinam tuendam conservandamque proscribamus, et damnemus, ac Dominicum gregem a Pastorum Principe Jesu Christo humilitati Nostrae commissum ab exitiosa illorum lectione et retentione tamquam a venenatis pascuis omni sollicitudine praeservare, et avertere non praetermittamus.

Jam vero cum in lucem prodiisse acceperimus Librum seu Opus, sex tomis constans, hispanico idiomate exaratum, cui titulus « *Defensa de la autoridad de los Gobiernos y de los Obispos contra les pretensiones de la Curia Romana por Francisco de Paula G. Vigil. Lima 1848,* » atque ex ipsa Operis inscriptione satis intellexerimus, auctorem esse hominem in hanc Apostolicam Sedem malevolo animo affectum, haud omisimus illud pervolvere, ac facili negotio, quamvis non sine maximo cordis Nostri moerore, eundem Librum plures Pistoriensis Synodi errores dogmatica Bulla *Auctorem Fidei* fel. rec. Pii VI Decessoris Nostri jam confixos renovantem, aliisque pravis doctrinis et propositionibus iterum iterumque damnatis undique redundantem novimus atque perspeximus.

Auctor enim, licet Catholicus, ac divino Ministerio, ceu fertur, mancipatus, ut indifferentissimum ac rationalissimum, quo se infectum prodit, securius, ac impune sequatur, denegat, Ecclesiae inesse potestatem dogmaticae definiendi, Religionem Ecclesiae Catholicae esse unice veram Religionem, docetque cuique liberum esse eam amplecti ac profiteri Religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit: legem caelibatus impudenter aggreditur, et Novatorum more statum conjugalem anteponit statui virginitatis: potestatem, qua Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta Matrimonium dirimentia a principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat: Ecclesiae et personarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, a jure civili

ortum habuisse asserit, nec illum pudet defendere, majori aestimatione et obsequio prosequendam esse domum Oratoris alicujus Nationis quam templum Dei viventis: Gubernio laico attribuit jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: suadere nititur iis, qui clavum tenent publicarum rerum, ne obediant Romano Pontifici in iis, quae Episcopatum, et Episcoporum respiciunt institutionem: Reges aliosque principes, qui per Baptismum facti sunt membra Ecclesiae, subtrahit ab ejusdem Ecclesiae jurisdictione non secus ac Reges paganos, quasi Principes Christiani in rebus spiritualibus et ecclesiasticis non essent filii ac subditi Ecclesiae: imo coelestia terrenis, sacra profanis, summa imis monstruose permiscens, docere non veretur, terrenam potestatem in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiorem esse Ecclesiae, quae columna est et firmamentum veritatis: tandem ut alios quamplures omittamus errores, eo audaciae, et impietatis progreditur, ut Romanos Pontifices et Concilia Oecumenica a limitibus suae potestatis recessisse, jura Principum usurpasse, atque etiam in rebus fidei, et morum definiendis errasse infando ausu contendat.

Quamquam vero tot ac tanta in eodem Opere contineri errorum capita cuique facile innotescat; at tamen Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes mandavimus, ut in nostra Universalis Inquisitionis Congregatione praefatum Opus in examen adduceretur, ac postea ejusdem Congregationis iudicium Nobis referretur. Porro Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Inquisitores Generales, praevia ejusdem Operis

censura, et perpensis Consultorum suffragiis, memoratum Opus tamquam continens doctrinas, et propositiones respective *scandalosas, temerarias, falsas, schismaticas, Romanis Pontificibus et Conciliis Oecumenicis injurias, Ecclesiae potestatis, libertatis, et jurisdictionis eversivas, erroneas, impias, et haereticas, damnandum, atque prohibendum censuerunt.*

Hinc Nos, audita praedictorum relatione, et cunctis plene ac mature consideratis, de consilio praefatorum Cardinalium, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratum Opus, in quo doctrinae, ac propositiones, ut supra notatae, continentur, ubicumque, et quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione huc usque impressum, vel in posterum, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus, et reprobamus, atque legi, ac retineri prohibemus, ejusdemque Operis impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christifidelibus, etiam specifica et individua mentione, et expressione dignis, sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto, absque alia declaratione, incurrenda, a qua nemo a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium obtinere queat, omnino interdiciamus.

Volentes, et Auctoritate Apostolica mandantes, ut quicumque Librum, seu Opus praedictum penes se habuerint, illud statim atque praesentes Litterae innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus tradere, atque consignare te-

neantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ut autem eadem praesentes Litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare queat, volumus, et Auctoritate praefata decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae in Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui: sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent; ipsarum autem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si exhibitae forent, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X Junii Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno V.

A. CARD. LAMBRV SCHINI

DAMNATIO

Et prohibitio Operis cui titulus « *Juris Ecclesiastici Institutiones Joannis Nepomuceni Nuytz in Regio Taurinensi Athenaeo Professoris - Itemque - In Jus Ecclesiasticum universum Tractationes - Auctoris ejusdem.* -

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad Apostolicae Sedis fastigium sola miserentis Dei clementia, nullo suffragio meritorum evecti, atque a caelesti Patrefamilias vineae suae custodiendae praepositi, omnino officii Nostri, ac muneris esse ducimus, si qua noxia germina excrevisse noscamus, ea succidere, atque evellere stirpitus, ne in Dominici agri perniciem altius radices agant, ac diffundantur. Et sane quum jam inde ab Ecclesiae surgentis exordio, tamquam in igne aurum, probari oportuerit electorum fidem, idcirco Apostolus vas electionis monitos jam tum fideles voluit surrexisse quosdam, qui « *convertunt, et conturbant Evangelium Christi* » (ad Gal. 1), quibus falsas doctrinas disseminantibus, Fideique deposito detrahentibus « *etiamsi Angelus evangelizet, praeterquam quod evangelizatum est* » anathema diceretur. Et quamquam infensissimi veritatis hostes profligati semper victique ceciderint, nunquam tamen destiterunt assurgere, acriusque exere vires, quibus universam, si fieri posset, Ecclesiam labefactare niterentur. Hinc profanas manus injicientes

in Sancta, Apostolicae hujus Sedis praerogativas, et jura invadere, Ecclesiae constitutionem pervertere, atque integrum Fidei depositum pessumdare ausu impio contenderunt. Porro etsi Nobis magno solatio sit Christi Servatoris promissio, qua portas inferi nunquam contra Ecclesiam praevalituras edicit, non possumus tamen non intimo cruciari animi angore, gravissimam animarum perniciem considerantes, quam ex effraeni pravos libros edendi licentia, perversaque impudentia, ac scelere quilibet contra divina, ac sacra audendi latius in dies manare comperimus.

Jam vero in hac librorum undique grassantium peste, locum sibi vindicat Opus sic inscriptum « *Juris Ecclesiastici Institutiones Joannis Nepomuceni Nuytz in Regio Taurinensi Athenaeo Professoris* » itemque « *In Jus Ecclesiasticum universum Tractationes* » Auctoris ejusdem, cujus nefarii Operis doctrina ex una illius Athenaei Cathedra sic diffusa est, ut selectae ex eo acatholicae theses ad disputandum propositae sint prolytis ephebis, qui lauream, seu doctoris gradum consequi adspirarent. In his vero libris, ac thesibus in speciem adserendi jura Sacerdotii, atque Imperii ii traduntur errores, ut pro salutaris doctrinae praeceptis venenata omnino pocula juventuti porrigantur. Auctor siquidem pravis suis propositionibus, earumque commentis, illa omnia, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, praesertim Joanne XXII, Benedicto XIV, Pio VI, ac Gregorio XVI, atque a tot Conciliorum decretis, praesertim a Lateranensi IV, Florentino ac Tridentino damnata jamdiu, ac rejecta sunt, quodam furo novitatis adspersa,

atque illita Auditoribus proponere suis, ac typis edere non erubuit. Quandoquidem palam, et aperte in editis dicti Auctoris libris asseritur „ Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam, vel indirectam. Divisioni Ecclesiae in Orientalem, atque Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse; praeter potestatem Episcopatus inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili imperio vel expresse, vel tacite concessam, revocandam propterea cum libuerit a civili imperio: civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi consulere per potestatem indirectam negativam in Sacra; illi competere nedum jus, quod vocant, *exequatur*, sed verò etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis, jus Civile praevaleat; nihil vetare alicujus Concilii generalis sententia; aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano Episcopo, atque Urbe ad alium Episcopum, atque Civitatem transferri; nationalis Concilii definitionem nullam aliam admittere disputationem, et civilem administrationem, rem ad hosce terminos exigere posse: doctrinam comparantium libero Principi Romanum Pontificem, et agendi in universa Ecclesia, doctrinam esse, quae medio aevo praevaluit, effectusque adhuc manere: de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputare inter se Christianae, et Catholicae Ecclesiae filios. „ Plura quoque de Matrimonio falsa asseruntur „ Nulla ratione ferri posse Christum evisisse Matrimonium ad dignitatem Sacramenti; ma-

trimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse: jure naturae Matrimonii vinculum non esse indissolubile: Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint: causas Matrimoniales, et Sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non jure proprio sed illo jure usam, quod a civili potestate mutuata erat; Tridentinos Canones (Sess. 24 de matrim. c. 4), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos. ,, Quin addit ,, Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere: Bonifacium VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse ,, Plura denique de potestate Episcopali, de poenis haereticorum, et schismaticorum, de Romani Pontificis infallibilitate, de Conciliis temere atque audacter in hisce libris proposita occurrunt, quae persequi singillatim, ac referre in tanta errorum colluvie omnino tædeat.

Quapropter compertum est, Auctorem per hujusmodi doctrinam, ac sententias eo intendere, ut Ecclesiae constitutionem, ac regimen pervertat, et Catholicam fidem plane destruat; siquidem ne errantes in viam possint redire justitiae, externo judicio, et

potestate coercitiva Ecclesiam privat, de matrimonii natura, ac vinculo falsa sentit, ac docet, et jus statuendi, vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati; denique sic Ecclesiam eidem civili imperio subditam esse per summum nefas asserit, ut ad potestatem civilem directe, vel indirecte conferat quidquid de Ecclesiae regimine, de personis, rebusque Sacris, de judiciali Ecclesiae foro Divina est institutione, vel Ecclesiasticis legibus sancitum, atque adeo impium renovat Protestantium systema, quo fidelium Societas in servitutem redigitur civilis imperii. Quamquam vero nemo est qui non intelligat perniciosum hujusmodi, pravumque systema errores instaurare jamdiu Ecclesiae judicio profligatos, tamen ne simplices, atque imperiti decipiantur, admonere omnes de pravae doctrinae insidiis ad Nostrum pertinet Apostolatam; expedit siquidem, ut ibi damna fidei sarciantur, ubi non potest fides sentire defectum, (S. Bern. Ep. 190). Propterea de unitate, atque integritate Catholicae fidei ex Apostolici ministerii officio solliciti, ut fideles omnes perversam auctoris doctrinam devitent, fidemque a Patribus per hanc Apostolicam Sedem columnam, et firmamentum veritatis, acceptam constanter teneant, memoratos libros in quibus recensitae nefariae opiniones continentur, ac defenduntur, accurato primum examini subjecimus, ac deinde Apostolicae censurae gladio percellere, ac damnare decrevimus.

Itaque acceptis consultationibus in Theologica et Sacrorum Canonum facultatibus Magistrorum, acceptisque suffragiis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Supremae et universalis Inqui-

sitionis , motu-proprio ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra , deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictos libros, tamquam continentes propositiones et doctrinas respective falsas, temerarias, scandalosas, erroneas, in S. Sedem injurias, ejusdem juribus derogantes, Ecclesiae regimen, et divinam ejus Constitutionem subvertentes, schismaticas, haereticas, Protestantismo, ejusque propagationi faventes , et in haeresim et in systema jamdiu ut haereticum damnatum in Luthero, Bajo, Marsilio, Patavino, Janduno, Marco Antonio De-Dominis, Richerio, Laborde et Pistoriensibus, aliisque ab Ecclesia pariter damnatis inducentes, necnon et Canonum Concilii Tridentini eversivas, reprobamus, damnamus ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. Praecipimus idcirco, ne quisquam fidelium cujuscumque conditionis, et gradus etiamsi specifica et individua mentione dignus esset, audeat praefatos libros ac theses apud se retinere, aut legere sub poenis suspensionis a divinis quoad Clericos, et quoad laicos excommunicationis majoris ipso facto incurrendis, quarum absolutionem et relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis Pontificibus reservamus, excepto tantum quoad excommunicationem mortis articulo. Mandamus quoque Typographis ac Bibliopolis , cunctisque et singulis cujuscumque gradus et dignitatis, ut quoties praedicti libri ac theses ad eorum manus pervenerint, deferre teneantur Ordinariis sub iisdem respective poenis , nempe quoad Clericos suspensionis a divinis, quoad laicos excommunicationis majoris superius comminatis. Neque tantum memoratos libros ac theses, sed

alios, aliasque quoscunque sive scriptis, sive typis exaratos libros, vel forte exarandos et imprimendos, in quibus eadem nefaria doctrina renovetur ex integro, aut in parte, sub iisdem poenis superius expressis damnamus, reprobamus atque legi, imprimi, retineri omnino prohibemus.

Hortamur tandem in Domino, et obsecramus, Venerabiles Fratres, quos Nobiscum pastoralis zelus et Sacerdotalis constantia conjungit, ut pro sibi commisso docendi ministerio omni sollicitudine vigilantes in custodia gregis Christi, oves suas a tam venenatis pascuis, hoc est ab horum librorum lectione avertere satagant; et quoniam « veritas cum minime defenditur, opprimitur » (S. Felix III dist. 83) murum aeneum, et columnam ferream sese constituent pro domo Dei contra vaniloquos et seductores, qui divina atque humana jura sus deque miscentes neque Caesari quae sunt Caesaris, neque quae Dei sunt, Deo ipsi reddentes, Sacerdotium et imperium committunt inter se, atque adeo impetere utrumque, atque evertere connituntur.

Ut autem praesentes Litterae omnibus innotescant nec quisquam illarum ignorantiam praetexere et allegare valeat, volumus ac jubemus ipsas ad valvas Basilicae Apostolorum Principis, et Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero affixas ac publicatas perinde omnes afficere, ad quos spectant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, atque intimatae fuissent. Praesentium quoque Litterarum

transumptis etiam impressis, manu alicujus publici Notarii Subscriptis et Sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem fidem in iudicio et extra haberi volumus, quae eisdem his haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Roma apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII Augusti Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

A. CARD. LAMBRV SCHINI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE V SEPTEMBRIS ANNO MDCCCLI

VENERABILES FRATRES

Quibus luctuosissimis perturbationibus et calamita-
bus ob tristissimas rerum conversiones multos
per annos inelyta Hispana Natio de catholica Eccle-
sia, et hac S. Sede tot illustribus, gloriosissimisque
factis optime merita, miserandum in modum fuerit
exagitata, quaeque gravissima, et numquam satis de-
ploranda mala amplissimi illius Regni Ecclesiis, Epi-
scopatibus, Capitulis, Monasteriis, cunctoque Clero,
Populoque fidei incubuerint, et quae saeva deinde
clades catholicam Religionem, Sacrorum Antistites,
ecclesiasticosque viros afflixerit, divexarit quaeque
adversus sacratiora Ecclesiae jura, ejusque bona, li-
bertates et adversus hujus Apostolicae Sedis digni-
tatem, auctoritatemque ibidem fuerint perpetrata,
universo, qua late patet terrarum orbi ac Vobis
multo magis compertum, exploratumque est, Vene-
rabiles Fratres. Atque optime scitis quanta cura et
studio rec. me. Gregorius XVI Praedecessor Noster
expostulationes, querimonias, preces adhibuerit, nihil-
que intentatum reliquerit ut afflictis illic ac prostratis
religionis rebus succurreret, mederetur et consuleret.
Neque ignoratis, qua sollicitudine Nos, vix dum, licet
immerentes, inscrutabili Dei judicio in ejusdem De-

cessoris Nostri locum suffecti, et in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati fuimus, praecipuas paterni Animi curas, cogitationesque ad clarissimam illam Nationem convertimus, quo ecclesiasticas ibi res quantum fieri posset ad Sacrorum Canonum normam componere, et inflicta Ecclesiae vulnera sanare possemus. Quamobrem postquam certiores facti fuimus, praecipuas quasdam ac potiores conditiones et cautiones a Nobis antea praescriptas fuisse admissas ac in tuto positas, carissimae in Christo Filiae Nostrae Mariae Elisabeth postulationibus alacri ac libentissimo animo obsecundantes ad Eam, ut probe nostis, misimus Venerabilem Fratrem Joannem Archiepiscopum Thessalonicensem opportunis facultatibus et instructionibus munitum, qui apud ipsam Catholicam Majestatem Apostolici Delegati, ac deinde suo tempore Nostri et hujus S. Sedis Nuntii munus obiret, omnemque suam operam ecclesiasticis ibi negotiis tractandis, ordinandis, sedulo ac sollicite impenderet. Ac meministis, Venerabiles Fratres, nihil Nobis potius, nihil antiquius fuisse, quam illius Regni Ecclesias legitimo pastore a longo jam tempore pene omnes misere viduatas idoneis Antistitibus in primis committere, Nostrasque in id curas, Deo bene juvante, et Ipsius Carissimae in Christo Filiae Nostrae opera, non levi certe animi Nostri consolatione optatum exitum habuisse.

Jam vero Vobis significamus, Nostras sollicitudines pro aliis sacris, ecclesiasticisque illius Regni rebus componendis susceptas, ob propensam praesertim ejusdem Carissimae in Christo Filiae Nostrae in religionis bonum voluntatem haud eecidisse irri-

tas. Siquidem post diuturnam operosamque tractationem Conventio inter Nos, et Reginam Catholicam est inita, quam delecti ex utraque parte Plenipotentarii subscripserunt, Nomine quidem Nostro idem Venerabilis Frater Archiepiscopus Thessalonicensis, Nomine autem Reginae Dilectus Filius Nobilis Vir Eques Emmanuel Bertran de Lis a publicis Majestatis Suae negotiis. Quam Conventionem ab eadem Regina et a Nobis ipsis, audito consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis propositae, jam ratam habitam, Vobis exhiberi mandavimus una cum Apostolicis Nostris Litteris, quibus Conventionem ipsam confirmavimus, ut omnia clarius et plenius agnoscere possitis.

Illud quidem Nobis vel maxime cordi fuit ut sanctissimae nostrae religionis incolumitati, et spiritualibus Ecclesiae rebus studiosissime consulereamus. Itaque constitutum perspicietis, catholicam Religionem cum omnibus suis juribus quibus ex divina sua institutione et Sacrorum Canonum sanctione potitur, ita unice in eo Regno, veluti antea vigere ac dominari debere, ut omnis alius cultus plane sit amotus et interdictus. Hinc cautum quoque est, ut instituendi ac docendi ratio in cunctis tum Universitatibus, tum Collegiis, tum Seminariis, tum publicis, privatisque scholis cum ejusdem catholicae religionis doctrina plane congruat atque Episcopi, alique Dioecesani Antistites, qui ex proprii ministerii officio in catholicae doctrinae puritatem tuendam, propagandam et in christianam juventutis educationem procurandam totis viribus incumbere debent, nullo prorsus

unquam praepediantur impedimento, quominus publicis etiam scholis sedulo advigilare, et in illas pastoralis sui muneris partes libere exercere possint. Ac pari studio ecclesiasticae auctoritatis libertatem, dignitatemque asserendam curavimus. Etenim non solum statutum est, Sacrorum praesertim Antistites ad Episcopalem eorum jurisdictionem exercendam plenam libertate pollere, quo catholicam Fidem et ecclesiasticam disciplinam tueri, et morum honestatem in christiano populo tutari et optimam juvenum, eorum potissimum, qui in sortem Domini vocantur, institutionem procurare, et alia omnia proprii ministerii munera explere valeant; verum etiam decretum est, omnes Regni Magistratus eorum operam praestare debere, quo ab omnibus ecclesiasticae auctoritati et dignitati debitus exhibeatur honor, observantia et obedientia. Accedit etiam, ut praestantissima Regina, ejusque Gubernium iisdem Episcopis valido suo patrocinio et praesidio omnem opem ferre profiteantur, cum ab ipsis pro pastoralis munere illorum potissimum hominum improbitas est cohibenda et coercenda audacia, qui fidelium mentes pervertere, moresque corrumpere nefarie commoliuntur et a proprio grege detestabilis ac dira perversorum librorum pestis, atque pernicies est avertenda ac profliganda. Et quoniam relatum ad Nos est, ex nova Dioecesium divisione majora spiritualia bona in illius Regni fideles redundare, idcirco novam hujusmodi circumscriptionem Nostra Auctoritate et ipsius Reginae consensu peragendam statuimus, atque Apostolicas de hac re suo tempore proferemus Litteras, postquam ea omnia fuerint perspecta et statuta, quae

ad rem ipsam perficiendam sunt necessaria. Cum autem Religiosae Familiae pie institutae ac recte administratae maximo sint Ecclesiae et civili societati usui et ornamento, quantum in Nobis fuit haud omisimus eniti, ut illic Regulares Ordines conserventur, restituantur, augeantur. Atque in eam profecto spem erigimur fore, ut propter avitam ejusdem Carissimae in Christo Filiae Nostrae pietatem et eximiam Hispaniae Nationis religionem ipsi Regulares Ordines ibi pristina dignitate ac splendore fruantur. Ne quid autem Religionis bono quavis ratione officere possit, non solum constitutum est, Leges, Ordinationes et Decreta quaecumque Conventioni adversantia de medio sublata omnino esse ac penitus abrogata, verum etiam sancitum ut cetera omnia, quae ad ecclesiasticas res et personas pertinent, de quibus in Conventione nulla est habita mentio, juxta canonicam et vigentem Ecclesiae disciplinam exigi et administrari plane debeant.

Nec vero ea praetermisimus, quae ad temporale Ecclesiae bonum possunt pertinere. Omni enim studio et contentione vindicandum ac tuendum curavimus jus, quo Ecclesia pollet, acquirendi scilicet et possidendi quaecumque bona stabilia et frugifera, veluti innumera prope Conciliorum acta et Sanctorum Patrum sententiae et exempla, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant. Atque utinam ubique gentium, ubique terrarum possessiones Deo, ejusque Sanctae Ecclesiae dicatae semper inviolatae fuissent, et homines debita illas reverentia essent prosequuti! Equidem haud cogermur deflere pluri-

ma, omnibusque notissima mala et damna in civi-
lem ipsam societatem derivata ex injusta prorsus,
et sacrilega ecclesiasticarum rerum ac bonorum spo-
liatione et direptione, quae ad funestissimos quoque
ac perniciosissimos *Socialismi* et *Communismi* errores
fovendos magna ex parte viam munivit. Jam porro
in Conyentione constabilitum firmatumque conspi-
cietis Ecclesiae jus novas acquirendi possessiones ac
simul sancitum, ut proprietates bonorum omnium, quae
vel in praesentia possidet, vel in posterum acquirat,
integra et inviolabilis omnino habeatur atque persi-
stat. Hinc constitutum etiam fuit, ut nulla interpo-
sita mora, Ecclesiae illa omnia statim restituantur
bona, quae nondum divendita fuere. Verum cum ex
gravibus ac fide dignis testimoniis acceperimus, non-
nulla ex iisdem bonis nondum alienatis ita in dete-
rius esse prolapsa, et administrationis incommodis
obnoxia, ut evidens constet Ecclesiae utilitas, si illo-
rum pretium in publico aëre alieni redditus nunquam
quavis alia ratione transferendos convertatur, ejus-
modi permutationi indulgendum esse censuimus,
postquam vero bona ipsa fuerint Ecclesiae restituta.

Omnem quidem dedimus operam ut Episcopi,
Capitula, Seminaria, Parochi congruis ac stabilibus
potiantur redditibus, qui Ecclesiae perpetuo addicti,
ab ea libere erunt administrandi. Et si vero hi re-
ditus cum antiqua Hispani Cleri dote conferri non
possint, et ob temporum asperitatem minores, quam
Nos optavissemus existant; tamen probe noscentes,
qua singulari religione et pietate idem Hispaniarum
Clerus summopere praestet, plane non dubitamus,
quin ipse divina in voluntate conquiescens, et omni

virtutum genere magis in dies undique refulgens in vineam Domini naviter, scienterque excolendam alacriori usque solertia et studio incumbat, cum praesertim per ecclesiasticam libertatem in Conventione sancitam iis omnibus expeditus sit impedimentis, quae antea libero sacri ministerii exercitio adversabantur atque ita Populorum obsequium, amorem et venerationem sibi magis magisque conciliet et devinciat. Ceterum cum plenum ac liberum acquirendi ac possidendi jus fuerit sancitum ac servatum, patet Hispanis Ecclesiis aditus ad ampliores obtinendos redditus, quibus et majori divini cultus splendori et decentiori Cleri sustentationi facilius et commodius consulatur. Atque id felicioribus temporibus ex regia Carissimae in Christo Filiae Nostrae munificentia, ejusque Gubernii studio et ex egregia ac perspecta Hispanae Nationis religione futurum Nobis pollicemur. Ex iis quae raptim, cursimque commemoravimus, intelligitis, Venerabiles Fratres, quo studio Nostras omnes curas in ecclesiasticis Hispaniae rebus instaurandis posuerimus ac futurum confidimus, ut divina adspirante gratia, in amplissimo illo Regno catholica Ecclesia, ejusque salutaris doctrina quotidie magis latissime dominetur vigeat et efflorescat.

Nunc vero noscatis velimus, Dilectissimum in Christo Filium Nostrum Leopoldum II Magnum Etruriae Ducem, et Lucensium Ducem pro egregia sua pietate vehementer optasse, ut vigentes in Etruria leges quodammodo ordinari, et componi possent cum iis omnibus, quae ecclesiasticas leges respiciunt. Itaque enixis precibus a Nobis efflagitavit, ut nonnulla

interea temporis conciliare vellemus, cum eidem religiosissimo Principi in animo fixum, destinatumque sit, plenam cum hac Apostolica Sede in posterum inire Conventionem, qua in regionibus ei subjectis ecclesiasticarum rerum regimini et rationibus prospere consulatur. Quocirca firma ac certa spe freti fore, ut idem Dilectissimus in Christo Filius Noster ejusmodi Conventionem juxta Nostra desideria majori qua fieri potest celeritate sit initurus, illius votis obsecundantes aliqua capita a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus ejusdem Congregationis Negotiis ecclesiasticis extraordinariis propositae perpensa, interim constituta fuere, quae a Nobis et ab ipso Principe rata habita sunt. Quibus quidem capitibus, seu articulis inter cetera constitutum est, ut Episcopi omnem habeant libertatem in iis omnibus peragendis quae ad sacrum pertinent ministerium ac in scripta et opera, quae de rebus ad religionem spectantibus tractant, censuram ferant ut propriam eorum episcopalem auctoritatem libere adhibeant ad fideles a prava quavis lectione tum religioni tum moribus perniciosam arcendos ac simul cautum, ut omnes cum hac B. Petri Cathedra catholicae veritatis et unitatis centro libere communicare valeant, et causae omnes spirituales et ecclesiasticae ad sacrae potestatis iudicium unice et omnino spectare debeant ex sacrorum Canonum praescripto. Non levi autem iucunditate affecti fuimus, propterea quod idem Dilectissimus in Christo Filius Noster haud omisit Nobis polliceri et profiteri, se omnem suam opem et operam esse collaturum ad sanctissimam nostram religionem tutandam ad divinum cultum tuendum, et ad

publicam morum honestatem fovendam ; ac valido suo auxilio praesto futurum, quo Sacrorum Antistites episcopalem eorum auctoritatem libere exerceant. Quocirca confidimus, ut Deo bene juvante, earum, quas indulsimus, rerum usus in Ecclesiae utilitatem cedat, iis insuper difficultatibus penitus amotis, quae hucusque ejusdem Ecclesiae libertati obstiterunt.

Denique certiores Vos facimus, Nostras jam convertisse curas ad catholicae religionis res in longinqua regione componendas, ac Nos magna spe sustentari fore ut Conventio possit iniri, quae juxta Nostra et vestra desideria Ecclesiae juribus, rationibus ac prosperitati respondeat. Ac vel maxime optaremus, ut hujusmodi exemplum omnes earum dissitarum partium regiones, quarum populos praecipuo caritatis affectu in Domino prosequimur, imitari properarent, quo penitus averterentur plurima et maxima damna, quibus in nonnullis praesertim earundem partium regionibus immaculata Christi Sponsa cum summo animi Nostri dolore affligitur ac divexatur. Atque hic haud possumus, quin illis Venerabilibus Fratribus vehementer gratulemur, eisque meritas, debitasque tribuamus laudes, qui in tristissima licet conditione ibi constituti, tamen haud omittunt episcopali eorum zelo et firmitate Ecclesiae causam strenue tueri, ejusque jura impavide defendere ac dilectarum ovium saluti sollicite prospicere.

Haec erant, Venerabiles Fratres, quae Vobis hodierno die significanda existimavimus. Reliquum est, ut numquam desinamus dies, noctesque in humili-

tate cordis Nostri, et in sinceritate fidei, firmitate spei et caritatis ardore assiduas clementissimo misericordiarum Patri adhibere preces, ut omnipotenti sua dextera, quae mari et ventis imperat, Ecclesiam suam sanctam a tantis, quibus jactatur, procellis eripiat, eamque a solis ortu, usque ad occasum novis ac splendidioribus triumphis exornet et augeat.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONVENTIO CVM CATHOLICA HISPANIARVM REGINA
INITA CONFIRMATVR

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad vicariam aeterni Pastoris procurationem hic in terris gerendam ubi primum arcano divinæ Providentiæ consilio, licet immerentes, vocati fuimus, nihil certe antiquius habuimus, quam ut intentissimo studio praecipuas paternae Nostrae caritatis, et Apostolicae sollicitudinis curas, cogitationesque ad inclytam Hispanam Nationem, et regionum amplitudine, et populorum frequentia, et rerum praeclare gestarum laude, et catholicae praesertim religionis gloria, et suorum hominum virtute, sanctitate, doctrina, eruditione summopere illustrium multitudine, ac tot aliis nominibus clarissimam converteremus. Dolebamus enim, ac vehementer angebamur, cum nosceremus, amplissimum illud Regnum tot sane gloriosis, splendidisque factis de catholica Ecclesia, et hac Apostolica Sede optime meritum ita postremis hisce temporibus ob luctuosissimas rerum conversiones fuisse perturbatum, ut illa exinde nunquam satis lugendae eruperint calamitates, quibus cum maximo religionis,

et animarum detrimento omnes ejusdem Regni Regiones, Ecclesiae, Sacrorum Antistites, Clerus, Religiosi Ordines, eorumque res, et bona miserandum in modum obnoxia fuerunt. Itaque pro Apostolici Nostri ministerii munere gravissima mala, quibus magna illa Dominici gregis portio fuerat oppressa, reparare vehementissime cupientes, et illustribus felicis recordationis Gregorii XVI Praedecessoris Nostri vestigiis insistentes, qui modis omnibus ad religiosa, et ecclesiastica in illo Regno componenda negotia tantopere incubuerat, adlaboraverat, et Conventionem quoque cum illo Gubernio ineundam susceperat, quae optatum exitum haud obtinuit, nullis certe neque curis, neque consiliis parcere existimavimus, quo Religionis et Ecclesiae res in Hispania instaurare possemus. Quamobrem vix dum Carissima in Christo Filia Nostra Maria Elisabeth Hispaniarum Regina Catholica a Nobis enixe efflagitaverit, ut aliquem ecclesiasticum Virum ad ipsam mittere vellemus, qui Nostram referens Personam sacris, ecclesiasticisque rebus in suo Regno tractandis, et componendis operam navaret, ejusmodi pientissimis, omniique laude dignis ipsius Carissimae in Christo Filiae Nostrae desideriis quam libentissime obsecundavimus, postquam tamen illius Gubernium per officialia scripta Nobis significavit, a se excipi et admitti condiciones, cautionesque a Nobis antea praescriptas, veluti hujus gravissimae tractationis fundamenta, atque insuper recognosci tum jus, quo Ecclesia pollet, possidendi scilicet quaecumque bona stabilia, et frugifera, tum obligationem statim restituendi eidem Ecclesiae bona, quae nondum divendita fuerant, ac simul constituendi

congruam firmamque dotem, quae liberi, ac proprii juris esset Ecclesiae. Hinc ad ipsam Carissimam in Christo Filiam Nostram Venerabilis Frater Joannes Archiepiscopus Thessalonicensis opportunis Nostris monitis, et mandatis instructus a Nobis fuit ablegatus, ut apud Catholicam Majestatem Suam Nostri, et hujus Sanctae Sedis Delegati, ac suo tempore Nuntii munere perfungens suam omnem operam summo studio, ac diligentia in Religionis et Ecclesiae rebus procurandis, et componendis ibi impenderet. Cum autem de animarum salute vel maxime solliciti ardentissime optaremus vastissimi ejusdem Regni Ecclesiis jamdiu viduatis dignos, idoneosque quam primum praeficere Pastores, qui illos fideles in catholicae fidei professione juxta Dei et Ecclesiae leges ad sempiternae salutis semitas perducerent, tum eidem Venerabili Fratri in mandatis dedimus, ut in hanc rem perficiendam studiosissima sedulitate in primis incumberet. Nec non mediocrem certe jucunditatem percepinus, cum haec tam salutaris res, Deo bene juvante, et Carissimae in Christo Filiae Nostrae opera, ad optatum exitum fuerit perducta.

Jam porro post tristissimas rerum vicissitudines, quibus illud Regnum fuerat concussum, ea fuit aliorum negotiorum, quae componenda erant, multitudo, gravitas, et difficultas, ut nonnisi ex longa operosaque consultatione Conventio iniri potuerit inter Nos, et ipsam Carissimam in Christo Filiam Nostram Mariam Elisabeth Hispaniarum Reginam Catholicam, cujus propensam in religionis bonum voluntatem, et pietatem in hoc opere conficiendo non levi certe animi Nostri consolatione experti sumus. Quam Conventio-

nem a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae maturo examine perpensam delecti ex utraque parte Plenipotentiarum die decimo sexto proximi mensis Martii subscripserunt, Nomine quidem Nostro idem Venerabilis Frater Joannes Archiepiscopus Thessalonicensis, nomine autem Reginae Dilectus Filius Nobilis Vir Eques Emmanuel Bertran de Lis a publicis Majestatis Suae negotiis. Equidem ejusmodi Conventione prae omnibus constitutum esse volumus, ut Religio Catholica Apostolica Romana cum omnibus suis juribus, quibus ex divina sua institutione et Sacrorum Canonum praescripto pollet, in toto Hispaniarum Regno, sicut antea ita unice dominetur, et vigeat, ut nullum ei unquam detrimentum temporum injuria possit inferri, omnisque alius cultus amoveatur; ut in singulis Universitatibus, Collegiis, Seminariis, ac publicis privatisque scholis doctrina plane catholica tradatur; ut Ecclesiae jura ad spiritualem praesertim ordinem pertinentia integra, et inviolata servantur; ut Antistites, Sacrique Ministri, omnibus difficultatibus atque impedimentis remotis, plenam in episcopalis sacrique ministerii muniis obeundis habeant libertatem pro custodienda potissimum fidei, ac morum doctrina, et ecclesiastica disciplina tuenda; ut Ecclesiasticæ auctoritati ac dignitati debitus ab omnibus exhibeatur honor et observantia. Atque ut magis magisque amoveretur quidquid Ecclesiae bono quavis ratione posset obstare, inter cetera sancitum est, ut ea omnia, quae ad ecclesiasticas personas, et res spectant, de quibus nulla habetur in Conventione mentio juxta Canonicam et

vigentem Ecclesiae disciplinam plane exigantur, administrentur, et omnes leges, Ordinationes, Decreta quaecumque eidem Conventioni adversantia penitus extincta, ac de medio sublata esse debeant.

Ut autem Venerabiles Fratres Hispaniarum Antistites ampliori fruerentur in conferendis suarum Dioecesium Beneficiis, dum Conventionem a recolendae memoriae Benedicto XIV Praedecessore Nostro cum felicis recordationis Ferdinando VI Hispaniarum Rege Catholico die vicesimo Februarii anno millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio initam confirmavimus, nonnulla adjecimus, quae in ecclesiasticae auctoritatis atque in eorundem praesertim Antistitum favorem cedunt.

Cum vero Nobis expositum fuerit, spirituales illorum fidelium populorum utilitatem necessitatemque omnino postulare, ut nova in Hispaniarum Regno peragatur Dioecesium divisio, idcirco hanc rem suo tempore perficiendam censuimus, quo animarum saluti et indigentis majorem in modum consulatur. Hac sane de causa novae in illo Regno constituentur Dioeceses, dum aliquae cum aliis erunt conjungendae, quae, uti confidimus, in pristinum statum aliquando restitui poterunt; cum in praecipuis Nostris, et hujus Apostolicae Sedis votis sit Dioecesium numerum augeri et amplificari. Verum cum nondum ea omnia parata sint, quae ad hujusmodi statum Ecclesiarum in Hispania immutandum, atque ad singularum Dioecesium fines juxta initam Conventionem statuendos sunt necessaria, decernimus nihil interea esse innovandum, donec conventio ipsa perfectae executioni fuerit mandata, et aliae Nostrae de hac nova Dioe-

sium circumscriptione Apostolicae Litterae editae fuerint. Quapropter loca omnia, quae ex Conventione a Dioecesibus, ad quas in praesentia pertinent, erunt sejungenda, seu dismembranda, et cum aliis Dioecesibus conjungenda ab actualibus eorum Ordinariis, ac si oportuerit, a Vicariis ab Apostolica hac Sede electis gubernabuntur, donec per commemoratas Nostras alias Apostolicas Litteras finibus praestitutis novi pastores illarum regionum regimen susceperint.

Quod vero attinet ad temporales Ecclesiarum Hispaniae rationes, quae merito atque optimo jure Nostras curas ac sollicitudines sibi summopere vindicabant, haud omisimus juxta condiciones a Nobis praescriptas, et superius commemoratas omnia Nostra in id studia intendere ac summopere curare, ut meliori quo fieri posset modo Episcopi potissimum, Capitula, Seminaria, et Parochi congruos stabilesque habeant redditus Ecclesiae perpetuo addictos, et ab ea libere administrandos. Et quoniam ex fide dignis testimoniis accepimus, aliqua ex bonis nondum divenditis ita in deterius esse prolapsa, et administrationis incommodis obnoxia, ut evidens constet Ecclesiae utilitas, si illorum pretium in publici aeris alieni redditus numquam quovis alio titulo trasferendos convertantur, idcirco propter hanc Ecclesiae utilitatem Nobis expositam, eidem permutationi indulgendum esse existimavimus, ea tamen conditione ut haec permutatio nomine Ecclesiae fiat, cui propterea bona illa nulla interposita mora sunt restituenda.

Ad Carissimae vero in Christo Filiae Nostrae Hispaniarum Reginae Catholicae postulationes quibus ipsa enixe efflagitavit, ut sui Regni tranquillitati coo-

perari velimus, quae non parum turbaretur, si ecclesiastica bona alienata essent repetenda, Nos prae oculis habentes utilitatem, quae in Ecclesiae libertatem redundat ex articulis eapropter conventis, ac Praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, atque confisi hujusmodi deplorandas Ecclesiae bonorum direptiones nunquam in posterum eventuras, declaramus, eos, qui Ecclesiae bona alienata acquisiverunt, nullam molestiam habituros neque a Nobis, neque a Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, et consequenter proprietatem eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes. Dum autem id declaramus, cautum est, ut sedulo adimpleantur onera, quae divenditis bonis erant adjuncta.

Inter cetera cum idem Gubernium a Nobis postulaverit, ut in exigendis administrandisque Bullae Cruciatæ redditibus aliquam immutationem permittere vellemus, ejusmodi petitioni annuendum duximus. Verumtamen etiamsi hi redditus destinati fuerint ad Ecclesiae dotem aliqua ex parte constituendam, tamen omnibus notum esse volumus, nulla idcirco Nos et Successores Nostros obligatione obstringi quoad ejusdem Bullae prorogationem: atque id absque ullo constitutæ ecclesiasticæ dotis detrimento.

Nunc vero cum omnia, quae eadem continentur Conventione a Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis præpositæ sedulo fuerint discussa, et a Nobis ipsis maturo examine perpensa de eorumdem Venerabilium Fratrum No-

strorum consilio atque sententia Conventioni eidem annuendum existimavimus. Hisce igitur Nostris Apostolicis Litteris nota facimus quaecumque pro catholicae Religionis bono, pro divini cultus et ecclesisticae disciplinae incremento in Hispaniarum Regno sunt constituta. In ita autem Conventionis tenor est qui sequitur, videlicet.

CONVENTIO

INTER SANCTISSIMUM DOMINUM PIVM IX
SUMMUM PONTIFICEM

ET MAJESTATEM SVAM ELISABETH II
HISPANIARVM REGINAM CATHOLICAM

IN NOMINE SANCTISSIMAE ET INDIVIDVAE
TRINITATIS

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX, pro pastorali quam gerit totius catholici gregis sollicitudine, et praecipua erga inclytam devotamque Hispanicam Nationem benevolentia, Religionis bono, Ecclesiaeque utilitati eodem in Regno prospicere summopere cupiens: et Majestas Sua Regina Catholica Elisabeth Secunda, pro avita pietate et sincera in Apostolicam Sedem observantia, pari studio affecta, solemnem Conventionem celebrare decreverunt, qua inibi ecclesiastica negotia omnia stabili et canonica ratione ordinarentur.

Hunc in finem Sanctitas Sua Summus Pontifex in suum Plenipotentiarium nominavit Excellentissimum Dominum Joannem Brunelli Archiepiscopum Thessalonicensem, ejusdem Sanctitatis Suae Praelatum Domesticum, Pontificio Solio adsistentem, et in Hispaniarum Regnis cum potestate Legati a Latere Nuncium Apostolicum.

Et Majestas Sua Regina Catholica Excellentissimum Dominum Emmanuelem Bertran de Lis, Magnae Crucis Equitem Regii, et insignis Ordinis Hispanici Caroli III, necnon Sardiniensis SS. Mauritii et Lazari, et Neapolitani Francisci I, penes alterum ex publicis Regni Consiliis Deputatum, atque ipsius Majestatis Suae a Secretis Status.

Quos inter post invicem tradita ac recognita authentica suae plenipotentiae instrumenta, de sequentibus convenit.

Art. 1. Religio Catholica Apostolica Romana, quae excluso quocumque alio cultu esse pergit sola Religio Hispanicae Nationis, conservabitur semper in tota ditone Catholicae Majestatis Suae cum omnibus juribus ac prerogativis, quibus potiri debet juxta Dei legem et Canonicas sanctiones.

Art. 2. Consequenter Institutio in Universitatibus, Collegiis, Seminariis et Scholis publicis ac privatis quibuscumque erit in omnibus conformis doctrinae ejusdem Religionis catholicae: atque hunc in finem Episcopi et ceteri Praesules Dioecesani, quorum munus est doctrinae fidei et morum ac religiosae juvenum educationi invigilare, in hujus muneris exercitio etiam circa scholas publicas nullatenus impediuntur.

Art. 3. Neque ullum prorsus impedimentum ponetur, quo iidem Antistites alique Sacri Ministri in sui officii functione detineantur, nec quispiam quovis obtentu eos molestia afficiet in his omnibus, quae sui muneris sunt adimplendis. Imo vero singuli Regni Magistratus studebunt ipsi adhibere suamque operam dare, ut omnes debitam juxta divina man-

data observantiam ac reverentiam illis adhibeant, nec aliquid fiat quod in eorum dedecus ac contemptum vergere possit. Aderunt item Regia Majestas ejusque Gubernium potenti patrocínio ac praesidio suo Episcopis, illud pro re nata postulantes, maxime autem ubi improbitati obsistendum sit hominum, qui fidelium mentes pervertere, vel eorum mores corrumpere conentur aut editio, introductio et circumlatio pravorum noxiorumque librorum impedienda sit.

Art. 4. In reliquis omnibus, quae ad jus et exercitium ecclesiasticae auctoritatis, sacraeque Ordinationis ministerium pertinent, Episcopi eisque subiectus Clerus plena illa utentur libertate quam sacri Canones statuunt.

Art. 5. Attentis gravibus causis, quae id pro spirituali bono, et majori fidelium commodo necessarium et conveniens esse suadent, nova fiet in universa Peninsula et Insulis adjacentibus Dioecesium divisio ac circumscriptio.

Atque ideo

Metropolitanae, quae nunc sunt, sedes Burgensis, Caesaraugustana, Compostellana, Granatensis, Hispanensis, Tarraconensis, Toletana et Valentina conservabuntur, et ad hunc ipsum gradum Cathedralis Vallisolitana evehetur.

Ita pariter conservabuntur Episcopales Ecclesiae Abulensis, Almeriensis, Asturicensis, Auriensis, Barcinonensis, Calaguritana, Canariensis, Carthaginensis, Cauriensis, Conchensis, Cordubensis, Derthusensis, Gaditana, Gerundensis, Gienensis, Guadicensis, Jacensis, Illerdensis, Legionensis, Lucensis, Majoricensis,

Malacitana, Mindoniensis, Minoricensis, Oriolensis, Oscensis, Ovetensis, Oxomiensis, Pacensis, Palentina, Pampilonensis, Placentina, Salmaticensis, Santaanderiensis, Segobricensis, Segoviensis, Seguntina, Terulensis, Tirasonensis, Tudensis, Urgellensis, Vicensis et Zamorensis.

Dioecesis Albaraciniensis unietur Terulensi, Barbastrensis Oscensi, Civitatensis Salmaticensi, Celsonensis Vicensi, Ibusensis Majoricensi, Nivariensis (Tenerife) Canariensi, Septensis Gaditanae et Tudensis Pampilonensi.

Earum Episcopi Dioecesium, quibus altera adjungatur, hujus etiam titulum gerent una cum proprio Ecclesiae quam regunt.

Novae erigentur Ecclesiae Cathedrales Cluniae (Ciudad Real), Matriti et Victoriae.

Episcopalis Sedes Calaguritana et Calceatensis transferetur Lucronium, Oriolensis Alonium et Segobricensis Castilionem, ubi primum in his Civitatibus omnia ad rem parata sint, et Episcopis ac Capitulis, quorum interest, consultis, opportunum existimetur.

Quod si accuratior alicujus Dioecesis administratio Episcopum auxiliarem exposcat, hujusmodi necessitati consueti forma canonica occurratur.

Similiter, auditis Episcopis, constituentur Vicarii Generales pro iis locis, in quibus ob praedispositam hoc articulo Dioecesium conjunctionem, vel aliam justam causam necessarij videantur.

Septae autem, et Nivariae Episcopi Auxiliares statim constituentur.

Art. 6. Praedictarum Dioecesium distributio, quod ad cujusque subjectionem suis Metropolitanis attinet, erit quae sequitur:

Assignabuntur in suffraganeas Metropolitanae Burgensi Ecclesiae Calaguritana seu Lucroniensis, Legionensis, Oxomiensis, Palentina, Santanderiensis et Victoriensis.

Compostellanae Auriensis, Lucensis, Mindoniensis, Ovetensis et Tudensis.

Caesaraugustanae Jacensis, Oscensis, Pampilonensis, Terulensis et Tirasonensis.

Granatensi Almeriensis, Carthaginiensis seu Murciensis, Giensis, Gaudicensis et Malacitana.

Hispalensi Canariensis, Cordubensis, Gaditana et Pacensis.

Tarraconensi Barcinonensis, Gerundensis, Illerdensis, Derthusensis, Urgellensis et Vicensis.

Toletanae Caeriensis, Cluniensis, Comchensis, Matritensis, Placentina et Seguntina.

Valentinae Majoricensis, Minoricensis, Oriolensis seu Alionensis et Segobricensis seu Castilionensis.

Vallisolitanae Abulensis, Astaricensis, Salmaticensis, Segoviensis et Zamorensis.

Art. 7. Novi fines et peculiaris earundem Dioecesium circumscriptio, quo citius fieri possit ac servatis servandis per Apostolicam Sedem statuentur: quamohrem summus Pontifex suo et ejusdem Sedis apud Majestatem Catholicam Nuntio necessarias facultates delegabit ad opus, collatis eum Regio Gubernio consiliis, perficiendum.

Art. 8. Singuli Episcopi et quibus praesunt, Ecclesiae Canonice suis Metropolitanis subjectionem

prae se ferent ac proinde privilegium exemptionis, quo Episcopatus Legionensis et Ovetensis pridem gaudebant, cessabit.

Art. 9. Cum ex una parte necessitas urgeat oportune medendi gravibus incommodis, quae in ecclesiastici regiminis detrimentum oriuntur ex dispersione territorii ad quatuor Militias Sancti Jacobi, Alcantarae, Calatravae et Montesiae hactenus pertinentis, ex altera vero deceat religiose servare et memoriam Instituti tantopere de Ecclesia, ac re publica meriti et praerogativas Catholicorum Regum utpote Magnum ipsorum Militarium Ordinum Magisterium ex Apostolica concessione obtinentium, in nova Dioecesium circumscriptione definitus quidam assignabitur locorum numerus infra certum radium, seu circulum consistentium *que formen coto redondo*, ut ibi Magnus praedictarum Militiarum Magister ecclesiasticam jurisdictionem exercere pergat, ad omnimodam eorum normam, quae in memorata concessione aliisque Pontificiis Constitutionibus praescribuntur.

Novum hoc territorium Militarium Ordinum Prioratus nuncupabitur, et Prior caractere Episcopali titulo Ecclesiae in *partibus* insignitus erit.

Loca omnia, quae nunc exemptae eorundem Ordinum jurisdictioni subjacent, quaeque territorio illis, ut dictum est, assignando minime comprehendantur, suis seu proximis Dioecesibus aggregabuntur.

Art. 10. Archiepiscopi et Episcopi ordinariae suae auctoritatis et jurisdictionis usum ad universum proferent territorium quod uniuscujusque Dioecesis finibus juxta novam circumscriptionem contineatur, ac

propterea qui eum usque in praesens ad regiones aliena Dioecesi conclusas quovis titulo protulerint ab hujusmodi exercitio cessabunt.

Art. 11. Omnes etiam jurisdictiones privilegiatae et exemptae cujuscumque speciei sint, et quomodocumque nuncupentur, penitus cessabunt, ea non exclusa quae ad Sancti Joannis Jerosolimitani Ordinem spectat. Subdita autem nunc iisdem jurisdictionibus territoria propriis, seu finitimis Dioecesibus adjungentur in nova harum circumscriptione, prout articulo septimo statutum est, perficienda; salvis tamen ac in suo robore mansuris quae competunt.

1. Pro-Cappellano Majori Catholicae Majestatis suae.

2. Vicario Generali Castrensi.

3. Quatuor Militiis Sancti Jacobi, Calatravae, Alcantarae et Montesiae ad sensum eorum, quae nono hujusce Conventionis articulo praedisposita sunt.

4. Praelatis regularibus.

5. Nuntio Apostolico pro tempore circa Ecclesiam et Xenodochium Italorum in hac ipsa urbe erectum.

Vigebunt item speciales facultates, quae Commissario Generali Cruciatæ in rebus officium suum, respicientibus juxta delegationis Litteras, aliasque Apostolicas Concessionibus respondent.

Art. 12. Suppressa declaratur Collectoriam generalis quae a spoliis vacantibus et annatis audit concredito interim Commissariae Cruciatæ munere vacante administrandi, insoluta exigendi et pendencia negotia ordinandi et conficiendi.

Pari modo supprimitur Apostolicum ac Regium Tribunal gratiae, vulgo *del Excusado*.

Art. 13. Unumquodque Cathedralium Ecclesiarum Capitulum constabit Decano, qui semper primam Sedem post Pontificalem obtinebit; quatuor Dignitatibus, nempe Archipresbyteri, Archidiaconi, Cantoris et Scholæ Praefecti, necnon altera Thesaurarii in Metropolitanis: insuper quatuor Canonicis, qui *de officio* nuncupantur, scilicet Magistrali, Doctorali, Lectorali ac Poenitentiario; ac demum eo numero Canonicorum vulgo *de gracia*, quem articulus decimus septimus præfinit.

Praeterea Toletana Ecclesia duas alias habebit Dignitates titulo Cappellani Majoris Regum et Cappellani Majoris Mozarabum: Hispalensis aliam Cappellani Majoris Sancti Ferdinandi, Granatensis aliam Cappellani Majoris Regum Catholicorum, et Ovetensis aliam titulo Abbatis Sanctuarii in Ausenii Montis spelunca positi *de Covadonga*;

Singuli Capitulares aequali voce, et voto in posterum gaudebunt.

Art. 14. Archiepiscoporum et Episcoporum erit convocare Capitulum, eique praeesse quoties id expedire censuerint: itemque praeesse experimentis, seu concursibus pro iis praebendis, quae hac servata forma conferuntur. In his, ac ceteris quibuscumque actibus erit semper eisdem Praesulibus prima Sedes; quin privilegium aut contrarius usus ullimode obstant; atque ea cum illis honoris et obsequii ratio servabitur, quae sacrae ipsorum dignitati et principatui Ecclesiae ac Capituli quem gerunt, debetur.

Quotiescumque Capitulo praesint, vocem et votum in iis omnibus negotiis habebunt, quae eorum personam directe non afficiant ac praeterea ubi Capitularium suffragia sint paria, Episcopi votum rem definit.

In qualibet personarum electione seu nominatione ad Capitulum spectante, prout Capitulares fuerint sexdecim, viginti aut supra, tria, quatuor vel quinque vota habebit Episcopus. Quod si hic Capitulo minime adsit, aliqui de suo gremio deputati illum ad vota recipienda convenient.

Episcopo non praesidente, praerit Decanus.

Art. 15. Cum Cathedralia Capitula Archiepiscoporum et Episcoporum Senatum, consillumque constituent, requirentur ab his vel de sententia, vel de consensu; quemadmodum, pro varietate negotiorum et circumstantiarum canonicae leges, ac speciatim Sacra Tridentina Synodus, decernunt. Quapropter cessabit illico omnis immunitas, exemptio, privilegium, usus aut abusus, qui in ipsorum Capitulorum commodum cum ordinariae Praesulum auctoritatis iactura per Hispaniarum Ecclesias quacumque ratione invaluerit.

Art. 16. Praeter Dignitates et Canonicos, ex quibus solummodo efformatur Capitulum, Ecclesiae Cathedrales habebunt Beneficiatos, seu Cappellanos adstantes eum proportionali ministrorum et servientium numero.

Tum Dignitates et Canonicos, tum etiam Beneficiatos, seu Cappellanos singulos, Haec ii pro meliori Cathedralium servitio in presbyteros, diaconos,

ac subdiaconos distribuantur, sacerdotio insignitos esse debere Sanctitas Sua decernit; quique in possessione suorum beneficiorum adipiscenda hoc Ordine caruerint, infra annum ipso initiari sub poenis canonicis debebunt.

Art. 17. Capitularium et Beneficiorum numerus in Ecclesiis Metropolitanis erit ut sequitur.

Ecclesiae Toletana, Hispalensis et Caesaraugustana viginti et octo Capitulares habebunt, et quod ad Beneficiatos, Toletana viginti quatuor, Hispalensis viginti duos ac Caesaraugustana viginti et octo: Tarraconensis, Valentina et Compostellana viginti sex Capitulares ac viginti Beneficiatos: Burgensis, Granatensis et Vallisolitana viginti quatuor Capitulares ac viginti Beneficiatos.

In singulis vero Suffraganeis Capitularium et Beneficiorum numerus erit, qui subjicitur.

In Barcinonensi, Cordubensi, Gaditana, Legionensi, Malacitana et Ovetensi, viginti Capitulares et sexdecim Beneficiati. In Pacensi, Calaguritana, Carthaginensi, Conchensi, Gienensi, Lucensi, Palentina, Pampilonensi, Salmaticensi et Santanderiensi decem et octo Capitulares ac quatuordecim Beneficiati. In Almeriensi, Asturicensi, Abulensi, Canariensi, Cluniensi, Cauriensi, Guadicensi, Gerundensi, Oscensi, Jacensi, Illerdensi, Majoricensi, Mindoniensi, Auriensi, Oriolensi, Oxomiensi, Placentina, Segobricensi, Segoviensi, Seguntina, Tirasonensi, Terulensi, Derthusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi; Victoriensi et Zamorensi, decem et sex Capitulares et duodecim Beneficiati.

In Ecclesia Matritensi erunt viginti Capitulares, et viginti Beneficiati; in Minoricensi duodecim Capitulares et decem Beneficiati.

Art. 18. Loco duorum supra quinquaginta Beneficiorum, de quibus in tractatu anni 1753 expressa fit mentio, liberae Romani Pontificis dispositioni reservantur Cantoris Dignitas in singulis Metropolitanis, itemque in Cathedralibus, Asturicensi, Abulensi, Pacensi, Barcinonensi, Gaditana, Cluniensi, Conchensi, Guadicensi, Oscensi, Gienensi, Lucensi, Malacitana, Mindoniensi, Ovetensi, Oriolensi, Palentina, Salmaticensi, Santanderiensi, Seguntina, Tudensi, Victoriensi, et Zamorensi: in reliquis autem omnibus Canonicatus vulgo *de gracia*, qui prima Sanctitatis Suae collatione praefigetur. Hujusmodi vero beneficia ad formam praedicti tractatus conferentur.

Ad dignitatem Decani in cunctis Ecclesiis et quovis tempore, ac modo vacet, Regia Majestas perpetuo nominabit. Canonicatum *de officio* provisio ad Praelatos et Capitula praevio concursu, pertinebit. Ceteris Dignitatibus ac Canonicatibus Majestas Sua, et Archiepiscopi atque Episcopi stricte alternando providebunt. Beneficiati seu Cappellani adsistentes vicissim per ipsam Majestatem Suam, et Praelatos, ac Capitula nominabuntur.

Praebendarum, Canonicatum, et Beneficiorum eorumdem nominatio, quoties ob possessoris dimissionem, vel ad alterum Beneficium promotionem vacent, iis exceptis, quae Summo Pontifici reservata sunt, ad Regiam Majestatem semper et quandocumque spectabit.

Idem prorsus servabitur quoad ea quae vacent sede vacante, aut vacua supersint tempore mortis, translationis, vel resignationis Praelati cujus erat jus conferendi.

Regiae Majestati Suae similiter competet prima nominatio ad Dignitates, Canonicatus, et Beneficia in Cathedralibus noviter erigendis, nec non ad illa, quae in nova Vallisoli Metropolitana augebuntur, praeter tamen summo Pontifici reservata, et Canonicatus *de officio*, quibus consueta forma providebitur.

Singuli porro ad praedicta Beneficia nominati institutionem, et collationem canonicam a propriis Ordinariis semper et omnino consequi teneantur.

Art. 19. Gravi attenda circumstantiarum immutatione, cui ob praeteritas rerum publicarum vicissitudines, atque hujus etiam Conventionis occasione, Hispanus Clerus obnoxius est, Summus Pontifex et Regia Majestas, pro sua quisque parte, consentiunt nullam Dignitatem, Canonicatum, aut Beneficium, quod personalis residentiae onus adjunctum habeat, iis fore conferendum, qui cujuscumque muneris aut officii causa alibi teneantur assidue residere; nec contra ullum ex hujusmodi muneribus aut officiis his demandandum, qui aliquod ex praedictis beneficiis possideant; ni forte unum vel alterum dimittant: quae proinde officia, et beneficia deinceps incompatibilia prorsus erunt.

Nihilominus sex Cathedralium Peninsulae Praebendatis locus esse poterit inter eos, qui Regio Sacello Cappellani munere addicti sunt: nunquam tamen primam sedem obtinentes, Canonicos *de officio*, cura

animarum adstrictos, nec duos simul ex una eademque Ecclesia nominare fas erit.

Quod ad eos qui ad praesens vi cujuslibet generalis sive specialis indulti duo vel plura ex memoratis beneficiis aut officiis possident, opportuna statim consilia capientur, ut ipsorum etiam conditio juxta Ecclesiae necessitates, et casuum varietatem iis accomodetur, de quibus hoc articulo conventum est.

Art. 20. Sede vacante, Metropolitanae, vel Suffraganae Ecclesiae Capitulum infra tempus praefinitum, et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, unum tantum Vicarium eliget, in quem tota ejus ordinaria potestas transferetur, quavis ex parte Capituli ipsius reservatione aut limitatione penitus exclusa, et quin electio semel facta revocari, neque ad novam procedi possit; abolitis hinc omnino quocumque privilegio, usu, vel consuetudine administrandi in corpore, plures Vicarios constituendi, aut quolibet alio quod utcumque Sacrorum Canonum sanctionibus adversetur.

Art. 21. Praeter Collegium Cappellanorum Regio Sacello inserventium conservabuntur:

1. Quae in Toletana Ecclesia Regum, et Mozarabum, in Hispalensi Sancti Ferdinandi, et in Granatensi Regum Catholicorum nuncupantur.

2. Collegiatae in Urbe Provinciae principe, ubi Episcopalis sedes minime existat.

3. Collegiatae Patronatus particularis, quarum Patroni onus in se recipiant supplendi differentiae sumptuum, qui ad Collegiatae prae simplicis Parochialis sustentationem et decus necessarii fuerint.

Collegiatae Sanctuarii in Ausenio Monte, Roscidae Vallis, Sancti Isidori in Civitate Legionensi, sacri Montis Granatae, Sancti Ildefonsi, Compluti et Caesariani.

5. Illae ex Cathedralibus Ecclesiis, quae, ut in hac Conventione praestitutum est, aliis sunt conjungendae, tamquam Collegiatae conservabuntur.

Reliquae omnes Collegiatae cujuscumque originis antiquitatis, et foundationis sint, dummodo locorum circumstantiae haudquaquam impediunt, ad simplices parochiales rediguntur, cum eo tamen Beneficiorum numero, qui praeter Parrochum tum ad parochialis Ministerii exercitium, tum etiam ad divini cultus splendorem necessarius videatur.

Horum tamen Collegiorum conservatio ita quidem intelligenda erit, ut ea Praelatis Dioecesanis, in quorum territorio existunt, omnimode subjiciantur, derogando propterea cuilibet exemptioni, et jurisdictioni *vere* aut *quasi nullius*, quae nativam Ordinarii vel minimum limitet.

Collegiatis Ecclesiis parochia adjecta semper erit, et titulo parochiae majoris distinguetur ubi alia, vel aliae erectae habeantur.

Art. 22. Uniuscujusque Collegiatae Capitulum constabit ex Abbate Praesidente cui animarum cura incumbet, quin praeterea alia auctoritate ac jurisdictione potitur, quam ea, quae directivam et oeconomicam Ecclesiae ac Capituli administrationem respicit: insuper duobus Canonicis *de officio* Magistrali nempe, et Doctorali, et octo Canonicis *de gracia*. Erunt etiam in singulis Collegiatis Ecclesiis sex Beneficiati seu Cappellani adsistentes.

Art. 23. Quae in superioribus articulis circa Praebendarum, ac Beneficiorum et Cappellaniarum provisionem et Capitulorum regimen in Ecclesiis Cathedralibus statuta sunt, etiam in Collegiatis plene atque in omnibus vigeant, ac observabuntur.

Art. 24. Ut ubique locorum in Regno cultui religioso, et spiritualibus fidelium necessitatibus integre ac debita sollicitudine satisfiat, Archiepiscopi et Episcopi in suis Dioecesibus ad novam Parrochiarum ordinationem et circumscriptionem absque mora deveniant; habita ratione ad extensionem et naturam territorii, ac populi, caeterasque locales circumstantias, auditis etiam ad hoc Capitulis Cathedralibus, propriis regionum Archipresbyteris, et Tribunalium ecclesiasticorum fiscalibus, atque omnibus demum, quantum in ipsis est, curis adhibitis ut res, quam primum fieri possit, perfecte haberi et Majestatis suae Gubernio praevidente, ad effectum perducere valeat.

Art. 25. Nullum Capitulum, aut Collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit curam animarum: adeoque Beneficia Curata, et Vicariae perpetuae, quae antea *pleno jure* alicui Collegio conjuncta erant, deinceps juri communi omnimode subjicientur. Coadjutores et ceteri Parrochiarum administratores, cunctique Clerici sacris ruralibus aediculis, Sanctuariis, Oratoriis, Sacellis publicis, vel Ecclesiis non parrochialibus inservientes per proprium uniuscujusque territorii Parrochum dirigentur, eique in omnibus subjacebunt, quae ad cultum et religiosas functiones referuntur.

Art. 26. Parrochiis omnibus absque ullo prorsus ad loca, classes, et vocationis tempus respectu providebitur publico indicto concursu; servata norma a

Sacro Concilio Tridentino praescripta; efformatisque per Ordinarium ternionibus ex concurrentibus adprobatis, qui ad Majestatem Suam deferentur, ut inter propositos nominare queat.

Cessabit idcirco patrimonialitatis ut dicitur et exclusionis, seu praelationis privilegium, quoad Parochias, aliaque Beneficia assequenda nonnullis in partibus quibus patrimoniales fruebantur.

Parrochiis ecclesiastici Patronatus providebitur nominante patrono inter tres, quos, enunciata superius forma, Episcopi proposuerint: iis vero quae patronatus laicalis sunt, nominante item patrono inter eos, qui in publico propriae Dioecesis concursu adprobatos se fuisse doceant, praefixo ad hoc non valentibus quatuor mensium spatio, ut adprobationem praedicto modo assecutos esse demonstrent; ac salvo semper Ordinarii jure praesentatum a patrono examinandi siquidem ita conveniens censuerit.

Parrochiarum Coadjutores ab Ordinariis, praevio synodali examine, nominabuntur.

Art. 27. Opportuna consuletur ratione, ut quoad fieri possit, in nova hac rerum ecclesiasticarum ordinatione nequidquam praejudicetur juribus actu possidentium quascumque Praebendas, Beneficia, aut Officia, quae ejusdem ordinationis causa supprimenda sint.

Art. 28. Regiae Majestatis Catholicae Gubernium, firmo alioquin proposito opportune, et quo citius circumstantiae id sinant, reque prius cum Apostolica Sede concordata, Seminaria generalia instituendi, in quibus latiori, ut par est, modo ecclesiastica studia excolantur, provide pro sui parte curabit, ut Semi-

narum Conciliaria in Dioecesibus, ubi nunc desunt, sine mora erigantur, quo nempe in posterum nulla in Hispanica ditione Ecclesia sit, quae unum saltem Seminarium sui Cleri educationi sufficiens non habeat. In Seminariis admittentur, atque ad normam Sacri Concilii Tridentini informabuntur, ac iustituentur adolescentes, quos Archiepiscopi, et Episcopi pro Dioesium necessitate vel utilitate in eadem recipiendos iudicaverint. In omnibus vero quae ad Seminariorum regimen, doctrinam, honorumque administrationem pertinent, Tridentini ipsius Concilii decreta servabuntur.

Si novae Dioesium circumscriptionis causa duo Seminaria in aliquibus supersint, alterum in principe Episcopatus Civitate, alterum in Dioecesi adgreganda, utrumque conservabitur quamdiu Regio Gubernio, atque Episcopis id unanimi consensu utile videatur.

Art. 29. Eum in finem ut in universa Peninsula adsint sufficienti numero Ministri, atque Operarii Evangelici, quibus uti valeant Episcopi ad sacras Missiones pro variis suarum Dioesium locis, ad Parrochorum subsidium, ad aegrotantium opem, atque ad alia charitatis, et publicae utilitatis opera, Regium Gubernium, cui mens est meliori conditioni Collegiorum, quae ad Missiones pro ultramarina ditione instituta sunt, opportune prospicere, nulla interposita mora, reque prius cum Praelatis Dioecesanis collata, efficiet, ut ubi necesse sit, constituantur Domus, et Congregationes Religiosae Sancti Vincentii a Paulo, Sancti Philippi Nerii, atque alterius Regularis Ordinis ex adprobatis per Apostolicam Sedem quae simul ecclesiasticis viris ad se recolligendum,

his, aliisque ad spiritualia exercitia peragenda ceterisque id genus piis usibus inservient.

Art. 30. Ut praesto etiam sint religiosae Domus, ubi mulieres, id Deo inspirante cupientes, vacare queant vitae contemplativae et activae, adassistendi nimirum aegrotis, puellas instituendi, aliisque operibus aequae piis ac populo proficuis attendendi, Institutum filiarum, quae a Charitate nuncupantur, sub directione Clericorum Sancti Vincentii a Paulo conservabitur; Regio Gubernio ad ejus incrementum cooperaturo.

Conservabuntur item Religiosae mulierum Domus, quae contemplationi puellarum educationem et institutionem, aliaque charitatis opera conjungent.

Quod ad reliqua Sanctimonialium Instituta Ordinarii Praesules, ad omnes suarum Dioecesium circumstantias respicientes, illas religiosas mulierum Domus proponent, in quibus novitiarum admissionem ac professionem expedire censeant, pariterque instructionis et charitatis exercitia, quae iisdem convenire dijudicent.

Nemini ad religiosam professionem aditus patebit nisi prius ejus sustentationi debita forma provisum sit.

Art. 31. Reditus annuus cuique Archiepiscoporum in dotem adsignatus, erit ut sequitur:

Toletano centum sexaginta millia argenteorum, vulgo *Reales de vellon*.

Hispalensi et Valentino centum quinquaginta millium.

Compostellano et Granatensi centum quadraginta millium.

Burgensi, Caesaraugustano, Tarraconensi et Val-
lisolitano centum triginta millium.

Annuus vero reditus singulis Episcopis attributus
erit Barcinonensi et Matritensi centum decem millium
argenteorum ut supra.

Gaditano, Carthaginiensi, Cordubensi et Malacita-
no centum millium.

Almeriensi, Abulensi, Pacensi, Canariensi, Con-
chensi, Gerundensi, Oscensi, Gienensi, Legionensi, Il-
lerdensi, Lucensi, Majoricensi, Auriensi, Ovetensi,
Palentino, Pampilonensi, Salmaticensi, Santanderiensi,
Segobiensi, Terulensi et Zamorensi nonaginta mil-
lium.

Asturicensi, Calaguritano, Cluniensi, Cauriensi,
Guadicensi, Jacensi, Minoricensi, Mindoniensi, Orio-
lensi, Oxomiensi, Placentino, Segobricensi, Seguntino,
Tirasonensi, Derthusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi
et Victoriensi octoginta millium.

Titulari Indiarum Patriarchae, quando Archiepi-
scopatum, aut Episcopatum proprium non habeat,
centum quinquaginta millium, deducta ex hac quavis
alia quantitate quam ecclesiasticae pensionis, vel al-
tero quocumque titulo a publico aerario percipiat.

Antistites, qui Cardinalatus honore aucti sint vi-
ginti millia argenteorum ut supra adsignatam sibi do-
tem obtinebunt.

Episcopis Auxiliariis Septensi et Nivariensi item-
que Priori Ordinum Militarium, annuus quadraginta
millium argenteorum reditus attribuetur.

Hujusmodi reditus nullam prorsus deductionem
patientur, neque ob sumptus Bullarum, quos Guber-

num in se recipiet, neque ob alios, qui in Hispania pro iis occurrerint.

... Gaudebant insuper Archiepiscopi et Episcopi suis palatiis, pomariis, hortis aut aedibus, quae in qualibet Dioecesis parte ipsorum usui, ac solatio destinatae, et minime alienatae fuerint.

Viginti derogatur legislationi, quae spolia Archiepiscoporum et Episcoporum respicit. His proinde fas erit libere, prout sua cuique conscientia suggeret de illis disponere quae mortis tempore reliquerint; legitimis heredibus ab intestato successuris eodem conscientiae onere gravatis. Utroque tamen in casu excipiuntur ornamenta et vestes pontificales, quae Mitrae propria censebuntur, et ad successores in illam transibunt.

Art. 32. Primae post pontificalem Sedi in Toletana Ecclesia annuus viginti quatuor millium argenteorum reditus adsignatur: ceteris in aliis Metropolitanis viginti millium; in Suffraganeis decem et octo millium; in Collegiatis quindecim millium.

... Dignitates et Canonici *de officio* in singulis Metropolitanis annuo reditu fruuntur decem et sexmillium argenteorum, in Suffraganeis quatuordecim millium, et Canonici *de officio* in Collegiatis octo millium.

Canonici reliqui quatuordecim millia argenteorum in Ecclesiis Metropolitanis, duodecim millia in Suffraganeis, et sexmillia ac sexcenta in Collegiatis obtinebunt.

... Beneficiatis seu Cappellanis assistentibus annuus reditus adsignatur octo millium argenteorum in Me-

tropolitanis, sexmillium in Suffraganeis, et trium millium in Collegiatis.

Art. 33. Pro Parochis in Urbanis Paroecijs annuus reditus intra tria et decem millia argenteorum constituitur: in ruralibus vero minimum reditus duo millia et biscentum attinget.

Coadjutores et Oeconomi intra duo et quatuor millia argenteorum obtinebunt.

Praeterea tum Parochi proprii, tum Coadjutores fruuntur aedibus eorum habitationi addietis, necnon hortis seu possessionibus quae venditae minime fuerint, et vulgari nomine *Iglesarios*, *Mansos*, vel alio appellari consueverunt.

Itemque Parochi proprii et sui Coadjutores ex juribus stolae et oblationibus vulgo *pie de altar* partem cuique respondentem percipient.

Art. 34. Ad sumptus divini cultus explendos, Ecclesiae Metropolitanae intra nonaginta et centum quadraginta millia, Suffraganeae intra septuaginta et nonaginta; ac Collegiatae intra viginti ac triginta millia argenteorum annuatim habebunt. Pro iis vero qui administrationis et Sacrae visitationis causa extraordinarie requiruntur, singulis Metropolitanis intra viginti et triginta, et Suffraganeis intra sexdecim et viginti millia argenteorum annua vice conferuntur.

Ad cultum in Paroecijs, praeter casualia emolumenta aliaque pro nonnullis functionibus in Diocesanis taxis praefixa vel praefigenda, annua summa mille argenteis nunquam inferior unicuique Ecclesiae assignabitur.

Art. 35. Seminariis Conciliaribus juxta necessitatum et circumstantiarum varietatem intra nonaginta et centumviginti millia argenteorum quotannis attribuentur.

Regium Gubernium sustentationi domorum et Religiosarum Familiarum, de quibus in articulo vigesimo nono mentio fit, aptiori, qua par erit, ratione prospiciet.

Quod ad Coenobia Sanctimonialium sustentanda refertur, quae articulo trigesimo statuta sunt, servabuntur.

Iisdem praeterea eorumque loco Ordinariis Praesulibus, in quorum territorio dicta Coenobia existant, vel ante nuperrimas Hispaniae vicissitudines extiterint, statim et sine mora restituentur bona ad illa pertinentia, quae in Gubernii potestate adhuc manent, et alienata nequaquam fuerunt. Verum Sanctitas Sua perpensis praesenti ipsorum bonorum conditione aliisque peculiaribus causis, quo ipsorum reditu ad cultus ceterasque communes impensas majori aequalitate attendi queat, permittit ac statuit ut Praelati ad hujusmodi bonorum venditionem nomine Religiosarum familiarum, quibus illorum proprietates competet, immediate et sine mora deveniant. Venditiones ad hastam publicam, servata forma Canonica et nominata per Regium Gubernium persona interveniente, perficientur et quidquid ex iis redibit in eos redditus convertetur super Regni debito fundatos, qui vulgo audiunt *inscripciones intrasferibles del tres por ciento*. Eorum porro sors et fructus inter memorata Coenobia pro singulorum necessitate et circumstantiis distribuentur ad faciendum satis enun-

ciatis sumptibus pariterque pensionibus pro Religiosis, quae ad ipsarum perceptionem jus habeant, firma Gubernii obligatione subministrandi, ut hactenus, quod necesse sit ad plenam earundem pensionum solutionem, quamdiu participes vita fruuntur.

Art. 36. Quae in superioribus Articulis statuta est Cultui ac Clero reddituum assignatio ita quidem intelligetur, ut cum per circumstantias liceat, augeri possit. Nihilominus si quibusdam in casibus ob peculiare causas aliqua ex adsignationibus articulo trigesimoquarto praestitutis impar dignoscatur, Regium Gubernium, ut conveniens fuerit, rei providebit.

Pari modo quae sumptibus ad reparanda templa, aliaque aedificia cultui addicta necessaria fuerint supeditabit.

Art. 37. Rata pars reddituum cuilibet Mensae Episcopali pro tempore vacationis debita, deductis tum emolumentis, quae respondeant Oeconomo per Capitulum ipso actu electionis Vicarii Capitularis deputando, tum sumptibus ad urgentem Episcopalis palatii restorationem requisitis, inter Seminarium Conciliare, et futurum Praelatum aequaliter dividetur.

Simili ratione ex redditibus, qui perdurante vacatione Dignitatum, Canonicatum, Parochiarum et Beneficiorum in singulis Dioecesibus, maturi fiant, subtractis uniuscujusque oneribus, cumulus seu fundus efformabitur Ordinarii dispositioni reservatus, unde extraordinariis et minime praevisis Ecclesiarum ac Cleri sumptibus, necnon urgentibus gravibusque Dioecesis necessitatibus occurratur. Eundem in finem hujusmodi fundus seu cumulus augebitur etiam ex

summa respondente duodecimae parti annui cujusque reditus, quam semel infra annum recens ad Praebendas, Parochias, aliaque Beneficia nominati conferre debebunt, cessando propterea qualibet alia deductione quovis titulo, usu, statuto aut privilegio antea fieri solita.

Art. 38. Fundi, quibus assignatae cultui et Clero doti satisfiat, erunt.

1. Proventus bonorum stabilium, quae per legem die 3 Aprilis 1845 latam Clero ipsi restituta sunt.

2. Proventus Cruciatæ.

3. Proventus bonorum pridem spectantium ad Commendas et Magistratus quatuor Ordinum Militarium vacantes et vacaturos.

4. Impositio super urbana, rustica et pecuaria proprietate, ea rata, quae ad praedictae dotis complementum necessaria sit, ratione habita proventuum, de quibus in 1, 2 et 3 paragrapho mentio fit, aliorumque redituum, qui deinceps, praevisio Sanctae Sedis assensu, in idipsum assignentur.

Clerus hujusmodi impositionem exiget, sive fructus, sive speciem, sive numeratam pecuniam percipiendo juxta conventiones, quas praecedenter cum Provinciis, Populis, Parrochiis aut privatis personis inire poterit: et quoties necesse sit, publici Magistratus ei ad ipsam impositionem exigendam auxilio erent, adhibitis ad id mediis, quae pro vectigalium exactione praescripta habentur.

Praeterea bona omnia ecclesiastica, praecitata anni 1845 lege haudquaquam comprehensa et nondum alienata, Ecclesiae statim et sine mora resti-

tuentur, iis quae ex spectantibus ad virorum Coenobia adhuc remanent, minime exclusis. Inspec-tis tamen praesenti utrorumque bonorum conditione ac proinde evidenti Ecclesiae utilitate, Sanctitas Sua permittit ac statuit, ut constitutum ex iis pretium statim et sine mora commutetur cum redditibus super Regni debito fundatis vulgo *inscripciones intransfe-ribles del tres por ciento*; servatis omnino forma ac regulis, quae de venditione bonorum ad Sanctimo-nialium familias pertinentium articulo trigesimoquinto praefixae sunt. In iis exequendis, quae hoc articulo statuuntur, omnia praedicta bona pro suo justo va-lore et quibuscumque oneribus deductis, imputanda erunt.

Art. 39. Regium Gubernium quoad suarum par-tium est, et salvo ceteroquin jure Dioecesanorum Praesulum proprio, necessariis adhibitis providentiis efficiet, ut illi, quos inter bona ad Cappellanas piisque fundationes spectantia distributa fuerint, caveant de mediis ad onera adimplenda ipsis bonis adnexa.

Similiter providebit, ut pari modo piis oneribus satisfiat, quibus bona ecclesiastica hac eum obliga-tione alienata affecta existant.

Solum porro Gubernium semper cavebit de im-plemento onerum iis bonis adjectorum, quae utpote ab hujusmodi obligatione immunia divendita fuerint.

Art. 40. Omnia memorata bona proprietatis jure ad Ecclesiam pertinere ejusque nomine per Clerum usufruenda et administranda fore declaratur.

Cruciatæ proventus Ordinarii Praesules in sua quisque Dioecesi, utpote facultatibus Bullae ad hoc instructi, administrabunt ad eos erogandos juxta nor-

mam in ultima prorogatione Apostolici ad rem Indulti praescriptam; salvis obligationibus, quibus iidem proventus vi conventionum cum Sancta Sede initarum obnoxii sunt. Ratio et forma dictae administrationis obeundae, collatis inter Sanctitatem Suam et Regiam Majestatem consiliis, statuentur.

Itemque Ordinarii administrabunt proventus quadragesimalis Indulti, eos beneficentiae institutis et charitatis operibus in propriis Dioecesibus impendendo servata forma Apostolicarum concessionum.

Reliquae facultates Apostolicae officio adnexae Commissarii Cruciatæ, et consequentes attributiones per Archiepiscopum Toletanum ea amplitudine et forma exercebuntur, quam Apostolica Sedes praefiniet.

Art. 41. Ecclesia insuper jus habebit novas legitimo quovis titulo acquirendi possessiones: ejusque proprietas in omnibus quae nunc possidet, vel in posterum acquirat, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque interventu Auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. 42. His praehabitis, attenta utilitate quae in causam Religionis ex hac Conventione dimanatura erit, Summus Pontifex, instante Majestate Sua, ad publicam tranquillitatem tuendam, decernit et declarat, illos qui bona ecclesiastica in praeteritis Catholici Regni vicibus juxta latas tunc civiles ordinationes emerunt eorumque possessionem adepti sunt, atque alios ab emptoribus ipsis causam habentes,

nullam ullo tempore molestiam habituros, neque a Se, neque a Romanis Pontificibus Successoribus suis, immo vero eorumdem honorum proprietatem, redditus et emolumenta tuta et pacifica fore penes ipsos, atque ab iis causam habentes.

Art. 43. Cetera ad res et personas ecclesiasticas pertinentia, super quibus provisum non est articulis praecedentibus, dirigentur omnia et administrabuntur juxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam.

Art. 44. Summus Pontifex et Catholica Majestas declarant Regales Hispaniarum Coronae praerogativas sartas tectas manere ad formam Conventionum quae inter utramque potestatem celebratae antierius sunt. Atque ideo enunciatae Conventiones, et speciatim ea quae inter Summum Pontificem Benedictum XIV et Regem Catholicum Ferdinandum VI anno 1753 inita est, confirmatae declarantur ac plene in suo robore persistent quod ad ea omnia, quae per praesentem inmutata, aut modificata minime fuerint.

Art. 45. Per solemnem hanc Conventionem Leges, Ordinationes et Decreta quovis modo et forma in Hispaniarum dominiis hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur: ipsaque Conventio ut Lex Status deinceps eisdem in dominiis perpetuo vigeat. Atque idcirco utraque Contrahentium pars spondet se successoresque suos omnia et singula, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Regia Majestas invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. 46. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet intra sexaginta dierum spatium a die hisce articulis apposita aut citius, si fieri potest.

In quorum fidem praedicti Plenipotentiarii huic Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit. Datum Matrili die decimasexta Martii anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo.

JOANNES BRUNELLI

Archiepiscopus Thessalonicensis

Loco ✠ Sigilli

MANUEL BERTRAN DE LIS

Loco ✠ Sigilli

Cum igitur hujusmodi Conventiones, Pacta et Concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis et conditionibus cum a Nobis, tum a carissima in Christo Filia Nostra Maria Elisabeth Hispaniarum Regina Catholica fuerint approbata, confirmata et ratificata, et cum laudata Carissima in Christo Filia Nostra enixe postulaverit, ut pro firmiori eorum subsistentia robur Apostolicae firmitatis adjiceremus, ac solemniorem Auctoritatem et Decretum interponeremus, Nos plane in Domino confidentes fore, ut pro sua misericordia studia haec Nostra in componendis ecclesiasticis rebus in Hispaniarum Regno copiosis divinae suae gratiae muneribus prosequi dignetur, ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictas Conventiones, Capitula, Pacta, Concordata et

Concessionem tenore praesentium approbamus, ratificamus et acceptamus, illisque Apostolici muniminis et firmitatis robur et efficaciam adjungimus omniaque in iis contenta, et promissa sincere et inviolabiliter ex Nostra et Sanctae Sedis parte adimpletum et servatum iri tam Nostro, quam Successorum Nostrorum nomine promittimus ac spondemus.

Majori autem qua possumus contentione omnes et singulos Antistites in Hispania nunc degentes, et a Nobis postmodum instituendos eorumque Successores monemus et hortamur in Domino, ut praemissa omnia ad majorem Dei gloriam, Ejusque Sanctae Ecclesiae utilitatem, et animarum salutem a Nobis decreta in iis, quae ad ipsos pertinent sedulo, diligenterque servent. Cum autem Pastoralis ministerii libertas, omnibus amotis impedimentis, ut par erat, restituta fuerit, non dubitamus, quin omnes iidem Antistites illustra tot sanctorum Episcoporum, quibus Hispania maxime inclaruit, vestigia sectantes, exempla aemulantes, alacriori usque industria, studio, contentione omnes eorum cogitationes, curas, consilia, conatus conferant, quo et catholicae doctrinae puritas, et divini cultus nitor, et ecclesiasticae disciplinae splendor, et Ecclesiae legum observantia, et morum honestas et christianae pietatis, ac virtutis amor et opera in Hispaniarum fidelibus quotidie magis refulgeant.

Decernentes easdem praesentes Litteras nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque, quamvis magno, aut inexcogitato defectu notari aut impugnari posse, sed semper firmas, va-

lidas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere, quousque conditiones, et pacta in Tractu expressa servantur. Non obstantibus Apostolicis et Synodalibus, Provincialibus et Universalibus Conciliis, editis generalibus Constitutionibus et Ordinationibus ac Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, praesertim de jure quaesito non tollendo, necnon quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque Piorum Locorum foundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus.

Praeterea quia difficile foret praesentes Litteras ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica Auctoritate decernimus et mandamus, ut earum transumptis, etiam impressis, manu tamen publici Notarii subscriptis, et sigillo alicujus Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, plena ubique fides adhibeatur, perinde ac si praesentes Litterae forent exhibitae vel ostensae. Et insuper irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, adprobationis, ratificationis, acceptationis, promissionis, sponsionis, monitionis, hortationis, decreti, derogationis, statuti, mandati, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Primo Nonis Septembris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

U. P. CARD. PRO-DATARIUS

A. CARD. LAMBRVRSCHINIVS

Visa de Curia D. BRVTI

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS,
 EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORVM ORDINARIOS
 GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTES

VENERABILES FRATRES
 SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exultavit cor Nostrum in Domino, Venerabiles Fratres, et humillimas maximasque clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis egimus gratias, ubi inter assiduas et gravissimas, quibus in hac tanta temporum iniquitate premimur, angustias, ex plurimis vestris testimoniis, accepimus uberes laetissimosque fructus, qui divina adspirante gratia in populos curae vestrae commissos ex sacro Jubilaeo a Nobis concesso redundarunt. Significastis enim, hac occasione fideles vestrarum Dioecesium populos summa frequentia in spiritu humilitatis et in animo contrito ad sacras aedes certatim accurrisse, ut verbi Dei praedicationi assisterent, et ablutis per reconciliationis Sacramentum animi sordibus ad divinam mensam accederent, ac simul fervidas Deo Optimo Maximo juxta Nostra desideria preces offerrent. Inde contigit, ut non pauci coelestis gratiae ope e vitiorum coeno, et veritatis semitas amplexi salutarem vitae rationem inierint. Quae quidem omnia summae consolationi et jucunditati Nobis fuerunt, qui de omnium hominum salute Nobis divinitus commissa

quam maxime anxii, atque solliciti nihil profecto tam vehementer optamus nihilque aliud votis omnibus, ac precibus dies noctesque in humilitate cordis Nostri a Deo exoptamus, quam ut omnes populi, gentes, nationes ambulantes gressibus fidei quotidie magis Ipsum agnoscant et diligant, ac sanctissimam Ejus legem sedulo adimpleant et instent viam, quae ducit ad vitam.

Etsi vero, Venerabiles Fratres, ex parte Nobis summo opere laetandum, quod vestrarum Dioecesium populi magnas ex sacro Jubilaeo spirituales perceperint utilitates, tamen ex altera non parum dolendum, cum videamus quam afflictam, et luctuosam sanctissima nostra religio, et civilis societas praeserant faciem miserimis hisce temporibus. Nemo enim Vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quibus subdolis artibus, quibus monstruosis opinionum portentis, et nefariis cujusque generis machinationibus Dei, et humani generis hostes omnium mentes pervertere, moresque corrumpere conantur, ut religionem, si fieri unquam posset, usquequaque tollere, et civilis societatis vincula revellere, eamque funditus evertere valeant. Hinc porro deploranda multorum mentibus offusa caligo; acerrimum contra catholicam rem universam, atque hanc Apostolicam Sedem bellum; teterrimum contra virtutem, honestatemque odium; perditissima vitia mentito virtutis nomine cohonestata; effrenata opinandi, vivendi et quidlibet audendi licentia; impotens cujusque imperii, potestatis, atque auctoritatis intolerantia; sacrarum rerum ac sanctissimarum legum, optimarumque institutionum ludibrium, contemptus; miseranda improvidae praesertim

juventutis corruptio; pestifera pravorum librorum, et undique volantium ac peccare docentium libellorum, ephemeridum ac pagellarum colluvies; mortiferum *indifferentismi*, et incredulitatis virus; impiarum conspirationum motus, et jura cum humana, tum divina spreta atque irrisa. Neque Vos latet, Venerabiles Fratres, quae exinde anxietas, quae dubitatio, quae haesitatio ac formido omnium praesertim bene sentientium animos sollicitet et angat, cum gravissima quaeque mala privatis, publicisque rationibus sint pertimescenda, ubi homines a veritatis, justitiae et religionis norma misere desciscentes, ac pravis indomitique servientes cupiditatibus omne nefas animo moliuntur.

In tanto igitur rerum discrimine nemo non videt, omnes spes nostras unice esse collocandas in Deo salutari nostro atque continuas, fervidasque Ipsi adhibendas preces, ut misericordiae suae divitias super omnes populos propitius effundens, et omnium mentes coelestis suae gratiae lumine illustrans, errantes ad justitiae viam reducere, ac rebelles hostium voluntates ad se convertere dignetur, omnibusque sancti sui nominis amorem et timorem inserat, ac spiritum tribuat cogitandi semper et agendi quaecumque sunt recta, quaecumque vera, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta. Et quoniam suavis, mitis et misericors est Dominus ac dives in omnes, qui invocant Illum, respicit in orationem humilium et omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat, adeamus, Venerabiles Fratres, cum fiducia ad tronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio op-

portuno. Omnis enim qui petit accipit, qui quaerit invenit et pulsanti aperietur (1). Ac primum immortales miserationum Domino agamus gratias, et labiis exultationis laudemus nomen sanctum Ejus, cum in multis catholici orbis regionibus mirabilia misericordiae suae operari dignetur. Hinc unanimes, atque eadem fidei sinceritate, spei firmitate et caritatis ardore animati sine intermissione Deum humiliter enixeque orare et obsecrare non desinamus, ut Ecclesiam suam sanctam ab omnibus calamitatibus eripiat, eamque ubique gentium, ubique terrarum magis in dies amplitudine augeat et exaltet, ut mundum a cunctis purget erroribus omnesque homines ad agnitionem veritatis, et salutis viam clementissime adducat, ut flagella suae iracundiae, quae pro nostris peccatis meremur, propitius avertat, ut mari ventisque imperet et faciat tranquillitatem, atque optatissimam pacem omnibus concedat, ut salvum faciat populum suum, et benedicat haereditati suae, illamque ad coelestia dirigat atque perducatur. Ut autem facilius Deus inclinet aurem suam ad preces nostras et annuat votis nostris, levemus oculos manusque ad sanctissimam Dei Genitricem immaculatam Virginem Mariam, cujus nullum praesentius, nullum validius apud Deum patrocinium, quaeque nostra amantissima Mater, et maxima fiducia nostra, immo tota ratio spei nostrae, quod quaerit invenit et frustrari non potest. Deinde suffragia quoque quaeramus tum Apostolorum Principis, cui Christus ipse tradidit claves regni coelorum, quemque Ecclesiae suae pe-

(1) Matth. 7, 8.

tram constituit, adversus quam portae inferi praevalere nunquam poterunt; tum Coepostoli ejus Pauli, et proprii cujusque civitatis et regionis Patroni, aliorumque Coelitum omnium, quo benignissimus Dominus uberrima suae bonitatis dona copiosissime largiatur.

Itaque, Venerabiles Fratres, dum Nos in hae alma Urbe Nostra publicas preces fieri mandamus, hisce Litteris Vos ipsos et populos curae vestrae commissos ad votorum Nostrorum societatem evocamus et egregiam vestram religionem ac pietatem omni studio excitamus, ut in vestris quoque dioecesibus publicas orationes ad divinam implorandam clementiam indicendas curetis. Atque ut fideles ardentiore animo hisce obsecrationibus per Vos statuendis instent, coelestes Ecclesiae thesauros in forma Jubilaei denuo proferre cepsuimus, quemadmodum ex aliis Nostris Litteris heic adjectis clare intelligitis.

In eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut Angeli pacis habentes phialas aureas, et thuribulum aurum in manu sua humiles Nostras ac totius Ecclesiae preces offerant super altare aureum Domino, utique Ipse benigno illas vultu excipiens ac Nostris, vestrisque et omnium fidelium votis elementissime annuens, velit omnium errorum tenebras dispellere, omnium malorum dissipare procellas ac rei tum christianae tum civili auxiliariam porrigere dexteram atque efficere, ut in omnibus hominibus una eademque sit fides mentium, una eademque actionum pietas, unus idemque religionis, virtutis, veritatis et justitiae amor, unum idemque pacis studium, unum idemque caritatis vinculum, atque ita

Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi regnum in universo terrarum orbe magis in dies amplifictur, corroboretur atque exaltetur.

Denique coelestium omnium munerum auspicem ac flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus vigilantiae vestrae concredit is peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Novembris Anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS
 EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORVM ORDINARIOS
 GRATIAM ET COMMVNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTES

VENERABILES FRATRES
 SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex aliis Nostris Encyclicis Litteris ad Vos hoc ipso die datis novistis, Venerabiles Fratres, quo studio eximiam vestram pietatem excitavimus, ut in tantis christianae et civilis reipublicae calamitatibus publicas in vestris dioecesibus preces peragendas curetis ad divinam implorandam misericordiam. Cum autem in iisdem Litteris significaverimus, coelestes Ecclesiae thesauros a Nobis hac occasione iterum prolatum iri, idcirco has Vobis mittimus Litteras, quibus thesauros ipsos aperimus.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi ac solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, commisit, per has Litteras omnibus et singulis vestrarum dioecesium utriusque sexus fidelibus, qui intra unius mensis spatium ab unoquoque Vestrum praefigendum atque a die, quem quisque Vestrum constituerit, computandum peccata sua humiliter et cum sincera illorum deestatione confessi, et sacramentali absolutione expiati sanctissimum Eucharistiae sacramentum reverenter susceperint, ac tres Ecclesias a Vobis designandas

aut tribus vicibus illarum unam visitaverint, ibique aliquo temporis spatio pias ad Deum pro exaltatione et prosperitate sanctae Matris Ecclesiae ac Sedis Apostolicae, atque pro haeresum extirpatione ac pro pace et concordia christianorum Principum ac totius populi christiani pace et unitate preces effuderint, atque insuper intra dictum temporis intervallum semel jejunaverint, ac aliquam in pauperes eleemosynam, piamque largitionem in religiosissimum *Propagationis Fidei* opus (quod episcopali vestro zelo summopere commendamus) pro sua quisque devotione erogaverint, plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Jubilaei concedimus et largimur, quae per modum suffragii animabus in purgatorio existentibus applicari etiam poterit. Atque ut hanc Indulgentiam lucrari possint etiam Moniales, seu aliae personae in claustris perpetuo degentes, necnon quicumque in carcere existant, vel corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento prohibeantur, quominus aliqua ex commemoratis operibus peragere valeant, Confessariis per eos tu infra, eligendis potestatem facimus, ut eadem in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, cum facultate etiam dispensandi super Communionem cum pueris, qui nondum ad primam Communionem fuerint admissi. Item ipsis vestrarum dioecesium fidelibus tum laicis tum ecclesiasticis saecularibus et regularibus, et cujusvis Instituti etiam specialiter nominandi licentiam et facultatem concedimus, ut sibi ob hanc causam eligere possint quemcumque Praesbyterum Confessarium saecularem seu regularem ex illis, quos veluti magis idoneos ad hunc effectum designare existimaveritis

(qua facultate uti poterunt etiam Moniales licet ab Ordinarii jurisdictione exemptae, aliaeque mulieres intra claustra commorantes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus) qui eos ab excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis, praeter infra exceptas, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus etiam locorum Ordinariis, aut Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis et quorum absolutio alias per generale hujusmodi Indultum non intelligeretur concessa, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere valeant. Insuper ut omnibus faciliorem sternamus viam, quo ad salutis iter possint redire, iisdem Confessariis commemorato unius mensis spatio facultatem quoque impertimur, ut eos omnes qui vetitis sectis se misere adscripserunt ac vere poenitentes ad reconciliationis Sacramentum accedant, absolvere, illosque ab obligatione denunciandi complices dispensare queant ad effectum consequendi eandem Plenariam Indulgentiam, consuetis adhibitis conditionibus, et exceptis casibus in quibus ad evitanda majora et graviora damna denunciatio omnino necessaria videatur. Praeterea concedimus ut iidem Confessarii possint vota quaecumque etiam jurata et Apostolicae Sedi reservata (castitatis, religionis et obligationis, quae a tertio accepta fuerit, seu in quibus agatur de praedjudicio tertii semper exceptis, necnon poenabilibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refranet, quam prior

voti materia) in alia pia opera dispensando commutare, injuncta in omnibus casibus poenitentia salutari et aliis, quae de jure sunt injungenda. Facultatem quoque concedimus dispensandi super irregularitate ex violatione censurarum contracta, quatenus ad forum externum non sit deducta nec facile deducenda; praeter hanc vero Confessarij praedicti nullam per praesentes Litteras facultatem habebunt dispensandi super alia quavis irregularitate sive ex delicto, sive ex defectu vel publica vel occulta, aut super alia incapacitate, vel inhabilitate quomodocumque contracta. Non intendimus autem per praesentes Litteras ullo modo derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV Praedecessore Nostro, quae incipit « Sacramentum Poenitentiae » quoad inhabilitatem absolvendi complicem; et quoad obligationem denunciationis, neque intendimus facultatem concedere ad eos absolvendos, qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi et interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati fuerint, praeterquam si intra praedictum mensem obligationi suae satisfecerint. Quod si intra praefinitum spatium iudicio Confessarii satisfacere non potuerint, ipsos absolvi posse concedimus ad effectum dumtaxat assequendi Indulgentiam hujus Jubilaei, injuncta obligatione satisfaciendi statim ac potuerint.

Haec concedimus et indulgemus, non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis quibuscumque in contrarium facientibus, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorum totis tenoribus

specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Denique praecipuae Nostrae in Vos benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, omnibusque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter imper-
timur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Novem-
bris anno MDCCCLI. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS,
ET EPISCOPIS HIBERNIAE.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nemo certe ignorat, Venerabiles Fratres, qua egregia et immobili erga hanc Petri Cathedram universorum Christifidelium matrem, et magistram (1) fide, et observantia, et qua singulari animorum consensione et constantia in re catholica tuenda, et episcopali munere obeundo Hiberniae Antistites praestare semper studuerint. Hinc porro evenit, ut ipsi inter gravissimas licet procellas summa cum sui nominis laude, et huius Apostolicae Sedis consolatione ministerium suum coniunctis studiis strenue implentes, de Ecclesia praeclare sint meriti, cum nihil antiquius habuerint, quam concordissimis animis illustris Hiberniae populos sibi commissos ab erroris contagione sollicitè avertere, atque in illis sanctissimae fidei nostrae, et catholicae veritatis depositum perdiligenter tueri, defendere, et custodire. Quae quidem dum non mediocri animi Nostri iucunditate, et insigni vestri ordinis honore commemorare laetamur, Venerabiles Fratres, non parum dolemus, et angimur, cum acceperimus quibus molitionibus antiquus inimicus vestram animorum concordiam labefactare, infirmare, ac dissensionem excitare in praesentia conetur. Itaque

(1) Concil. Lateranen. IV, cap. 8.

etsi ea Nobis de vestra religione insit opinio, ut plane non dubitemus, Vos inimici insidiis fortiter obsistentes maiori usque alacritate pro Dei, eiusque Sanctae Ecclesiae causa in castris Domini constanter prudenterque esse dimicaturus, tamen pro apostolici Nostri ministerii munere, et summa illa, qua Vos et istos fideles caritate prosequimur, haud possumus, quin mutuae concordiae sensus Vobis etiam atque etiam inculcemus. « Etenim scimus, et constat (ut ipsis-
 » simis s. Gregorii Magni Decessoris Nostri verbis
 » utamur) quia castrorum acies tunc hostibus terri-
 » bilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, atque
 » densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam
 » si ita disponitur, ut locus vacuus per quem hostie
 » possit ingredi dimittatur, profecto iam suis hostibus
 » terribilis non est. Et nos ergo cum contra mali-
 » gnos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus,
 » summopere necesse est, ut per caritatem semper
 » uniti, atque constricti, et nunquam interrupti per
 » discordiam inveniamur, quia quaelibet bona in nobis
 » opera fuerint, si caritas desit, per malum discor-
 » diae locus aperitur in acie, unde ad feriendos nos
 » valeat hostis intrare (1). » Quamobrem nos Nostri
 ad Vos patet, Venerabiles Fratres, atque intimo No-
 stri conditi affectu Vos alloquimur, monemus, horta-
 mur, et obsecramus, ut auctissimo inter Vos caritatis
 foedere quotidie magis devincti, atque obstricti in
 Dei gloria amplificanda, in catholicae Ecclesiae do-
 ctrina tuenda, eiusque iuribus propugnandis, in gregis
 Vobis traditi incolumitate tutanda, in hostium insidiis

(2) S. Gregor. M. in Ezechiel. lib. I. Homil. 8, § 6.

et erroribus profligandis, aliisque gravissimi vestri episcopalis muneris officiis implendis magis in dies sitis unanimes, ac perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia, et solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et quoniam pro vestra sapientia optime noscitis quantopere haec sacerdotalis, et fida animorum, voluntatum, et sententiarum consensio ad Ecclesiae bonum et fidelium utilitatem sit necessaria, atque proficiat, idcirco ob eximiam vestram pietatem, et virtutem Nobis persuasissimum est, Vos nihil potius unquam habituros, quam usque magis eiusmodi concordiam non solum inter Vos fovere, verum etiam cum aliis Venerabilibus Fratribus Angliae praesertim, et Scotiae Antistitibus maiorem in modum tueri, atque augere. Nam probe scitis, Vobis atque illis uno eodemque religionis studio, ac mutuae caritatis praesidio summopere esse allaborandum, et excubandum ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, nihilque magis curandum, quam sub huius Apostolicae Sedis ductu ea omnia coniunctis viribus peragere quae ad Dei gloriam et sempiternam hominum salutem promovendam pertinent. Nos quidem, Venerabiles Fratres, eo magis fore confidimus, Vos huiusmodi concordiae studiosissimos semper futuros, cum non levi certe animi Nostri gaudio recordemur, quae fuerit vestra unanimitas in subscribendis Actis Synodi a Vobis omnibus apud Thurles anno 1850, habitae ad catholicae Ecclesiae res in Hibernia tuendas. Atque hic aliquid ad eandem Synodum pertinens raptim attingere volentes memineritis, Venerabiles Fratres, litteras a duodecim ex Vobis post illam Synodum

concelebratam ad Nos die 11 mensis septembris eiusdem anni 1850, datas atque etiam a Venerabili Fratre Daniele Archiepiscopo Dublinensi, quem nuper extinctum dolemus, subscriptas, in quibus de istis Reginae, uti appellant, collegiis praesertim agebatur, nec ignoratis Decreta quae rebus omnibus mature perpensis edita a Nobis fuerunt per Nostram Congregationem Fidei propagandae praepositam. Cum autem opportunum esse existimemus, ac vehementer cupiamus, a Vobis omnibus cognosci quomodo de hac gravissima sane re scripserimus eidem Archiepiscopo Dublinensi in Nostra familiari epistola die 17 mensis novembris superiori anno data, hisce Nostris litteris eadem, quibus usi sumus, verba Vobis significare censuimus, quae sunt uti sequuntur. « Quod » autem attinet ad Reginae Collegia, de quibus in » commemoratis tuis litteris loqueris, pro certo habe, » Nobis pergratum fuisse scire, Te, Venerabilis Fra- » ter, post decreta ab hac Apostolica Sede de tanti » momenti negotio edita promptissimo animo decretis » ipsis parere declarasse. Ac persuasum habemus, » Te non solum Decreta ipsa sollicite esse exsequu- » turum, verum etiam omni opera, contentione et » zelo curaturum, ut illi antistites, quorum litteras » die 11 septembris superiori anno datas, atque a Te » quoque subscriptas accepimus eadem Decreta eo, » quo par est, obsequio venerentur, et omni alacri- » tate sedulo adimpleant. Quae quidem Decreta Nobis » summopere cordi semper fuerunt, ac vehementer » optamus et volumus, ut ea ab omnibus studiosis- » sime ac religiosissime serventur cum in illis de » catholica doctrina tuenda agatur; quo certe nihil

» Nobis potius esse potest, ac debet. » Ex quo vel facile intelligitis quomodo ille Venerabilis Frater a Nobis monitus et excitatus fuerit ad suas omnes adhibendas vires, ut Decreta illa tum ab ipso, tum ab aliis diligentissime observarentur. Verum cum ipse morte praeventus perficere forsitan haud potuerit, quod Nostris erat in votis, idcirco Nos ipsi Vobis omnibus maiori quo possumus studio etiam atque etiam iterum commendamus, et inculcamus, ut pro vestra religione Decreta saepius commemorata omni diligentia accuratissime ab omnibus serventur. Iam vero neminem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, eiusdem Synodi apud Thurles a Vobis concelebratae Acta, et statuta post maturum examen, nonnullis adhibitis emendationibus, a Nobis probata fuisse iam inde a die 23 mensis maii superiori anno per Decretum a commemorata Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita editum ac suprema Nostra Auctoritate munitum. Cum autem eadem acta et statuta iuxta traditas emendationes solemniori modo per Nostras Apostolicas Litteras Annulo Piscatoris obsignatas, ac die 23 huius mensis datas denuo approbare, confirmare et sancire censuerimus, episcopalis vestrae sollicitudinis erit omni cura et studio advigilare, quo illa sarta tecta habeantur, atque ab omnibus diligentissime observentur. Dum vero meritis Vobis tribuimus laudes, quod in commemorato apud Thurles Concilio inter alia de salutari et catholica iuventutis institutione solliciti, provide sapienterque constitutis, catholicam in Hibernia universitatem, collatis inter Vos consiliis, quamprimum esse erigendam, ubi adolescentes absque catholicae fidei discrimine huma-

nioribus litteris, severioribusque disciplinis imbuan-
tur, Vobis addimus animos, Venerabiles Fratres, ut
nullis neque curis, neque studiis parcere velitis, quo
saluberrimum hoc opus maiori qua fieri potest cele-
ritate ad optatum exitum perducatur. Hac sane de
causa vestris postulationibus quam libentissime ob-
secundantes eiusdem Catholicae Universitatis funda-
tionem praedictis Nostris Apostolicis Litteris non levi
certe animi Nostri voluptate approbavimus. Ac ve-
hementer laetati sumus, cum noverimus Hiberniae
fideles tam alacri pietate, ac liberalitate egregiis hisce
vestris studiis occurrisset, ut non levia iam ad hanc
rem perficiendam subsidia fuerint comparata. Qua-
propter dum Vobis, atque ipsis fidelibus summopere
gratulamur, in eam profecto spem erigimur fore, ut
catholica haec Universitas quamprimum, Deo bene
iuvante, prospere, feliciterque iuxta Nostra, ac vestra
desideria erigatur. Nunc vero cum nihil sit, veluti
compertum exploratumque Vobis est, Venerabiles
Fratres, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum
assidue instruat, quam eorum vita et exemplum,
qui se divino ministerio dedicarunt, ne intermittatis
unquam vestram omnem industriam, et operam im-
pendere, ut omnes in sortem Domini vocati propriae
vocationis, et officii memores ab iis omnino decli-
nent, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam
decent, et exemplum sint fidelium in verbo, in con-
versatione, in caritate, in fide, in castitate, ut hone-
stum clericalem habitum illorum ordini, ac dignitati
congruentem deferant, ac proprii ministerii partes
pie, riteque obeant, ut sanctissima Ecclesiae Sacra-
menta, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel

caep̄ta augetur, vel amissa reparatur, ea, qua par est religione, decore, et cultu fidelibus ministrent, ut orationi instant, et sacrarum praesertim disciplinarum studia sedulo colant, ac sub vestro ductu animarum saluti studiosissime inserviant. Quisque autem Vestrum apprime noscit quam vehementer in hac praesertim tanta temporum asperitate Ecclesiae intersit, idoneos habere Ministros, qui nonnisi ex Clericis optime institutis fieri possunt. Quapropter vestras omnes euras, cogitationesque in id intentissimo studio conferre nunquam desinite, Venerabiles Fratres, ut adolescentes Clerici vel a teneris annis ad omnem pietatem, virtutem, atque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac tum humanioribus litteris, tum severioribus disciplinis potissimum sacris ab omni prorsus cuiusque profanae novitatis, et erroris periculo alienis accurate erudiantur, quo virtutum omnium ornatu fulgentes, ac salutaris, solidaeque doctrinae praesidio muniti possint in tempore christianam plebem verbo, et exemplo docere, et eos, qui contradicunt arguere. Habetis, Venerabiles Fratres, quae pro impensa Nostra in Vos, et istos fideles caritate Vobis hisce Litteris significanda existimavimus, ac plane non dubitamus, quin Nostris desideriis quam cumulatissime respondere gloriemini. Siquidem ea est vestra religio, pietas, eaque erga Nos, et hanc Apostolicam Sedem observantia, et episcopalis virtus, ac sollicitudo, ut omnino confidamus, Vos arctiori usque caritatis vinculo coniunctos, atque id ipsum invicem sentientes nihil unquam intentatum esse relicturos, ut auxiliante Dei gratia pergatis maiore in dies zelo, atque omni constantia et prudentia op-

ponere murum pro Domo Israel, et gregem curae vestrae commissum ab venenatis pascuis arcere, atque ad salutaria propellere, et misere errantes ad veritatis et iustitiae semitas reducere, et omnia conari, quo omnes crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi. Nos interim in humilitate cordis Nostri haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione clementissimum misericordiarum Patrem exorare, ut uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves Vobis creditas copiose descendant. Atque superni huius praesidii auspicem, et flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex imo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus vestrae fidei traditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXV martii
Anno MDCCCLII Pontificatus Nostri Anno Sexto.

VENERABILIBVS FRATRIBVS

ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HISPANIARVM
REGNIVENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Probe noscitis, Venerabiles Fratres, quae quantaeque curae vel ab ipso Nostri Pontificatus initio a Nobis susceptae fuerint ad catholicae Ecclesiae res in amplissimo isto regno instaurandas et componendas, quaeque Conventio post diuturnam, operosamque tractationem cum Carissima in Christo Filia Nostra Maria Elisabeth Hispaniarum Regina Catholica fuerit inita. Neque ignoratis quo intentissimo sane studio inter alia illud in primis in ipsa Conventione cautum sancitumque esse voluerimus, ut Ecclesia omnibus suis juribus plane frueretur, quibus ex divina sua institutione et Sacrorum Canonum sanctione pollet, utque Vos omnes, cunctis amotis impedimentis, in episcopalis vestri ministerii muneribus obeundis integram plenamque haberetis libertatem. Etsi vero non dubitamus, Vos pro egregia vestra in Ecclesiam fide ac pastoralis sollicitudine omnem operam, industriam ac diligentiam in ipsius Ecclesiae libertate tutanda, vestrisque episcopalibus juribus tuendis esse collocaturos, tamen ad id perficiendum Vobis animos addere existimavimus. Quamobrem hisce Nostris Litteris intimo Nostri cordis affectu Vos alloquimur ;

Venerabiles Fratres, atque eximiam vestram religionem et episcopalem virtutem ac vigilantiam etiam atque etiam excitamus, ut pro loco quem tenetis, pro dignitate qua insigniti estis, ea omnia quae in ipsa Conventione ad Ecclesiae praesertim incolumitatem, atque ad episcopalis vestri ministerii libertatem asserendam sunt constituta, strenue, constanter prudenterque agere et defendere contendatis. Et quoniam pro vestra sapientia optime scitis quantopere Ecclesiae utilitati conducat sacerdotalis et fida animorum, voluntatum ac sententiarum consensus, idcirco Vos vehementer in Domino hortamur et obsecramus, ut omnes unanimes, atque id ipsum invicem sentientes concordissimis animis unam eandemque agendi rationem inire studeatis ad ipsius Ecclesiae causam et jura propugnanda, atque ad omnes episcopalis vestri muneris sacrique ministerii partes libere exercendas, juxta ea quae in Conventione ipsa statuta ac sancita sunt. Quo vero facilius et felicius haec tantopere necessaria animorum concordia, ac similis agendi norma quotidie magis inter Vos vigeat, ne intermittatis in his potissimum rerum adjunctis, Venerabiles Fratres, in gravioris praesertim momenti negotiis consilia inter Vos per epistolas ita conferre, ut qui ex Vobis Archiepiscopali Dignitate sunt ornati, sibi invicem rebus primum communicatis ac sedulo consultis, proprios Suffraganeos de susceptis consiliis diligenter certiores faciant, ut Vos omnes, eo quo praestatis religionis studio animati, unam eandemque habeatis viam et rationem, qua conjunctis viribus consociatisque studiis et majorem Dei gloriam promovere, et veneranda Ecclesiae jura integra

ac inviolata servare et animarum saluti consulere, et liberum episcopalis vestri ministerii exercitium sartum tectumque tueri possitis. Cum autem compertum exploratumque Vobis sit, Venerabiles Fratres, quam uberes salutaesque fructus ex sacris Episcoporum Conventibus a Tridentina praesertim Synodo tantopere inculcatis christianus populus percipiat, idcirco, postquam praesertim per epistolas de gravissimis negotiis consilia inter Vos fuerint inita, ne omittatis Provincialium Conciliorum celebrationem istic temporum asperitate jamdiu intermissam omni studio redintegrare, ut cujusque Provinciae indigentis accurate perspectis, et una eademque agendi norma suscepta ac proposita, valeatis, Deo bene juvante, pro singulari vestra virtute, prudentia ac pastoralis cura et sollicitudine quod in populis vestrae vigiliantiae commissis perditum est requirere, quod abjectum reducere, quod confractum alligare, quod infirmum consolidare, omnemque operam dare, ut divina nostra religio ejusque salutifera doctrina in istis regionibus quotidie magis vigeat, floreat ac domineatur. Neque intermittatis ex ejusdem Tridentini Concilii praescripto Dioecesanis quoque Synodos cogere et vestras omnes curas, cogitationes, studia, consilia continenter impendere, ut qui divino ministerio sese dedicaverunt propriae vocationis memores eorum vivendi rationem ad Sacrorum Canonum, et ecclesiasticae disciplinae normam dirigant ac morum gravitate, vitae sanctitate ac salutaris doctrinae laude praeluceant, omniumque virtutum exempla christiano populo praebent, et proprii ministerii munia naviter, scienter religioseque impleant, atque animarum saluti studio-

sissime inserviant; ut adolescentes clerici, vel a teneris annis ad pietatem, virtutem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris, disciplinis praesertim sacris ab omni erroris periculo alienis diligentissime erudiantur; ut fideles Vobis concrediti magis in dies enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati crescant in scientia Dei, et ambulent per semitas Domini, ac nunquam se decipi et in errorem induci patiantur a fabricatoribus mendacii et perversorum dogmatum cultoribus. Cum autem, veluti quisque Vestrum optime intelligit, nihil sit quod magis ad rei tum sacrae, tum publicae incolumitatem pertineat, quam recta juventutis institutio, ne desinat unquam summa sollicitudine advigilare, ut in omnibus istis publicis privatisque scholis doctrina plane catholica tradatur, et juventus sanctissimae nostrae religionis praeceptionibus accurate excolatur. Equidem Nos minime latet, Venerabiles Fratres, quibus quantisque angustiis et difficultatibus episcopale ministerium in hac potissimum tanta temporum iniquitate sit obnoxium, nec ignoramus, Vobis maximopere esse allaborandum et excubandum in ipsius gravissimi ministerii partibus implendis. At nullus labor, molestia nulla Vos a proprii muneris debito unquam deterreat, immo divino auxilio freti pro Dei gloria, ejusque sanctae Ecclesiae causa, et sempiterna hominum salute viriliter agite prae oculis habentes immarcescibilem illam gloriae coronam ab aeterno Pastorum Principe perseverantibus promissam. Dum autem persuasissimum Nobis est, Vos hisce Nostris desideriis quam cumulatissime esse satisfacturos, ea profecto fiducia nitimur

fore, ut carissima in Christo Filia Nostra Maria Elisabeth pro avita sua pietate, ejusque Administri perspicientes quantopere sanctissima nostra religio, ejusque doctrina ad populorum felicitatem tranquillitatemque conducat, Vobis valido suo patrocinio sint adfuturi, quo omnia episcopalis vestri ministerii munia prospere feliciterque exercere possitis. Interim vero haud omittimus in humilitate cordis Nostri fervidas clementissimo misericordiarum Patri et Deo totius consolationis adhibere preces, ut in abundantia divinae suae gratiae Vobis semper propitius adesse velit, ac pastoralibus vestris curis et laboribus benedicat, quo fideles curae vestrae concrediti ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Cujus superni praesidii auspicem, et flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus fidei vestrae traditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVII Maii
Anno MDCCCLII. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cum primis Ecclesiae temporibus infinito pene numero extiterint qui testimonium Iesu Christo virtute magna redderent, et animo parato ac lubenti contumelias, supplicia mortemque ipsam pro nomine Ejus paterentur; tum etiam per consequentia tempora non defuere qui hoc idem testimonium Christianae Fidei alacriter exhiberent. Et certe sapientissimo Dei consilio factum est, ut Religio quae Martyrum rigata sanguine vel ab initio crevit, eodem sanguine per varias aetates confirmaretur, nec non christifideles veluti in exemplari intuerentur expressum id quod ipsos ad fidei constantiam excitaret. Ita enim homines discunt, Christum adhuc in Sanctis suis pugnare et vincere, ac fore coronandum neminem, nisi qui legitime ad mortem usque certaverit. In hunc sane heroum numerum merito accensendus est Venerabilis Servus Dei Joannes de Britto Sacerdos Professus Societatis Jesu, qui labente Saeculo XVII sacram expeditionem quam suscepit suo sanguine illustravit. Ille Ulysipone anno 1647, claro genere natus, ac regio inter Lusitaniae ephebos adlectus bona institutione non minus quam suoapte ingenio ad vitae integritatem non vulgarem formabatur. Duodennis e gravissimo morbo Sancti Francisci Xaverii ope recreatus jam tum intellexit, se idcirco ab coelesti hoc Patrono servatum esse, ut charismata meliora aemularetur, scilicet exemplum Xaverii ipsius qui aeternae Indorum saluti operam suam plane devovit. Anno aetatis quintodecimo perfectionis desiderio ex aulae

splendore et domus perillustris commodis ad religiosae vitae asperitates se convertit, ac Sancti Ignatii de Loyola Institutum secutus est, ubi tyrocinio vixposito omnibus exemplo praelucere coepit, ad studia praesertim sacra vigilantius eniti, fidei propagandae zelo medullitus exardescere; quare sacerdotio nondum suscepto, de Moderatorum licentia in Malabariam transmisit, provinciam europeis longe molestissimam, ut ibi se ad Madurensis expeditionem compararet. Nec ita multo post eo perrexit maximo cum fructu illorum populorum: etenim ut erat apostolico spiritu plenus arduis rebus minime terrebatur, gravia et molesta devorabat, ac frigoris, aestus, incendiae et laboris patientissimus nihil praetermittebat, modo experiretur si quam opem ei genti afferre posset: et attulit profecto cum tredecim continenter annos ibi versatus multa hominum millia Christo lucrificavit. Id ferre non potuit humani generis hostis, e cujus potestate sectatores adeo multi eripiebantur; quamobrem Maravarum Regulum excitat, qui Evangelii nuntium patriae religionis violatae reum in vincula conjiceret, praeterea graviter cruciatum e Regni finibus pelleret. In Europam remeare coactus, fixum tamen animum ibi, unde abscesserat, retinuit Ioannes. Quippe divino lumine instinctus praesentiebat, alia atque alia trophaea se eo loci efferre debere, ac denique proprio sanguine terram illam faecundare: imo vel absens hujus expeditionis commoda qua potuit curavit, utque primum aditus patuit, ad Madurenses suos advolvit actus illa qua aestuabat divina charitate. Ibi ad sarcienda inimici hominis damna qui forte zizania in medio tritici superseminaverat, sedulus incubuit, in-

termisamque ex necessitate operam compensare satagens omnia tentabat, nil incommodi aut laboris recusabat, ut gens illa quantocyus, si fieri posset, suave Christi jugum, excussa daemonum tyrannide subiret. Haec satis evincebant apostolicam hominis charitatem, qua Dei ac Salvatoris nostri gloriam quaerebat, et proximis quod aeternum est parare studebat: atqui ea laus cum ceteris virtutibus ad exemplum omnium in illo conjungebantur. Fides ejus maxima erat, illamque in agendo uti normam unice sequebatur: Deum continenter precari, Virginem Deiparam veluti filius amantissimus colere, ejusque cultum longe ac late promovere in deliciis habuit. Spes autem tanta fuit, ut ea scilicet fretus rem quamlibet vel perarduam et difficillimam susciperet. Cum ceteris mitis et misericors, in se unum durus atque asper visus est; et quasi gravissima ministerii incommoda et labores satis ipsum non coercerent, voluntarias afflictationes adhibebat, nunquam laetior quam tum cum sole ureretur, glacie rigeret, inedia languesceret, et denique ulcere quod laboribus conceperat, prostratus jaceret. Eum Dei dona corrumpere existimabat qui ab suo vitae instituto vel minimis in rebus discederet, et adeo Societatis cui se addixit, regulas omnes religiosissime coluit, nec tantillum ex iis unquam discessit. Castitatis porro ita studiosus fuit, ut ea de causa in fidem Beatae Virginis se contulerit, et sic omnia sua ad mortem usque composuit, ut coelestem in terris vitam agere videretur. Quamobrem insignis ejus fama erat atque in omnium ore ac sermone versata, eundemque adhuc vivum coelestia signa comitabantur. Una res famulo Dei ad

cumulum dignitatis et gloriae deerat, martyrii palma, quam ipse studio inflammato appetebat. Sed enim hoc etiam ex votis cessit, quandoquidem dum sui oblitus pergeret fidelium bono consulere, subiit iterum invidiam tyranni, qui Joannem comprehendi jubet, ac blanditiis primum frustra tentatum denique capite damnat. Optata ille sententia laetissimus obtruncandum se tortoribus dedit, et ita Christi Evangelium in Malabaria proprio sanguine obsignavit. Haec tanta fortitudo et simul coelestia prodigia quae illo, dum adhuc viveret, intercessore contigerant, satis demonstrabant, Joannem uti Socius passionum Christi fuerat in terris, ita esse et consolationis in Coelo. Quamobrem, Servi Dei fama vulgata, Miliapurensis Ordinarius et viciniorum locorum Episcopi, Goanus in primis et Coccinensis, idoneorum testium fide interposita de hujusmodi signis seu prodigiis acta conficere et ad hanc Sanctam Sedem transmittere maturarunt. Post haec fel. mem. Praedecessor Noster Papa Clemens XII jam inde ab anno 1738 de hac re tota quaeri constituit, et Kalendis Juliis ejusdem anni Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacri Consilii legitimis ritibus cognoscendis investigandum dedit: = an constaret de causa martyrii in casu et ad effectum. = Hac inter alia quaestione suborta: an obstarent ritus objecti (videlicet Malabarici) quominus procedi posset ad ulteriora et ad effectum de quo agebatur: Benedictus PP. XIV, Praedecessor item Noster de consilio Cardinalium ejusdem Congregationis sub die VI nonas Julii anni 1741 declaravit, objectos ritus non fuisse, uti penes Gentiles, adhibitos in Signum protestativum, sed mere fuisse actus

vitae civilis, et adeo decrevit non obstare quominus ad ulteriora procederetur. Tunc rediit prima quaestio de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu prodigiis quae illo deprecatore facta esse dicebantur, eaque dilata primum ob varias circumstantias tum postea discussa maturo examine est et praefatae Congregationis consultorum suffragiis atque Cardinalium sententiis unanimiter probata: quare Nos anno 1851 die Sacro Principi Militiae Coelestis pronuntiavimus = Constare de martyrio et causa martyrii praedicti Venerabilis Servi Dei Joannis de Britto multis signis a Deo illustratis et confirmatis, ac propterea in hac causa procedi posse ad ulteriora, quin deveniatur ad discussionem aliorum miraculorum praeter signa proposita et examinata. = Nihil aliud supererat nisi ut de more interrogaretur Sacrum Consilium legitimis ritibus cognoscendis, utrum censeret, Ipsum tuto Beatorum albo adscribi posse: id peregrinus sexto Kalendas Februarii vertentis anni eo Coetu coram Nobis habito, qui unanimi consensione censuit, posse, cum Nobis visum esset, commemoratum Dei Servum Beatum declarari cum omnibus indultis, donec solemnitas ejus canonizatio fieret. Quapropter Nos, coelesti lumine implorato, etiam ut fideles in hac temporum difficultate novum habeant christianae fortitudinis exemplum, de memoratae Congregationis Cardinalium consilio et assensu ad preces universae Societatis Jesu Auctoritate Apostolica tenore praesentium facultatem facimus, ut idem Dei Servus Joannes de Britto, Sacerdos Professus Societatis Jesu, qui animam suam pro Christi nomine posuit, Beati nomine in posterum appelletur Ejusque corpus et Sacra lipsana seu Re-

liquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus ut de eo recitetur quotannis Officium et Missa de communi unius Martyris cum orationibus propriis a Nobis approbatis juxta Missalis et Breviarii Romani Rubricas. Ejusdem vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat in Dioecesi Lisbonen., intra fines Vicariatus Apostolici Maduren., itemque per omnia templa Societatis Jesu ubicumque ea constituta sit III Idus Februarias die octavo ab anniversaria pretiosae Ejus mortis memoria ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus quam regularibus qui horas canonicas persolvere teneantur, et, quod ad Missas, etiam ab omnibus Sacerdotibus, qui ad Ecclesias in quibus dictum festum peragitur celebrent. Denique concedimus pariter ut anno primo ab hisce Litteris datis Solemnia Beatificationis Servi Dei Joannis de Britto in templis Dioeceseos, Vicariatus Apostolici, et Societatis, de quibus habita mentio est celebrentur eum Officio et Missis ritus duplicis majoris; hoc autem fieri volumus die ab Ordinariis Sacris Praesidibus indicendo, et posteaquam ea Solemnia in Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut Harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptionibus etiam judicialibus fides habeatur, quae No-

372

**strae voluntatis significationi Hisce Litteris ostensis
haberetur.**

**Datum Romae apud Sanctum Petrum sub An-
nulo Piscatoris die Decima Octava Maii Millesimo
Octingentesimo Quinquagesimo Secundo Pontificatus
Nostri anno Sexto.**

A. CARD. LAMBRV SCHINI VS

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SACRAE CONGREGATIONI EMINENTISSIMORVM ET REVERENDISSIMORVM SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE CARDINALIVM ALMAE LAVRETANAE DOMVI PRAEPOSITAE INDVLTVM CONCEDITVR ECCLESIAS ET ORATORIA EIDEM SACRAE AEDI AGGREGANDI PRO PARTICIPATIONE DVNTAXAT NONNVLLARVM INDVLGENTIARVM

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Inter omnia Sanctissimae Dei Genitrici Immaculatae Virgini Mariae dicata Templi mirandum in modum eminet atque refulget religiosissima et augustissima Lauretana Aedes, quae divinis consecrata mysteriis, ac tot nobilitata miraculis, totque populorum concursu frequentiaque celebrata universum, qua late patet, catholicum orbem sui nominis fama replevit, omniumque gentium et nationum venerationem merito, atque optimo jure vel maxime excitavit. Ibi enim colitur illa tantopere dilecta Deo Domus Nazareth in Galilaea olim condita, dein a fundamentis avulsa, ac divinitus per ingentem terrarum marisque tractus primum in Dalmatiam, postea in Italiam advecta, ubi Sanctissima Virgo ab aeterno praedestinata, ac primaevae labis omnino nescia est concepta, nata, educata atque a coelesti nuntio veluti gratia plena, et benedicta inter mulieres salutata et plena Deo, ac divino fecunda spiritu sine ulla integerrimae virginitatis jactura Unigeniti Dei Filii mater effecta,

qui tametsi sit splendor gloriae, et figura substantiae Patris, tamen ex ipsa intacta Virgine nasci voluit in similitudinem hominum factus, ut univcrsum hominum genus ab daemoris captivitate, in quam primi parentis culpa misere fuerat coniectum, redimeret et vindicaret. Nil igitur mirum, si vel ab ipsis christianae religionis primordiis beatissimam illam Aedem in templi speciem concinnatam omnes fideles populi summo in honore et veneratione habuerint, ac maximo religionis sensu per tot continentia saecula semper celebraverint; si summi Principes ex remotissimis etiam regionibus Aedem ipsam venerabundi adierint, eamque opulentissimis donis certatim cumularint; si Romani Pontifices Praedecessores Nostri a Bonifacio praesertim VIII fel. rec. vehementer gloriati fuerint, augusta Virginis incunabula nobili et magnifico templo Basilicae nomine, iuribusque insignito includere, ibique praeclarum Canonicorum Collogium Instituire, atque Episcopalem Sedem huic Apostolicae Sedi immediate subiectam erigere, illamque sacram domum Indulgentiis, immunitatibus et privilegiis decorare ac tandem peculiarem nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et Romanae Curiae Praesulum Congregationem statuere etiam nunc Lauretana appellatam, quae sanctae domus illiusque bonorum et rerum quarumcumque custodiae et administrationi praesesset. At inter hosce Romanos Antistites recordare hic placet Leonem Papam Duodecimum, qui a nobilissima Picena gente Della Genga natus, et ob ejus virtutes, indefessam in rebus agendis dexteritatem, aliaque insignia merita ad supremum Pontificatum evectus, ubi primum Beati Petri Cathedrae

dram ascendit, praecipuam curam ad Aedem et Civitatem Lauretanam convertit, quae post communem rerum omnium subversionem initio currentis saeculi sequutam a prisca honorificentia cecidisse arbitratur. Quod idem Summus Pontifex religione erga Deiparam Virginem nemini secundus aegre ferens Apostolica auctoritate mandavit Laureti morem veterem reviviscere, ac sartam tectamque haberi enunciatae Congregationis jurisdictionem in iis etiam, quae Sacram domum ejusque administrationem spectabant. Cujus Summi Pontificis aliorumque Praedecessorum Nostrorum opera et Nosmetipsi admirantes, qui in Piceni regione, tanto coelesti dono felicissima, ortum habuisse gloriamur, ac in augustissimo Sacello orantes quanta Deus in eo loco ostenderit suae virtutis et clementiae signa manifestissima vidimus, haud levi laetitia excepimus postulationes Dilecti Filii Nostri Jacobi Sanctae Agathae ad Suburrum S. R. E. Diaconi Cardinalis Antonelli, qui in praesentiarum ejusdem Congregationis Lauretanae vigilantissimus Praefectus Fidelium precibus permotus a Nobis efflagitavit, ut eidem Lauretanae Aedi jus tribuere velimus quascumque Orbis Ecclesias, Altaria et Loca pia ipsi Sacrosancto Virglnis Domicilio aggregandi, et Fideles illas et illa rite visitantes ad Indulgentiarum participationem admittendi. Haec sunt pia vota egregii illius Viri scientia, virtute rerumque usu praestantia praeclarissimi, qui dum propter justitiae dilectionem gravi premeremur exilio, Nobis in difficillimis tunc temporis negociis gerendis operose et utiliter praesto fuit, et nunc merito et honorificentissime Nostri Status a Secretis existit: hae sunt

devotae supplicationes, quae jugiter dictae Congregationi deferuntur, quin ob Apostolicae veniae defectum Fidelibus ipsis satisfieri valeat. Nos autem vota et preces hujusmodi lubenti animo perpendentes, simulque exoptantes, ut natalis immaculatae Virginis tecti sanctitas et mortalium erga Lauretanam Deiparam religio ubique Terrarum magis efflorescat, Motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine primum omnes et singulas Indulgentias, ac peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes, aliasque spirituales gratias tam pro vivis quam pro defunctis dictae Lauretanae Domui ab enunciatis Praedecessoribus Nostris quomodolibet concessas, dummodo in usu sint, nec revocatae aut sub aliqua revocatione comprehensae, Apostolica Auctoritate harum serie confirmamus et approbamus, eidemque Sacrae Aedi, perinde ac si per praesentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus. Dein vero confidentes hanc nostram concessionem Christianae Plebis devotioni congrue respondere posse memoratae Congregationi, ac pro ea laudato hodierno et pro tempore existenti illius Praefecto quascumque Ecclesias et Oratoria tam erecta, quam erigenda in quibusvis Civitatibus et Locis quorumlibet Ordinariorum jurisdictioni subjectis extantia relatae Sacrae Aedi Lauretanae aggregandi, et ad Spiritualium dumtaxat ejusdem augustissimae Domus privilegiorum societatem et communionem admittendi et recipiendi, ita ut in vim hujusmodi aggregationis et receptionis infrascriptarum Indulgentiarum et relaxationum Thesauri ad ipsas Ecclesias et Oratoria ex Nostra et hujus Apo-

stolicae Sedis Auctoritate ampliati et extensi censeantur, amplam et liberam facultatem sub infra-scriptis conditionibus et non alias, praesentium tenore concedimus et impertimur. Volumus nimirum ut in singulis Civitatibus, Oppidis vel Locis unam dumtaxat ex dictis Ecclesiis seu Oratoriis hujusmodi aggregationis et communionis munere ditare possit, dummodo tamen juxta praescriptum Constitutionis fel. rec. Clementis Papae Octavi etiam Praedecessoris Nostri die Septima mensis Septembris Anni Domini Millesimi Sexcentissimi quarti editae et incipientis « Quaecumque a Sede Apostolica » Ecclesia aut Oratorium sic aggregandum Conventuale Regularium seu Monialium non sit, nec Ecclesia et Oratorium hujusmodi ulli alteri Ecclesiae, sive ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi, a qua Indulgentiarum communionem seu participationem pro omnibus Christifidelibus Ecclesiam ipsam seu Oratorium visitantibus obtineat, aggregatum sit aut subjectum: et dummodo Ordinarii Loci testimonialibus Litteris hujusmodi Ecclesiae seu Oratorii celebritas apud Lauretanam Congregationem ejusve Praefectum hujusmodi commendetur. Neque vero per hasce aggregationes et receptiones ullum omnino praejudicium seu imminutio eorumdem Ordinariorum jurisdictioni irrogari, aut aliqua eisdem Ecclesiis aut Oratoriis exemptio, seu dictae Domui et Congregationi Lauretanae in easdem Ecclesias vel Oratoria, sive in personas illarum, illorumve regimini et administrationi, aut servitiis deputatas ullum omnino jurisdictionis et auctoritatis genus acquiri censeatur. Facultatem tamen indulgendi, (prout alias

in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit) ut in una eademque Civitate aut Oppido: duabus Ecclesiis seu Oratoriis, ubi speciales ad circumstantiae suadeant, hujusmodi Indulgentiarum communicatio a dicta Lauretana Congregatione ejusve Praefecto concedi possit, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum praefatae S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae per praesentes perpetuo tribuimus et impertimur. Nos autem utriusque Sexus Christi Fidelibus, qui hujusmodi Ecclesias et Oratoria eidem Lauretanae Domui, servatis ut supra servandis, aggregata in Domini Nostri Jesu Christi Nativitatis, ac in Beatae Mariae Virginis Conceptionis, Nativitatis et Annunciationis, necnon in Sacrae Domus in Italiam adventus festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum Solis dierum hujusmodi vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti devote visitaverint, ibique pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, Haeresum extirpatione, et Christianorum Principum concordia pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem, quae applicari etiam possit per modum suffragii pro animabus Christi Fidelium in Purgatorio detentis, misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Iis vero, qui in aliis Domini et Deiparae solemnioribus festivitatibus, ac in diebus festis Divae Annae et Sancti Josephi vere poenitentes et confessi, itemque Angelorum pane refecti praemissa peregerint, Septem annos et totidem quarantenas de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis in forma Ecclesiae

consueta relaxamus. Praecipimus insuper, et hujusmodi Indulgentiae et Gratiae Spirituales dictis aggregandis Ecclesiis et Oratoriis a praefata Congregatione, et pro ea ab illius Praefecto nominatim, et cum expressa mentione facultatis sibi per praesentes a Nobis impertitae, aliisque servatis, quae in superius memorata Constitutione praefati Clementis Praedecessoris praesertim circa gratuitam Litterarum expeditionem, iisque etiam, quae in decretis a dicta Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die Sexta Martii Anni Millesimi Sexcentissimi Octavi, et die decima Aprilis Anni Millesimi Septingentesimi vigesimi editis statuta sunt, et non aliter communicari possint et valeant. Ab illarum vero earumque Rectoribus, Administratoribus et Ecclesiasticis Ministris in earundem Indulgentiarum publicatione, necnon Eleemosynarum receptione et erogatione aliae similiter leges in Tridentini Concilii Decretis et in supradictis Clementis Octavi Litteris, aliisque Romanorum Pontificum et Apostolicae Sedis Constitutionibus atque decretis praescriptae sub poenis ibidem adversus transgressores respective statutis inviolabiliter serventur et impleantur. Et insuper easdem praesentes, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes ad id vocati et auditi non fuerint, semper et perpetuo validas et efficaces existere ac ab omnibus ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere; nec ullo unquam tempore ex quocumque praetextu, occasione vel causa de subreptionis vel

obreptionis aut nullitatis vitio, sive intentionis Nostrae aut alio quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, suspendi, limitari vel eis in aliquo derogari ullatenus posse; neque illas, utpote ad Majorem Dei Gloriam ejusque Sanctissimae Genitricis honorem emanatas, sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus etiam Motu et Scientia similibus, etiam consistorialiter, aut alias sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis et faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel Delegatos quavis Auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac praefatae S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere et si secus super his a quoquam quavis Auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus praemissis Clementis Octavi Litteris, quatenus eadem praesentes illis per omnia conformes haud inveniantur, necnon de Indulgentiis concedendis ad instar, aliisque etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus et Universalibus Conciliis editis vel edendis

specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus aliisque decretis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum etiam Motu et Scientia paribus concessis, confirmatis et innovatis quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nil penitus omissis et forma in illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse ad praemissorum validitatis et perpetuae firmitatis effectum pro hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Ad hoc autem ut hae praesentes Litterae amplius innotescant et de iis fides commode fieri possit, eadem Auctoritate Apostolica statuimus et mandamus, quod ipsarum Trascriptis etiam impressis, manu tamen Secretarii praefatae Congregationis Laetanae seu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo ejusdem Congregationis seu Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique in iudicio et extra illud habeatur fides, quae ipsis praesentibus originalibus Litteris adhiberetur, si forent

exhibitae et ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, declarationis, concessionis, impertitionis, relaxationis, praecepti, decreti, derogationis, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, Septimo Kalendas Septembris. Pontificatus Nostri Anno Septimo

A.

L. C.

L. Ciuffa Abbreviator

A. De Brimont Abbreviator

V. Olivieri Scriptorum Aplicorum Rescribendarius

A. Patrizj Cancellariae Substitutus

F. Lepri Plumbator

Aemilius Bracci Scriptor Apostolicus

Loco ✠ Plumbi

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XXVII SEPTEMBRIS ANNO MDCCLII

VENERABILES FRATRES

Acerbissimum Vobiscum, Venerabiles Fratres, hodie communicamus dolorem, quo jamdiu intime premimur ob maxima et nunquam satis lugenda damna, quibus plures ab hinc annos Catholica Ecclesia in Neogranatensi Republica miserandum in modum affligitur, atque vexatur. Quod nunquam fore putavissimus, cum omnes noscant, quibus praecipuae benevolentiae significationibus haec Apostolica Sedes illam Rempublicam fuerit prosequuta, et qua alacritate felicitis recordationis Gregorius XVI Praedecessor Noster ad religionis et spirituale illius gentis bonum omni studio procurandum, atque ad mutuae amicitiae vincula magis magisque obstringenda Rempublicam ipsam praeter aliis omnibus Americae regionibus non modo primum recognoverit, sed etiam Apostolicam Nunciaturam ibi constituerit. Atque eo magis dolemus, quod adhuc irritae fuere curae omnes tum ab eodem Praedecessore Nostro, tum a Nobis ipsis summa contentione apud illud Gubernium adhibitae, ut tot catholicae religioni illata amoverentur damna, ac nefariae, et injustissimae de medio tollerentur leges ibi a civili potestate cum maximo fidelium detrimento contra divinam Ecclesiae institutionem, ejusque ve-

neranda jura et libertatem, contra supremam hujus Apostolicae Sedis potestatem, contra sacrorum Antistites et ecclesiasticos viros latae, atque sancitae. Noverat enim idem Decessor Noster, legem ibi mense Aprili anno 1845 fuisse promulgatam, qua inter alia statuitur, ut, vix dum aliqua apud illa laicae potestatis Tribunalia accusatio adversus ecclesiasticos viros, ac vel ipsos Episcopos fuisset admissa, non solum Sacerdotes Domini, aliique Clerici, sed etiam Episcopi, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, ab omni sui ministerii exercitio se abstinere, ac proprii muneris partes aliis committere debeant, constitutis quoque carceris, exilii, et aliis poenis in eos omnes, qui id agere noluissent. Quapropter ipse Praedecessor Noster, nulla interposita mora, suas eodem anno ad illius Reipublicae Praesidem misit Litteras, quibus legem illam omni certe reprehensione dignissimam vehementer improbavit, ac simul summopere expostulavit, ut eadem lex statim abrogaretur, et Ecclesiae jura sarta, tecta haberentur. Nos autem, postquam inscrutabili Dei judicio ad hanc Principis Apostolorum evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, afflictis inibi sanctissimae nostrae religionis rebus consulere vel maxime cupientes jam inde ab anno 1847 ad ejusdem Neogranatensis Reipublicae Praesidem scripsimus Litteras. Quibus quidem Litteris significantes, quantopere de illa Dominici gregis parte solliciti et anxii essemus, et quo singulari paternae Nostrae caritatis studio opportuna vellemus adhibere remedia ad sanandas ibi contritiones Israel, lamentati sumus vehementer deplorandam conditionem, in qua versabatur Ecclesia. Neque prae-

termisimus iisdem Litteris inter alia summopere conquiri de binis illis praesertim jam conceptis decretis, quorum altero proponebatur, ut, hac Apostolica Sede minime consultata, decimae tollerentur; altero autem, ut hominibus illuc immigrantibus liceret publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. Atque commemorata improbantur decreta etiam atque etiam efflagitavimus, ut illa nullum unquam obtinerent exitum, ut Ecclesia suis omnibus juribus ac plena frueretur libertate.

Ea porro spe nitebamur fore, ut Neogranatense Gubernium has Nostras voces, monita, expostulationes, querelas, quae ex amantissimi aequae ac afflictissimi communis omnium fidelium Patris corde erumpebant, pronis vellet auribus excipere. Verum incredibili animi Nostri dolore Vobis nunciare cogimur, hostiles, violentosque in Christi Ecclesiam impetus quotidie magis, ac duobus praesertim ab hinc annis adeo esse factos, ut nova, et gravissima Ecclesiae ipsi per laicam potestatem indesinenter inflicta sint vulnera. Etenim, Venerabiles Fratres, non solum injustissimae illae leges, de quibus dolenter loquuti sumus, minime sublatae fuerunt, verum etiam aliae ab utroque illius Gubernii Consilio legibus ferendis praeposito sunt conditae, quibus sanctissima Ecclesiae, et hujus Sanctae Sedis jura majorem in modum violantur, oppugnantur, et proculcantur. Namque inrer alia jam inde a mense Maio superioris anni lex prodiit contra Religiosas Familias, quae pie institutae recteque administratae magno christianae, et civili reipublicae usui et ornamento esse solent. Ea enim lege confirmatur expulsio Religiosae Societatis

Jesu Familiae, quae illuc primum arcessita, ac tantopere exoptata de re catholica et civili illic optime merebatur, atque eadem lege vetatur, ne ulla in Neogranatensis Reipublicae territorio Societas institui possit, quae *passivae*, ut dicunt, obedientiae vinculo potissimum obstringatur. Insuper eadem lege iis omnibus promittitur auxilium, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere, ac solemnia vota frangere velint, ac Venerabili Fratri Emmanueli illius ecclesiasticae provinciae Archiepiscopo vigilantissimo, viro summis Nostris et hujus Apostolicae Sedis praeconiis decorando, interdicitur exercere facultatem ei ab hac Apostolica Sede jam inde ab anno 1835 tributam, visitandi scilicet Religiosas illius regionis Familias, et regularem restituendi disciplinam. Eodem subinde mense et anno alia sancita lex est, qua Ecclesiasticum Forum de medio omnino tollitur, ac declaratur, causas omnes ad idem forum pertinentes, ac vel ipsas tum Archiepiscopi, tum Episcoporum causas sive civiles sive criminales ante laicalia Tribunalia ab illius Reipublicae Magistratibus in posterum esse judicandas. Postmodum, die nempe vigesima septima ejusdem mensis Maii anno 1851 de Parochis nominandis promulgata lex est, qua Nationalia Consilia mentitum falsumque jus designandi Parochos a Praeside illius Reipublicae ad quemdam excogitatum Parochialem Conventum, quem *Cabildo parroquial* appellant, ex cujusque Paroeciae patribusfamilias praesertim comparatum transferunt, ut, cum aliqua Paroecia suo fuerit Parocho orbata, ille Conventus novum Parochum nominare queat. Aliquibus insuper ejusdem legis articulis prohibentur sacrorum

Antistites ullum seu sacrae visitationis, seu alio quocumque jure percipere emolumentum; atque eidem Parochiali Conventui tribuitur potestas pro suo arbitrio statuendi et immutandi tam Parochorum redditus, quam impendia sacris functionibus necessaria; et alia statuuntur, quibus ecclesiasticae proprietatis jura violantur ac delentur. Post haec die primo mensis Junii ejusdem anni 1851 alia sancita est lex, qua vetatur, ne Canonicales Cathedralium Ecclesiarum Praebendae conferantur, nisi postquam a majore Provincialium cujusque Dioecesis Consiliorum parte id pro eorum arbitrio fuerit statutum. Aliae deinde promulgatae sunt leges, quibus et omnibus data est facultas se liberandi ab onere solvendi census, qui potissimam ecclesiasticorum reddituum partem constituunt, soluta dimidia pretii parte Gubernio, et Archiepiscopalis Seminarii Sanctae Fidei de Bogota bona Nationali Collegio adjudicata, ac suprema in idem Seminarium inspectio laicae potestati attributa. Neque silentio praetereundum, per novam illius Reipublicae Constitutionem postremis hisce temporibus sancitam inter alia jus quoque liberae institutionis defendi, et omnimodam omnibus tribui libertatem, ut quisque suas cogitationes ac monstrosa quaeque opinionum portenta typis quoque in vulgus edere; et privatim publiceque quemlibet cultum profiteri valeat.

Videtur profecto, Venerabiles Fratres, quam terribilissimum ac sacrilegum bellum catholicae Ecclesiae a Neogranatensis Reipublicae Moderatoribus sit indictum, et quae quantaque injuriae eidem Ecclesiae, ejusque sacris juribus, Pastoribus, Ministris, ac su-

premae Nostrae, et Sanctae hujus Sedis auctoritati fuerint illatae. Cum autem enunciatae leges jam inde ab eodem anno 1851 executioni fuerint mandatae, jam tum sacrorum Antistites et Ecclesiastici viri, qui catholicis sensibus vere animati nefariis illis decretis merito atque optimo jure reclamabant, et obsistebant, summo cum fidelium populorum damno crudeliter vexati, et in gravissima quaeque adducti fuere discrimina. Siquidem et sacra Episcoporum oppressa auctoritas, et Parochorum ministerium vinculis constrictum atque irretitum, et optimi divinae legis praecones in carcerem detrusi, et cujusque gradus Clerici ad egestatem redacti, omnibusque malis, et aerumnis obnoxii. Atque in primis Venerabilis Frater Emmanuel Josephus de Monsquera vigilantissimus Sanctae Fidei de Bogota Archiepiscopus gravioribus fuit angustiis et laboribus exagitatus eam scilicet ob causam, quod praestantissimus ille Antistes singulari pietate, doctrina, prudentia, consilio praecellens, et apostolico zelo plane incensus pro sui muneris debito contra illas impias leges sapienter, fortiterque protestari, ac saeculi licentiae, et pravis impiorum hominum consiliis invicte resistere, ac Dei et Ecclesiae causam strenue propugnare nunquam intermisit. Quo autem potissimum praetextu Neogranatense Gubernium uti voluerit ad clarissimum illum divexandum Antistitem, accipite, Venerabiles Fratres. Cum enim in illis regionibus mos invaluerit, ut sexto quoque mense habeantur experimenta ad eorum periclitandam doctrinam, qui vacantibus parochialibus Ecclesiis sunt praeficiendi, Neogranatense Gubernium per legem ibi jamdiu contra Canonicas Sanctiones sancitam sibi

temere jus arrogavit non solum cogendi Episcopos ad id sexto quoque mense redeunte peragendum, verum etiam compellendi Metropolitanum, aut viciniorem Antistitem ad idem praestandum si quis Antistes commemorato tempore ejusmodi experimenta minime habuisset. Hujus igitur legis vi ipsum Gubernium anno 1851 eidem clarissimo Sanctae Fidei de Bogota Archiepiscopo denuntiare non dubitavit, ut eadem experimenta indiceret. Et quoniam idem Archiepiscopus adversae valetudinis conflictabatur incommodis, idcirco illius Vicarius generalis Gubernio respondens sui Antistitis nomine injustam hanc petitionem cunctando repellendam esse existimavit, veritus praesertim, ne praedictam de nominandis Parochis legem quodammodo ipse probare videretur. Ob hanc itaque rectam ac prudentem agendi rationem, omni certe laude dignam, ab illo Vicario habitam, idem ad laicalia tribunalia fuit accusatus, a proprii muneris exercitio interdictus, palam publiceque comprehensus, ac deinceps carceri per duos menses, ac per sex captivitati, seu detentioni damnatus, aliisque afflictatus poenis. Atque in hac re illud vel maxime dolendum, Venerabiles Fratres, quod Vicarius Capitularis vacantis Ecclesiae Antiochensis, quae vicinior est Bogotae, Neogranatensis Gubernii sensibus, et consiliis turpiter obsequens haud timuit Kalendis Martii hujus anni Edictum emittere, quo contra suum Metropolitanum insurgens, et in ejus jurisdictionem invadens de illius Archidioecesis Paroeciis concursus contra Canonicas Sanctiones indixit. Ubi id Nostras pervenit ad aures, nulla interjecta mora, eidem Vicario Capitulari scripsimus Litteras, quibus tantum

eius facinus gravibus, severisque, uti par erat, verbis reprehendentes, et damnantes, illi mandavimus, ut ab incepto statim desisteret, ne Nos, licet inviti, in ipsum ea cogermur decernere, quae Sacrorum Canonum severitas, et Apostolici Nostri ministerii ratio postulabant. Interim vero ipse pientissimus Archiepiscopus suo munere provide sapienterque fungens continuo Edictum edidit, quo justissime docebat, nullum, irritumque esse Edictum ab illo Vicario Capitulari adversus Sacrorum Canonum praescripta promulgatum, ac simul omni jure vetabat, ne quis eidem Edicto suas aures ullo modo praebere unquam vellet. Tum vero illud Deputatorum Consilium in proprium Pastorem magis magisque irruens non dubitavit spectatissimum Archiepiscopum sicut violatarum legum reum accusare, et Neogranatensis Senatus haud veritus est tam injustam, et impiam admittere accusationem. Atque ex infanda illa lege, quam, uti ab initio diximus, rec: me: Gregorius XVI Praedecessor Noster reprobaverat, denuntiaturum est eidem Archiepiscopo, ut suam jurisdictionem remitteret, eamque alii ecclesiastico viro deferret. Hac tam iniqua denuntiatione accepta ille religiosissimus, doctissimusque Antistes egregius, ac strenuus rei catholicae, et Ecclesiae jurium propugnator paratus asperam quaeque propter justitiam pati, sapientissimum, verissimumque dedit responsum, quo invicta episcopalis sui animi fortitudine clare, aperteque declaravit, se nunquam posse eam dimittere potestatem, quam sibi unice a Deo, atque ab hac Apostolica Sede collatam esse probe noscebat. Hinc Neogranatense Gubernium haud extimuit maximo cum omnium honorum luctu,

et indignatione non solum Archiepiscopalis mensae reditus sequestro ponere, verum etiam proprium Archiepiscopum de illa Archidioecesi summopere meritum, ac tot sane nominibus illustrem pellere in exilium. Qui quidem Antistes gravissimo deinde morbo correptus, cum e Neogranatensis Reipublicae territorio protinus decedere haud potuerit, in quamdam villam, quae a Bogotensi civitate iter duorum dierum distat, se recipere est coactus. Cum autem inter plurimos spectatissimos viros Minister quoque inelytae exterae Nationis ibi commorans tam indigna re commotus sua officia apud illud Gubernium interponenda curaverit, visum est Gubernium idem propendere ad id dumtaxat permittendum, ut scilicet ipse Archiepiscopus exsularet statim ac iter aggredi posset. Neque id satis. Hisce namque diebus tristissimi venerunt nuntii, ex quibus pari animi Nostri amaritudine accepimus, Venerabilem Fratrem Episcopum de Cartagena, ac Dilectum Filium Vicarium Capitularem Dioecesis S. Marthae similem de parocciarum concursu denuntiationem ab illo accepisse Gubernio, eisque ipsissima ingruere discrimina, proptereaquod summa cum eorum nominis laude denuntiationem ipsam respicere non dubitarunt. Perlatum quoque ad Nos est, ea ipsa de causa, eandem Venerabili Fratri Episcopo Neo-Pampilonensi impendere procellam, cum ipse etiam paratus sit ad sui muneris partes splendide obeundas, et ad Ecclesiae jura fortiter constantisque tuenda. Atque ejusmodi vexationibus, injuriis, contumeliis subjecti quoque fuerunt alii illius Reipublicae lectissimi ecclesiastici viri, ac vel ipse Noster et hujus S. Sedis Legatus. Etenim

semel atque iterum in illis Consiliis inter maxima et horrenda cujusque generis contra Christi hic in terris Vicarium, et hanc Apostolicam Sedem convicia propositio facta fuit dimittendi eundem Nostrum Legatum, qui ea, qua par erat, prudentia, et fortitudine Nostro nomine tot nefariis, et sacrilegis ausis reclamare non praetermisit. Omittimus autem hic commemorare novas alias leges a nonnullis e Deputatorum Consilio propositas, quae irreformabili catholicae Ecclesiae doctrinae, ejusque sanctissimis juribus omnino adversantur. Itaque nihil dicimus de illis conceptis decretis, quibus proponebatur, ut Ecclesia nempe a Statu sejungeretur, ut Regularium Ordinum, piorumque Legatorum bona oneri mutuum dandi omnino subjicerentur, ut omnes abrogarentur leges, quae ad Religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque jura, et officia tuenda pertinent, ut civili auctoritati tribueretur jus erigendi, et circumscribendi Dioeceses, et Canonorum Collegia, ut ecclesiastica iis conferretur jurisdictio, qui a Gubernio nominati fuissent. Nihil dicimus de alio illo decreto, quo Matrimonii Sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione, et natura prorsus ignorata, et eversa, atque Ecclesiae in Sacramentum idem potestate penitus sprete, proponebatur juxta jam damnatos haereticorum errores, atque adversus catholicae Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis judicarentur; cum nemo ex Catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere,

et proprie unum ex septem Evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, conjunctionem cujuscumque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere Sacramentum separari nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem Matrimonium quovis modo possunt pertinere. Atque haec omnia omittimus, propterea quod etiamsi hae leges ab aliquibus e Deputatorum Consilio fuere propositae, tamen plerique Deputati, ac Senatores, Deo bene juvante, eas leges rejiciendas esse decrevere, et horrerunt tot jam gravibus inflictis Ecclesiae vulneribus alia nova imponere vulnera.

In tanta autem acerbitate Nos recreat singularis tum Bogotensis Archiepiscopi, tum aliorum illius Reipublicae Antistitum religio, pietas ac sacerdotalis fortitudo et constantia. Ipsi enim probe memores loci quem tenent, dignitatis qua insigniti sunt, sacramenti quo in solemnibus inaugurationibus se obstrinxerunt, illustribus Archiepiscopi vestigiis insistentes maxima cum eorum laude haud intermiserunt episcopalem tollere vocem contra tot illatas Ecclesiae injurias, ac promptissimi sunt pro ipsius Ecclesiae defensione ad omnia subeunda pericula. Neque parum Nos quoque reficit egregia Neogranatensium populorum virtus, pietas, qui longe maxima ex parte summopere dolentes et indignantes tam iniqua ac

tristia contra eorum religionem et Antistites facta, nihil antiquius habent quam publicis luculentisque testimoniis ostendere, sibi maxime cordi esse et catholicam profiteri religionem et suos Antistites summa observantia et amore prosequi, ac Nobis et huic Apostolicae Sedi catholicae veritatis et unitatis centro firmiter adhaerere.

Jam porro, Venerabiles Fratres, vix dum Nobis innotuit, tam prava et nunquam satis improbanda consilia in Neogranatensi Republica contra Ecclesiam Ejusque sacra jura, bona, Pastores, Ministros suscepta ac perfecta fuisse, nunquam destitimus per Nostrum Cardinalem a publicis Nostris Negociis apud illud Gubernium iteratis expostulationibus reclamare et conqueri adversus tot gravissimas eidem Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi illatas injurias. Atamen, dolentes et inviti dicimus, nihil Nostrae voces, clamores et questus profecerunt, nihil illorum Antistitum querelae valere, qui proprii ministerii munere in exemplum fungentes, Nostrisque paternis Literis confirmati haud omiserunt opponere murum pro Domo Israel. Itaque ut fideles illic degentes sciant et universus orbis agnoscat quam vehementer a Nobis improbentur ea omnia, quae ab illius Republicae Moderatoribus contra Religionem, Ecclesiam, Ejusque leges, Pastores, Ministros et contra hujus Beati Petri Cathedrae jura et auctoritatem gesta sunt, pastoralera Nostram in amplissimo Vestro consensu vocem apostolica libertate attollentes praedicta omnia decreta, quae ibi a civili potestate tanto cum Ecclesiasticae auctoritatis et hujus S. Sedis contemptu ac tanta cum Religionis et sacrorum Antistitum ja-

ectura ac detrimento sancita sunt improbamus, damnamus et irrita prorsus ac nulla declaramus. Praeterea eos omnes, quorum opera et jussu illa edita sunt, gravissime monemus, ut serio reputent poenas et censuras, quae adversus sacrarum personarum et rerum, atque ecclesiasticae potestatis et libertatis violatores, profanatores et Ecclesiae, atque hujus Apostolicae Sedis jurium usurpatores ab Apostolicis Constitutionibus sacrisque Conciliorum canonibus sunt constitutae.

Utinam vero Nostris hisce vocibus, monitis, querelis tandem aliquando illi ipsi dociles praebeant aures, quorum opera tot, tantisque malis oppressa ingemiscit Ecclesia; utinam hujus moestissimae et amantissimae matris aspectu commoti illam salutifera poenitentia consolari, ejusque gravissima vulnera lacrimis abstergere ac damna statim reparare properent, atque ita haud expectare et experiri veliat, quam iratus iudex Deus in illos exurgat, qui suam Ecclesiam polluere, violare et affligere audent. Nos autem, Venerabiles Fratres, nunquam intermittamus dies noctesque clementissimum misericordiarum Patrem et Deum totius consolationis assiduis fervidisque precibus orare et obsecrare, ut divina sua gratia omnes errantes ad veritatis, justitiae et salutis semitas reducere velit ac simul omnipotenti sua virtute efficiat, ut Ecclesia sua sancta tum ibi, tum alibi nefariis impiorum hominum consiliis tam vehementer afflicta, ac divexata ponat luctum, squalem abjiciat, et induat vestes jucunditatis suae, atque a solis ortu usque ad occasum splendidioribus in dies augeatur et exornetur triumphis.

Quod, juxta effatum Salvatoris, absconditum a sapientibus et prudentibus ac revelatum parvulis fuit id aliqua ex parte perfectum admiramur in illis qui e christiana humilitate vitam exigentes ceterorum bono se totos devoverunt, et in ea cura magna quaeque gessere. Quid enim ex humana sapientia praestare debet magis qui praeclara pro communi salute suscipere velit, quam omnia de se confidere, omnia de se polliceri? Ac tamen iste qui in se uno ponit omnia, sua saepe infirmitate fractus, ne quidquam quod cupit perficere conatur. Ea contra heros ab Christi doctrina institutus, dum se nihil posse confitetur, cuncta se posse sentit in Deo; ac Deus qui ponit humiles in sublimi, efficit ut ex hac animi modestia tantae vires exsurgant, quae humanam conditionem prope exsuperent, tanta facinora efflorescant quae vix mens hominum capere valeat. Hujusmodi fuit Joannes Grande, vulgari quod sibi sumpsit agnomine peccator, Ordinis Sancti Joannis de Deo ornamentum ac decus, et Patris Legiferi sui egregius imitator. Natus ille Carmone in Andalusia die VI mensis martii anni 1546 vel prima in pueritia peculiarem portendere sanctitatem visus est. Cum aetate adolesceret, non profanos ab mundi contagione spiritus hausit, bene vero ab praeclara indole et institutione studium virtutis: unde animi candor mirus, humillimus de se rebusque suis sensus, singularis pietas, effusa, quantum aetas et conditio patiebatur, erga aerumnosos charitas. Quintodecimo aetatis anno

de parentum voluntate mercaturam fecit, quin tamen de pristino vitae instituto quidquam remitteret; sed enim postea perfectionis desiderio negotiationem, patriam, parentes reliquit, et in heremum prope Marcenam se recepit, quo loco et orandi et patiendi cupiditati qua medullitus flagrabat, plane indulsit. Interea gravis illum urgebat cura quid in posterum ageret, quodque potissimum vitae genus eligeret: ac multa de re ista cogitanti Deus qui cuncta suaviter disponit, paullatim demonstrabat quid vellet, primum cum illi duos miseros aegrotosque objecit, quos dum certo loco excepit et omne ope juvit, alii atque alii eo curationis causa confluerunt; deinde cum eundem ad publicum Xeresii valetudinarium divertit, in quo toto homine adlaboraret; ac paulo post eum, novo in dicta Urbe Nosocomio fundato, illud ejus charitati credi, et plurimos ei Socios adjungi disposuit. Tandem oborta illi splendidae divinae voluntatis lux est; qua scilicet admonebatur, ut quae aegrotorum bono susceperat, obedientiae merito adornaret, ac recens tunc temporis Sancti Joannis de Deo institutum amplecteretur. Quis hic verbis exprimat alacritatem qua Deo vocanti paruit? Dicto enim citius Granatam advolavit, ibique cum veteribus sui consilii sociis illius Ordinis habitum suscepit, ac stato tempore eidem se solemnem Sacramento obligavit. Hinc porro occasionem coepit animum perficiendi suum, et perfecit reapse sanctimonia in dies majori tredecim annis, quibus adhuc vita superabat. Relictis semel rebus omnibus, iis carere perpetuo summa religione voluit, nec unquam adduci potuit, ut re quapiam uteretur quae non esset prorsus necessaria: pari studio

cetera excoluit, quae Religiosi viri propria sibi ad profitendum sumunt; castimonia enim ejus angelis prope digna visa est eaque non facta solum et dicta illius composuit, sed animum mentemque ita obfirmavit, ut irrita cederent gravissima bella ab daemone pravisque hominibus eidem intentata. Qua in re singularem Beatae Mariae Virginis, Sancti Joannis Evangelistae, et Sanctae Agnetis, quibus peculiariter munditiam suam commendaverat, opem expertus est. Demum obedientiam, in qua perfectionis summa continetur, ceteris omnibus antetulit. Confessarii et Antistitum suorum voluntatem oraculi loco habuit, cumque hos consulere non posset, consulebat aequales, ac saepe etiam infirmos, ut ne aliquid sua sponte gereret. Atqui modestiam et demissionem animi spectavit maxime, e qua veluti ex fonte et eas quas diximus, et reliquas virtutes oriri sentiebat; atque haec ex intimo sensu profecta Joannem coegit, ut et durius ipse contra se faceret, et durius item ab aliis in se fieri pateretur. Ab adolescentia funes, catenulas, cilicia in sui cruciatum adhibuit; religiosus factus, vili cibatu eodemque tenui contentus fuit, imo plures hebdomadae dies jejunos transegit. Somni parcissimus aut humo nuda, aut super tabulam cubabat. Contumelias autem et probra laetus atque hilaris devoravit, ac saepe veniam petiit ab iis qui injurias intulissent, quasi id sua culpa factum esset. Porro quandoquidem Deus humilia respicit et humilibus dat gratiam, ex hac illa virtute vim quamdam, uti initio diximus, supra naturam natus est, qua magna in aliorum bonum perficeret. Deo ille plenus, quem viva fide, firma spe, ardenti charitate prosequabatur, non

poterat non Deum ipsum in pauperibus contemplari ac diligere. Valetudinariis moderandis Xeresii praepositus, aegrorum causa astitit emendicare, suis illos humeris adsportare, lectulos sternere, vulneribus vel faedissimis mederi, unus omnibus adesse, tum extra valetudinaria curas proferens, viduis, pupillis, egen- tibus quibuscumque opitulari, neque id corporis tan- tum sed et animae praesidiis: atque in hunc ferme modum, adjuvante Domino, plures e vitiorum faedi- tate ad studium aeternae beatitudinis revocavit. Sed enim Deus Optimus Maximus in amplissimo campo vir- tutem tantam collocavit, equo suis ipsa manibus bonum fidelemque Servum in gaudium sempiternum addu- ceret. Anno 1579 summa annonae caritas Xeresii fuit, unde brevi fames consecuta: hic equidem Joan- nes pauperculus potuit quod divitum nemo, scilicet vim frumenti praesto habuit, quae miserorum calami- tates relevarentur; Nec ea satis: malum tetrius paullo post civitatem afflixit, pestilitas tanta, ex qua magna civium imminutio fieret. Haec inter demonstratum solemnem experimento est, quid ille possit qui sui oblitus totum se Deo permittit. Valetudinarium, pri- vatorum aedes, compita, omnis denique locus quo morbus penetrasset, cura Joannis quotidiana erant, et ubique tot ac tanta faciebat, quae prodigio ac portento similia viderentur. Et ea sane charitas quae tantum levamenti per Joannem ceteris attulit, dedit Joanni ipsi gloriae coronam, ut omni vita optaverat. Concepto namque morbo dies octo decubuit; quibus gravissimas dolorum acerbitates et animi patientia et coelesti quam sentiebat consolatione leniens Terti- Nonas Junii anni 1600 coelo maturus mortalem hanc

vitam cum aeterna commutavit. Cives Xeresii Joannis interitu plane afflictos unum consolabatur, memoria virtutum ejus, quam animis alte defixam retinebant, atque alii aliis commendabant; dein fama Joannis in dies magis crescente, publicae probationum tabulae confectae sunt. Tum de earumdem virtutum praestantia legitimo examine Congregationis Sacrorum Rituum cognosci ceptum est, et denique, Generali Conventu Cardinalium et Consultorum dictae Congregationis coram felicitis recordationis PP. Pio VI, Praedecessore Nostro die 4 Aprilis anni 1775 habito, idem Pontifex de unanimi praedicti Consilii Sententia heroicam quidem virtutum Servi Dei sancendam: sed cum in apostolica inquisitione testes auditi primi gradus deessent, juxta decretum s. m. Benedicti PP. XIV Praedecessoris item Nostri editum die 17 mensis Julii anni 1754 tria miracula ad illius canonizationem requirenda censuit; ac Deo Patre luminum etiam atque etiam exorato, die 3 mensis Maii memorati anni 1775 decrevit, atque edixit = Ita constare de virtutibus Ven: Servi Dei Joannis Grande in gradu heroico, ut procedi possit ad ulteriora, nempe ad discussionem trium miraculorum. = Tum causae Postulatores ad Joannis Sanctitatem plenius comprobendam huic Apostolicae Sedi miracula quae illo intercessore patrata dicebantur, proposuere, ut rite probarentur. Iis non semel expensis, Nos tandem qui nullis Nostriis meritis in hac Petri Cathedra consideramus die VI Kal. Februarii currentis anni, coe-gimus Generalem Coetum Cardinalium dictae Congregationis, auditaque illorum Sententia, et fuis indicisque in re tanti negotii precibus, dein feria III.^a

infra hebdomadam Sexagesimae anni ejusdem in Aula Maxima Collegii Romani solemniter pronuntiavimus, = Constare de duobus miraculis a Deo Optimo Maximo patris, intercessore adhibito Ven. Servi Dei Joanne Grande. = Dum eo decreto Alumni Ordinis Sancti Joannis de Deo summo gaudio perfundebantur, illico animadverterunt, ad exoptata Beatificationis Solemnia deveniri statim non posse, nisi haec Sancta Sedes, inspecta causae indole et peculiaribus circumstantiis dispensare dignaretur super tertio miraculo a Pio PP. VI, ut diximus, requisito, eamque in rem preces Nobis porrexerunt. Nos vero, auditis Cardinalium delectorum Congregationis Sacrorum Rituum suffragiis, die 12 Augusti volventis anni, attentis omnibus et specialibus circumstantiis hac in causa concurrentibus, inhaerendo etiam vestigiis decreti S. M. Benedicti XIV editi nonis Augusti anni 1747 in causa tunc Ven: Hieronymi Aemiliani, declaravimus = Causam Ven: Joannis Grande non esse comprehensam sub lege decreti anni 1754, XVI Kalendas Augusti editi, ac procedi posse ad Beatificationem via ordinaria, nimirum cum duorum miraculorum approbatione. Unum de more restabat ut scilicet Consilium Cardinalium Sacris Ritibus cognoscendis audiretur, num Ipsum Beatis Coelitibus adscribi posse existimaret; quod sub die 28 Septembris unanimiter censuit, posse, cum Nobis videretur, praedictum Dei Servum Beatum declarari cum omnibus indultis, donec sollemnis illius canonizatio fieret. Nos igitur, coelesti lumine, sicut par est, implorato, ut novum Christifidelibus humilitatis et charitatis exemplar proponeretur, de memoratae Congregationis Cardinalium

consilio et assensu, deprecante universo Ordine Sancti Joannis de Deo, Auctoritate Nostra Apostolica per praesentes Literas facultatem facimus, ut idem Dei Servus Joannes Grande Professor Ordinis Sancti Joannis de Deo Beati nomine in posterum appelletur, Ejusque corpus et Sacra lipsana (non tamen in solemnibus supplicationibus deferenda) ad Venerandum Christifidelibus publice proponantur. Tum eadem Auctoritate concedimus ut de illo quotannis recitetur officium et Missa de communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis, juxta Missalis et Breviarii Romani Rubricas: cujus officii recitationem fieri concedimus in Dioecesi tantum Hispalen. et item per omnia templa, et Coenobia Ordinis praedicti Sancti Joannis de Deo III Nonas Junii die ejus mortis anniversario ab omnibus Christifidelibus Saecularibus et Regularibus qui ad horas canonicas persolvendas tenentur, et quod ad Missas ab omnibus Sacerdotibus qui ad Ecclesias celebrent, ubi dictum festum agitur. Denique concedimus ut anno primo ab hisce Literis datis Solemnia Beati-
 ficationis Servi Dei Joannis Grande in Templis Dioecesis et Ordinis, de quibus supra, celebrentur cum officio et missis ritus duplicis majoris: hoc autem fieri volumus die ab Sacris Praesidibus Ordinariis indicendo, et postquam ea Solemnia in Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dicti Ordinis subscripta sint et sigillo Praefecti munita,

eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi Praesentibus Literis ostensis, haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die Prima Octobris Millesimo Octingentesimo quinquagesimo Secundo Pontificatus Nostri Anno Septimo.

A. CARD. LAMBRVCHINI

Ad excitandum in animis divini amoris ignem, hominesque reducendos ad justitiae semitam, unde misere aberraverint, nihil opportunum magis, atque accommodatum, quam assidua cruciatuum acerbissimorum meditatio, quos pro humana salute perpessus est Christus Dominus factus pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Hanc aequè debitam, ac salutarem dominicae passionis memoriam excitare inter homines adnitus est Venerabilis Dei famulus Paulus a Cruce novae Congregationis Sanctissimae Crucis et passionis Domini Nostri Jesu Christi institutor, qui nihil scire aliud sibi, suisque alumnis proposuit, nisi Jesum Christum et hunc Crucifixum, quique egregiis virtutum ornamentis, et apostolicis laboribus catholicam illustravit Ecclesiam. Hic enim vero Ovade, quod est Oppidum in Dioecesi Aquensi, in lucem editus anno 1694, vel ab ipsa pueritia certa ac praeclara praebuit futurae sanctitatis indicia; quippe a ludicris rebus, et oblectamentis abhorrens, quibus capi solet aetas puerilis, precationi vacare, obtemperare, parentibus, stipem pauperibus elargiri, jejunia exercere, Christi patientis cruciatus assidua meditatione recolere in deliciis habuit, ac juvenilem aetatem inter pietatis exercitia, et Literarum studia traducens aequalibus suis virtutum omnium exemplar praefulsit, continentiae praesertim, a cujus observantia neque honestissimis nuptiis, neque perampla hereditate proposita potuit dimoveri. Itaque eximios faciens in perfectionis via progressus, divi-

naeque gloriae propagandae studio incensus de nova religiosa sodalitate instituenda cogitavit, quae et Ecclesiae praesidio esset, et animarum salutem totis viribus procuraret. Quare de consensu Episcopi Alexandrini, quo utebatur actionum suarum moderatore, vilem induit vestem atrii coloris, cui dominicae passionis adnexuit insignia, nudatisque pedibus ac detecto incedens capite angusti cubiculi latebras petiit, ubi sui corporis membra severius excrucians omnigenae exercitatione virtutis et assiduis precationibus ad exarandas novae sodalitatis regulas sese paravit. Quas cum absolvisset, Romam concessit, ut illarum approbationem ab Apostolica Sede impetraret, at tamen voti impos discessit, seque in Montem Argentarium recepit una cum germano fratre, ibique duos continentes annos cum eodem commoratus inter vitae asperitates literarum sacrarum studiis sedulo incubuit. Ex Monte Argentario Cajetam commigravit, ibique qua voce, qua exemplis ad suscipiendum virtutis iter fideles incendit. Romam reversus regularum approbationem impetraturus tam luculenta in Urbe exhibuit sanctimoniae documenta, ut ab ipso Benedicto XIII, qui tunc temporis Apostolicam Sedem obtinebat, ad Sacrum Presbyteratus ordinem promotus sit una cum germano fratre virtutum suarum imitatore, et a Clemente XII qui Benedicto XIII in Summo Pontificatu successit, Missionarii Apostolici munus per Literas in forma Brevis habere meruerit. Exinde in Montem Argentarium iterum secessit, ac licet nondum probata regula, primam ibi domum novae Congregationis excitavit anno 1737 ac tandem sub Benedicto XIV id assecutus est, ut Apostolicae au-

ctoritatis robor regulae a se conscriptae adjiceretur; quam quidem semel atque iterum, prout magis expedire visum est, a venerabili conditore aliquantum immutatam Clemons XIV primum, deinde Pius VI ratam habuit, ac confirmavit. Non defuere praeclari viri, qui novum institutum amplexi sint, ac divina adspirante gratia religiosa sodalitas augeri coepit, ac propagari, et Venerabilis Dei famulus quamvis invitus communi suffragio Praepositus Generalis fuit renunciatus. In eo munere patiendi, atque orandi studio, demissione animi, paupertatis amore, charitate in Deum et in proximum, denique virtutibus omnibus, ac regularis disciplinae observantia socios praeibat, atque adeo exemplo suo quasdam quasi faces ipsis admovebat ad excurrendam alacriter perfectionis viam. Licet assiduis distineretur curis moderandi religiosam sodalitatem, novasque pro ea domos passim fundandi, nunquam tamen destitit a praedicando verbo Domini, utpote qui miro flagrabat desiderio salutis animarum. Itaque sacras missiones instituens plures peragravit Dioeceses, ac tanto animi impetu contra bacchantem vitiorum licentiam invectus est, ut ingens perditorum hominum vis antea vitae turpitudinem agnoscens sese ad honestam, et christianae professioni consentaneam vivendi rationem traduxerit. Quamquam Apostolicis laboribus debilitatus esset, nunquam tamen de austero vivendi genere ad extremam usque aetatem remisit quidquam; quare non senio magis, quam asperitatibus fractus gravem in morbum incidit, vitaeque finem laetus obiit Romae XV Kalendas Novembris anno 1775. Fama sanctitatis, quae de illo vivente longe lateque manaverat, post mortem magis

percrebuit, institutoque ut moris est, de ipsius virtutibus iudicio, illas heroicum pertigisse gradum solemnino decreto pronunciavit gl. me. Pius VII Praedecessor Noster XII Kalendas Martias Anni 1821. Postmodum de miraculis deliberatum est, quae ad ostendendam excellentem viri virtutem a Deo patrata fuisse ejusdem intercessione ferebantur; auditisque Consultorum suffragiis, et Cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiis Nos duo ex miraculis eisdem vera esse ediximus, primum scilicet probavimus V Kalendas Martias anno 1851 alterum vero postridie Kalendas Augusti anni vertentis 1852. Denique coram Nobis IX Kalendas Septembris vertentis anni coacti sunt Cardinales legitimis ritibus cognoscendis praepositi acceptisque Consultorum Suffragiis omnes in eam sententiam iverunt, ut Venerabilis Dei famulus Paulus a Cruce Beatus declarari possit, quando Nobis visum fuerit cum omnibus indultis, donec ejusdem solemnino celebretur canonizatio. Nos igitur precibus moti universae Congregationis Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis et passionis Domini Nostri Jesu Christi, ex praedictorum Cardinalium Sententia et assensu Auctoritate Nostra Apostolica harum Literarum vi facultatem impertimur, ut idem Dei famulus Paulus a Cruce Presbyter institutor Congregationis Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis et passionis Domini Nostri Jesu Christi Beati appellatione in posterum decoretur, ejusque corpus et lipsana, seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venerationi exponantur. Praeterea eadem Auctoritate concedimus, ut de illo recitetur quotannis officium, et Missa de communi Confessoris non Pontificis cum

orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat Romae, ejusque districtu itemque omnibus in Templis ubi instituta reperitur Congregatio Sanctissimae Crucis et passionis Domini Nostri Jesu Christi vel Moniales dicti instituti die XVI Novembris ab omnibus Christifidelibus tam Saecularibus quam regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur. Et quantum ad Missas attinet ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias in quibus festum celebratur accedentibus. Ad extremum concedimus ut anno ab hisce Literis datis primo solemnia Beatificationis Servi Dei Pauli a Cruce in Templis Urbis et Congregationis de quibus facta est mentio celebrentur cum officio et Missis duplicis majoris ritus; idque fieri praecipimus die ab Ordinariis indicenda, ac postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana peracta de more fuerint. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, decretisque de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis sacris ritibus praepositae subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in judicialibus etiam disceptationibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce ostensis Literis habenda esset.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die Prima Octobris Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Secundo Pontificatus Nostri anno Septimo.

A. CARD. LAMBRVSCINI

Quamvis peculiare facultates ac privilegia nonnullis personis seu Collegiis, ad eorum remuneranda merita vel dignitatem amplificandam, ex Romanorum munificentia Pontificum concessa atque attributa sint, ea tamen moderanda censemus, et vero etiam abroganda, quum minus opportuna temporibus ac bono publico minus consentanea deprehendamus. Antiquissimum porro est in hac Romana Ecclesia Collegium septem Notariorum a S. Clemente I Praedecessore Nostro ad consignanda literis posterisque Martyrum gesta institutorum, qui postmodum ob muneris praestantiam Protonotarii dicti sunt, et pluribus singularibusque privilegiis decorati. Ipsis quidem fel. me. Sixtus V Praedecessor Noster nedum antiqua privilegia confirmavit, verum nova etiam atque ampliora largitus est per Apostolicas suas sub plumbo datas Literas Nonis Februarii Anni MDLXXXVI. Quum vero idem Collegium Protonotariorum ob praeteritas rerum vices ad paucos redactum pene extinctum esset, paternas ad illud curas convertens recol. me. Gregorius XVI Decessor Noster per suam Constitutionem VI Idus Februarii anni MDCCCXXXVIII editam ipsum ad pristinum septeharium numerum veteremque splendorem restituit. Jam vero singularia inter privilegia memoratis comprehensa Literis Sixti PP. V aliqua Nos esse animadvertentes, quae neque praesenti temporum conditioni, neque publicae rei bono convenire compertum sit; idcirco alia ex iis

moderanda, seu quibusdam subjicienda conditionibus, alia vero penitus abroganda existimavimus. Et quidem privilegium promovendi ad gradum doctoratus in utroque jure ex commemoratis Sixti V. Literis Collegio Protonotariorum impertitum jamdiu moderatus est, ac coarctavit fel. me. Benedictus XIV per Apostolicas suas sub plumbro datas Literas IV Kal. Septembris An. MDCCXLIV quibus definivit edixitque licere Protonotariis Apostolicis quatuor dumtaxat personis in singulos annos, eisque non absentibus, sed realiter in Urbe praesentibus doctoralem lauream in utroque jure deferre, praevio tamen diligenti ac severo examine per ipsosmēt Protonotarios personaliter ac collegialiter instituendo juxta Apostolicas in forma Brevis Literas Urbani VIII die V Septembris An. MDCXXIX evulgatas; quem postea personarum numerum idem Benedictus XIV in ipsis illis supra memoratis Literis ampliavit in benevolentiae et honoris testimonium erga Protonotariorum Collegium; ipsis quippe concessit, ut in posterum non quatuor tantum singulis annis, verum sex personas in Urbe tamen praesentes doctoris laurea in alterutro, sive utroque jure decorare possent servata forma ac conditionibus inibi praescriptis et explicatis. Nos igitur commune bonum prae oculis habentes motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra supra memoratis Apostolicis Literis tum Sixti V, tum Urbani VIII, Benedicti XIV, et Gregorii XVI Praedecessorum Nostrorum, quatenus opus est, et in iis dumtaxat, quae Constitutioni huic Nostrae adversantur, derogantes, Protonotariis Apostolicis de numero participantium vulgo

appellatis privilegium deferendi doctoris gradum seu lauream in Theologia, et in alterutro, vel utroque jure ratum habemus ac confirmamus, servatis tamen conditionibus infra explicandis; in Philosophia vero, in Medicina aliisque artibus seu scientiis ac facultatibus omnino tollimus atque abolemus. Volumus autem atque mandamus, ut quatuor dumtaxat personis in facultate Theologica, ac quatuor itidem in alterutro, vel utroque jure in urbe tamen praesentibus doctoris gradum deferre valeant, utque de hujusmodi personis doctoris gradum petentibus antea ad Nos Nostrosque in Apostolica Sede Successores referre debeant, secus concessio doctoralis laureae nulla atque irrita sit. Praecipimus etiam, quod jam a Benedicto XIV Praedecessore Nostro praescriptum est, ut si dictus numerus personarum ad gradum doctoris promovendarum uno anno quavis de causa non sit completus, minime absolvi et compleri possit annis subsequentibus. Jubemus praeterea ut ad instituendum candidatorum examen Protonotarii convenient numero saltem quinque; quod si, aliquibus eorum impeditis, hujusmodi numerum pertingere nequeant, ad illum explendum Archigymnasii Romani professores adsciscant, denique ut in hujusmodi examine omnia servare debeant, quae de periclitanda scientia promovendorum ad gradum doctoralem praescripta sunt per Leonem XII Praedecessorem Nostrum in sua Constitutione « Quod divina sapientia »; si secus fecerint, concessionem doctoralis laureae irritam declaramus. Volumus insuper atque mandamus, ut de laureis collatis certiore faciant quolibet anno Congregationem S. R. E.

Cardinalium studiis moderandis praepositam, utque ad normam praefatae Constitutionis Benedicti XIV nota rogatus promotionum descriptis promotorum nominibus et cognominibus infra mensem a die cujuslibet promotionis computandum ad Archivium urbanum per Secretarium Collegii ejusdem, vel per ipsos promotos deferatur, ac postquam ejusmodi nota ad Archivium praedictum delata sit, promotus ad lauream doctoralem pro legitime promotus haberi debeat ad quosvis juris effectus, alias doctoratus nullus sit atque irritus, nec promotus ulla ratione suffragetur. In exercendo autem privilegio quo iidem Protonotarii gaudent ex memorata Sixti V Constitutione unum scilicet Protonotarium quotannis creandi absque tamen exemptionibus et privilegiis, hoc est mere titularem, volumus ac jubemus, ut in posterum, nisi consultis antea Nobis Nostrisque in Apostolica Sede Successoribus, neminem ad hujusmodi honorem et gradum promovere possint et valeant. Facultatem vero notarios, seu tabelliones publicos creandi dictis Protonotariis prorsus adimimus. Praeterea omnino tollimus atque abrogamus privilegium juxta antedictam Sixti V Constitutionem Protonotariis eisdem attributum, spuriis scilicet aliisque ex quovis illicito concubitu procreatos legitimum ad successionem quorumcumque honorum sive ex testamento, sive ab intestato, eosque idoneos declarandi ad quosvis honores, dignitates et officia sive publica sive privata exercenda prout fusius hac super re in memoratis Sixti PP. V. Literis continetur. Item irritum esse volumus planeque abrogamus alterum privilegium, ut tam Protonotarii Apostolici ipsi,

quam eorum consanguinei, affines et familiares sive in Urbe sive in tota Ecclesiastica ditione arma prohibita absque speciali permissu, et licentia deferre possint et valeant. Quoniam vero consueverunt Romani Pontifices praeter septem Protonotarios vulgo participantes appellatos aliis etiam Ecclesiasticis viris hujusmodi honorem deferre ita tamen, ut licet de participantium numero minime sint, ad eorum instar censeantur, idcirco ut majus inter eos discrimen extet, volumus ac mandamus, ut septem Protonotarii participantes a locorum Ordinariis eorumque jurisdictione liberi atque exempti Nobisque et Apostolicae Sedi immediate subjecti maneant juxta Sixti PP. V concessionem, alii vero Protonotarii ad instar participantium sive ad hunc honorem jam electi, sive in posterum eligendi locorum Ordinariis juxta communis juris regulas subjecti omnino sint ac censeantur, quemadmodum ipsos tenore praesentium Ordinarium jurisdictioni plane subjecimus, ac proinde sine illorum assensu nunquam poterunt Pontificalia exercere. Insuper Protonotariis participantibus privilegium Altaris portatilis ratum habemus ac confirmamus ea tamen lege ac conditione, ut illud in alienae habitationis domibus erigere nunquam possint nisi ipsi occasione itineris, seu hospitii gratia in iisdem domibus diversentur, utque Missa, quam super idem altare portatile decenti semper in loco erigendum diebus etiam solemnioribus vel per se celebraverint vel per alium Sacerdotem saecularem seu regularem rite probatum celebrari fecerint, tum Protonotariis ipsis eorumque consanguineis et affinibus cohabi-

tantibus, tum personis eorum famulatu seu comitatu addictis, nunquam vero aliis personis in Ecclesiastici praecepti implementum suffragetur. Protonotariis vero ad instar participantium, qui jam creati sint, vel in posterum creabuntur, idem altaris portatilis privilegium tollimus eisque dumtaxat concedimus indultum privati Oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi, in quo diebus etiam solemnioribus in consanguineorum et affinium secum cohabitantium, necnon famulorum suorum praesentia, Missam vel per se celebrare vel per quemcumque Sacerdotem saecularem, vel cujusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere libere possint et valeant. Haec Nos statuimus, decernimus atque mandamus non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, necnon superius memoratis Sixti V, Urbani VIII, Benedicti XIV et Gregorii XVI Praedecessorum Nostrorum Literis aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis speciali licet mentione dignis, necnon praefati Collegii Protonotariorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robotatis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub an-
nulo Piscatoris die IX Februarii Anni MDCCCLIII.
Pontificatus Nostri Anno VII.

A. CARD. LAMBRVCHINI

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

HIERARCHIA EPISCOPALIS IN HOLLANDIA RESTITVITVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ex qua die arcano divinae providentiae consilio ad Apostolicae Sedis fastigium nil tale merentes ac cogitantes evecti fuimus, statim, prout injunctum Nobis ministerium postulabat eo curas omnes ac studia intendimus, ut spirituali Christifidelium ubicumque existentium saluti atque incolumitati prospiceremus. Ac postquam inchoatum jam a fel. rec. Gregorio XVI praedecessore Nostro Episcopalis in florentissimo Angliae regno Hierarchiae instaurandae opus benedicente Domino absolaere datum fuit, studia Nostra ac sollicitudines convertimus ad electam aliam dominicae vineae partem, ad inclytas nempe Hollandiae ac Brabantiae regiones, quas salutaribus iisdem institutionibus informari posse intelligeremus et maximopere optaremus. Versabatur enim jugiter ob oculos quae vel a prioribus Ecclesiae saeculis fuisset illarum regionum conditio; namque ubi primum labente saeculo VII per S. Clementem Willibrordum apostolico spiritu afflatum virum, sociosque ab ipso adlectos evangelicos ministros, invecta in eas fuit Christiana Religio, uberrimos dedisse fructus vetusta omnia monumenta testantur, ita ut paulo post,

anno nimirum DCXCVI. S. Sergius I Praecessor Noster Ultrajectensem Ecclesiam erexit, eundemque Willibrordum illi regendae designatum Antistitem sacra infula suis ipse manibus decoraverit. Longum sane esset ea omnia persequi ac recensere, quae tum laudatus Antistes, tum S. Bonifacius qui ei successit, Germaniae Apostolus merito nuncupatus, ac reliqui subsequentes Episcopi, quorum nonnulli sanctorum albo adscripti sunt, praeclare gesserunt impensosque ab eis labores commemorare ad catholicam fidem per memoratas regiones diffundendam usque ad annum MDLIX; quo anno adeo ipsam ibidem floruisse compertum est, ut Paulus Papa IV Praedecessor Noster ecclesiasticam in illis regionibus provinciam statuendam censuerit literisque Apostolicis incipientibus « Super Universas » IV idus maji datis, Ultrajectensem ipsam sedem juribus ac privilegiis metropolitice auxerit ac ditaverit, additis erectisque quinque suffraganeis Ecclesiis, nempe Harlemensi, Deventhiensi, Levordiensis, Gruningensi et Middelburgensi. Verum quum exinde dilectam hanc dominicam vineam firmiter circumspectam ac validioribus munitam praesidiis, majores in dies fructus edituram spes affulgeret, deplorandum illud fuit quod haud ita multo post inimicus homo illam vastare, convellere ac deformare omni conatu voluerit. Et sane exploratum est quot quantaque calviniana haeresis florentissimis illis Ecclesiis damna et clades intulerit; eoque pervasit haereticorum vis atque impetus, ut Catholicum in iis regionibus nomen prope extinguendum, tantisque reparandis jacturis nulla ferme superesse ratio videretur. Constat nihilominus

Romanos Pontifices nihil reliquisse intentatum , ut ingruentibus tot malis qua fieri posset ratione occurrerent ac mederentur. Hinc ejectis percussisque vel occisis pastoribus, ad colligendas dispersi gregis reliquias cla. me. Gregorius XIII probatissimum virum et zelo divini nominis inflammatum, videlicet Sasboldum Vosmerum in Vicarium suum Apostolicum deputavit, qui deinde a Clemente VIII Philipensis Archiepiscopi titulo ac caractere insignitus eum non exiguam obtinisset sacrorum operariorum copiam ex optimis Institutis ac societatibus regularibus, ad collapsam religionem instaurandam , Deo juvante, non sine fausto successu adlaboravit. Easdem porro curas adhibuere successores Romani Pontifices nimirum Alexander VII, qui, Janseniani schismatis exordio, viriliter monstro illi ac pesti sese opponere, ejusque vim cohibere ac frangere haud in termisit; itemque Innocentius XII Clemens XI Benedicti XIII et XIV ceterique omnes praedecessores Nostri omnem dedere operam, ut Hollandiae et Brabantiae catholicos quos tam saeva et atrox procella ad extrema redegerat, sive per Apostolicos Vicarios Episcopali dignitate praeditos, sive per Sanctae Sedis Nuntios pastoralibus auxiliis erigerent, recrearent, quo tandem fieret, miserante Domino, ut ad pristinum decus et formam Ecclesiae illae revocarentur. Atqui misericordiarum Pater et Deus totius consolationis impensis per Romanos Pontifices laboribus, curisque optatum aliquando fructum pro sua benignitate concessit, ut quod ipsi intenderant jam perducere possit ad exitum, idque reservatum humilitati Nostrae eidem honorum omnium largitori Deo ma-

ximas ex animo gratias persolvimus. Enim vero quamquam gl. me. Gregorius XVI decessor Noster, accedente serenissimi illius Regis aequitate, complura sapienter egerit ac molitus sit ad ecclesiasticam disciplinam praedictis in regionibus plene instaurandam, in itis anno MDCCCXLI negotiationibus de restituenda Episcopali Hierarchia cogitaverit, perpensis tamen temporum adjunctis, opus pro tunc haud urgendum esse judicavit, auctisque Episcopali caractere Vicariis Apostolicis Brabantiae, aliisque opportune constitutis ad sternendam optatae instaurationi viam, tanti momenti rem opportuniori tempori definiendam remisit. Prae oculis igitur habentes praeclara hujusmodi decessorum Nostrorum exempla, ac dilectam illam Dominici gregis partem quibus possumus favoribus prosequi volentes, id Nobis proposuimus, ut Catholicae religionis utilitates in memorato regno quantum per Nos fieri possit, augeamus. Hinc universum in eodem regno rei Catholicae statum, progressusque, et permagnum Catholicorum numerum considerantes, nec non impedimenta illa quae Religionis Catholicae incolumitati ac prosperitati valde adversabantur, in dies auferri prospicientes, immo fere jam penitus ablata confidentes per eam, quae a Gubernii moderatoribus aequitate ac justitia inducta est, fundamentalium legum reformationem, denique probe noscentes benevolum serenissimi Regis animum erga illam quoque fidelissimorum subditorum classem qui Catholicam profitentur fidem, tempus advenisse reputavimus, ut regiminis Ecclesiastici forma in Hollandiae regno ad eum restitui possit modum quo fideles penes alias gen-

tes fruuntur, apud quas nulla intervenit peculiaris causa, quamobrem extraordinario illo Vicariorum Apostolicorum, aut exceptionalis alio ministerio regantur. Interim semel atque iterum porrectae Nobis sunt preces, quibus nedum dilecti cujusvis Ordinis filii Nostri illarum regionum incolae, sed vero etiam Vicarii Apostolici ipsi, et Clerus universus idipsum a Nobis efflagitabant, eorumque votis obstistere haud passus est paternus Noster amor et caritas. Quapropter hisce aliisque gravissimis causis adducti, praehabita, sicut rei gravitas exigebat, deliberatione cum VV. FF. NN. S. R. E. Card. Fidei propagandae praepositis, quibus, accuratum totius negotii examen demandavimus, quique Nos in suscepto consilio magis magisque confirmarunt, levatisque oculis ad montem unde venit Omnipotentis auxilium, implorata Deiparae Virginis ope, impetratisque suffragiis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, aliorumque Coelitem qui praesertim Hollandiae Ecclesiam effuso pro Christo sanguine illustrarunt, tam salutari operi manum admovendam tandem aliquando existimavimus. Itaque motu proprio certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque amplitudine Apostolicae auctoritatis ad majorem Dei omnipotentis gloriam et S. Catholicae Ecclesiae utilitatem constituimus ac decernimus, ut in Hollandiae ac Brabantiae regno juxta communes Ecclesiae ejusdem regulas Hierarchia refloreat Ordinariorum Episcoporum qui a Sedibus nuncupabuntur, quas Nostris hisce literis erigimus et in provinciam ecclesiasticam instituimus. Porro quinque Sedes in praesens erigendas decernimus ac fundatas volumus, nimirum Ultrajectensem,

Harlemensem, Buscoducensem, Bredanam et Ruremundensem. Animo autem revolventes Trajectensis Ecclesiae praeclara monumenta, necnon locorum praesertim opportunitate perspecta, aliisque rationibus expensis non possumus, quin illustrem hanc olim Sedem veluti sepultam excitantes ad Metropolitanæ seu Archiepiscopalis dignitatis gradum illam evehamus vel restituamus, quo quidem honore per clame: Paulum IV prædecessorem Nostrum decorata fuit, eidemque suffraganeas quatuor memoratas Sedes adsignemus, quemadmodum tenore præsentium auctoritate Nostra Apostolica adsignamus, addicimus, attribuimus. Prædictæ vero Archiepiscopali seu Metropolitana Sedi Ultrajectensi Provincias tribuimus prout sequitur, nempe provinciam ipsam Ultrajecti a qua nomen habet, necnon Gruningensem, Geldriensem, Frisiensem ac Drenthensem, quæ antea majorem proprie dictæ Missionis Hollandicæ partem effecerunt. Ecclesiae autem suffraganeæ Harlemensi adsignamus provincias alias vel regiones Hollandiæ ac Zelandiæ, quæ ejusdem ita nuncupatæ missionis Hollandicæ Praesidi, seu vice-superiori ad hæc usque tempora item subjiciebantur. Ad alias quod attinet Ecclesias, volumus ac decernimus, ut iisdem provinciis vel districtibus aut comitatibus regionibusque unaquæque gaudeat, quibus hactenus potiebatur, sic ut prædictæ Buscoducensis, Bredana ac Ruremundensis Episcopales ac suffraganeæ Ecclesiae iisdem circumscriptæ limitibus maneant, quibus hactenus unaquæque præfniebatur sub appellatione vicariatuum Apostolicorum Silvaeducensis, Bredani et Limburgensis ac prout in Apostolicis Literis die 11 Junii MDCCCXXX

incipientibus « Universalis Ecclesiae » ac die ix Martii MCCCXXXI quarum initium « Universi dominici gregis » declaratur. Ita in universo Hollandiae ac Brabantiae regno unica erit ac distincta provincia Ecclesiastica ex uno Archiepiscopo seu Metropolitano Antistite, et quatuor suffraganeis Episcopis constituta, quorum studio ac sollicitudine pastorali futurum in Domino confidimus, ut catholica illic Religio magis magisque roboretur ac laetioribus vigescat incrementis; ac proinde Nobis Nostrisque in Apostolica Sede successoribus jam nunc reservatum volumus, ut provinciam ipsam in plures, ubi opus fuerit disperdiamus ac dioecesium numerum augeamus, limites immutemus, ac quidquid aliud opportunum et expedire in Domino visum fuerit libere perficiamus. Quod vero iisdem Ecclesiis ac Praesulibus profuturum maxime perspicimus, volumus et mandamus, ut relationes de Sedium suarum atque ovium statu ad Nostram Congregationem de Propaganda Fide, quae hactenus peculiarem sedulamque de regionibus ipsis curam gessit, transmittere pergant laudati Antistites, Nosque per eandem Congregationem certiores faciant de iis omnibus, quae pro officii munere ac spirituali fidelium bono nunciare ac referre se teneri intellexerint. In ceteris autem quae pastoralis officii sunt, Archiepiscopus et Episcopi supramemorati omnibus fruentur juribus et facultatibus, quibus alii aliarum gentium catholici Archiepiscopi et Antistites ex communi sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum vi utuntur, atque uti possunt ac poterunt, iisdemque obligationibus adstringentur quibus alii Archiepiscopi et Episcopi ex communi eadem et ge-

nerali Catholicae Ecclesiae disciplina devincti sunt. Quaecumque propterea sive ex antiqua Ecclesiarum Hollandiae ratione, sive in subsequenti Missionum conditione ex peculiaribus constitutionibus aut privilegiis vel consuetudinibus particularibus vigerint, mutata nunc temporum ratione nullum posthac sive jus sive obligationem inducent. Ad omnem porro ambiguitatem removendam Nos iisdem illis peculiaribus constitutionibus et privilegiis cujusque generis et consuetudinibus a quocumque etiam vetustissimo et immemorabili tempore inductis ac vigentibus, omnem prorsus obligandi et juris afferendi vim ex plenitudine Apostolicae auctoritatis adimimus. Proinde Archiepiscopo et Episcopis Hollandiae integrum erit ea decernere quae ad communis juris executionem pertinent, quaeque ex generali ipsa Ecclesiae disciplina Episcoporum auctoritati permissa sunt. Nos vero Apostolica Nostra auctoritate eis libenter adfuturos, omnemque operam ad divini nominis gloriam et salutem animarum promovendam collaturos pollicemur. Hujusce autem Nostrae voluntatis ut certius exhibeamus argumentum, volumus ut Antistites ipsi cum Ordinariorum Episcoporum nomine et juribus insigniti fuerint, iis minime destituantur commodis et amplioribus facultatibus, quibus antehac iidem una cum titulo Nostrorum et Apostolicae Sedis Vicariorum fruebantur, vel quibus alii Vicarii Apostolici ex ejusdem S. Sedis largitate perfruuntur. Cautum pariter volumus, ut Archiepiscopus Trajectensis ejusque suffraganei Antistites antedicti in iis, quae cujuslibet sunt, muniis exercendis plena, quae par est, libertate ac potestate potiuntur. Suffraganeas

vero easdem Ecclesias, earumque territoria Ultrajetensis Metropolitanæ jurisdictioni ita subjicimus, ut ab omni auctoritate ac dependentia alterius Metropolitanæ sive Archiepiscopi, cui fortasse illae aut quaedam illarum regiones in Vicariatuum aut Missionum conditione subjectae manserint, prorsus eximamus. Trajectensi porro Archiepiscopo omnibus insigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis et prerogativis Metropolitanorum Antistitem utendi jus ac potestatem concedimus. Et quoniam adhuc ea est in Hollandiæ regno catholicae rei conditio, ut congrua Pastoribus et episcopalis cujuslibet Ecclesiae necessitatibus respondentia temporalia subsidia desint, spem prope certam fovemus futurum ut dilecti ipsi filii Nostri Christifideles, quorum instantissimas ac repetitas preces pro Episcopali Hierarchia restituenda libenti animo excepimus votisque obsecundavimus, Pastores quos eis praeficiemus, eleemosynis et oblationibus suis largius etiam in posterum juvare non desistant, quibus Episcopatum sedium instaurationi et catholicae Religionis prosperitati, atque incremento valeant prospicere. Postremo suspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum supplices illum adprecamur, ut quae ad catholicae Ecclesiae bonum profectumque in Hollandiæ regno decernenda et statuenda duximus, ea divino suo auxilio firmare et roborare dignetur, illisque omnibus ad quos decreta ipsa exequi spectat, coelestis gratiae virtutem immittat, ut demandata ipsis officia et munera ad gloriam divini Nominis impensius adimpleant. Decernentes has Nostras Literas nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis

Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse, et semper validas et firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere atque inviolabiliter observari debere. Non obstantibus Apostolicis, atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, necnon veterum Hollandiae sedium et missionum ac Vicariatuum Apostolicorum inibi postea constitutorum, et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum juribus aut privilegiis juramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque. His enim omnibus, tametsi pro illorum derogatione specialis mentio facienda esset, aut alia quamtumvis exquisita forma servanda, quatenus supradictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis, et per constitutum in Ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi ipso hoc diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die quarta Martii An. MDCCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

A. CARD. LAMBRVCHINI.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE VII MARTII ANNO MDCCCLIII

VENERABILES FRATRES

Cum placuerit misericordiarum Patri et Deo totius consolationis magnum gravissimis Nostris angustiis afferre levamen, tum nulla interposita mora illud Vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, ac pro certo habemus, parem Nostrae vestrum futuram esse laetitiam. Vobis enim nuntiamus, optatissimum singulari Divinae Clementiae beneficio illuxisse diem, quo in florentissimo Hollandiae et Brabantiae Regno ordinariam Episcoporum Hierarchiam juxta communes Ecclesiae regulas restituere, atque ita dilectissimae illius Dominici gregis partis incolumitati ac prosperitati majorem in modum consulere possimus. Nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, quae fuerit illarum regionum vel a primis christianae religionis saeculis conditio et quomodo illi populi septimo vertente saeculo a Sancto Villibrordo apostolica plane virtute clarissimo, ejusque in sacro ministerio sociis divinam Christi Domini religionem ac doctrinam acceperint, didicerint, quae tam faustos tam felices habuit progressus, ut paulo post S. Sergius I Decessor Noster Ultrajectensem Episcopalem Sedem erigendam eamque ipsi Villibrordo regendam et moderandam censuerit. Atque optime noscitis

quanta industria, constantia, contentione tum idem S. Villibrordus, tum S. Bonifacius Germaniae Apostoli titulo merito insignitus, tum alii subsecutis inde temporibus Antistites, quorum aliqui Sanctorum Coeliturum ordini adscripti fuere, nullis neque consiliis, neque laboribus, neque vigiliis sibi parcendum esse duxerint, ut per easdem regiones quotidie magis Catholicam fidem longe lateque propagarent, omnesque earum regionum populos sanctissimis ipsius fidei praeceptionibus imbuerent, atque nutrent. Hinc sanctissima nostra religio in iisdem regionibus, divina adspirante gratia, ita firma consistere, ac magis magisque augescere, vigere, et efflorescere visa est, ut anno millesimo quingentesimo quinquagesimonono rec. me. Paulus IV Decessor Noster suis Apostolicis Literis Ultrajectensem Episcopalem Sedem Metropolitanae Ecclesiae dignitate, juribus, et privilegiis decorandam et quinque alias Episcopales Sedes ipsius Ultrajectensis Archiepiscopatus Suffraganeas in illis regionibus erigendas existimaverit.

Atque utinam in dilecta illa Dominici agri parte, quae prospere feliciterque exulta uberrimos laetissimosque justitiae fructus in dies erat editura, inimicus homo nunquam superseminasset zizania! Utinam in illos fideles populos nunquam irruissent catholicae religionis hostes, qui eorum artibus omnia conati sunt, ut earundem regionum populos a catholico cultu avellerent. Neque hic jam commemorare volumus luctuosissimam sane eorum temporum perturbationem et maxima omnibusque notissima damna, quibus cum summo fidelium detrimento florantissimae illae Ecclesiae miserandum in modum

afflictae, divexatae, ac prostratae fuere. Quamobrem, veluti probe cognoscitis, Romani Pontifices, qui magnis infirmorum membrorum Christi periculis pastorem diligentiam adhibere nunquam intermiserunt, nihil certe inausum, nihilque intentatum reliquere, ut afflictis illis Ecclesiis omnem opem afferrent, et gravissima averterent mala, quibus illi premebantur fideles. Atque haud opus est, ut Vobis in mentem revocemus quibus paternis prorsus curis, quibusque providentissimis ac sapientissimis consiliis Gregorius XIII, Clemens VIII, Alexander VII, Clemens IX, Innocentius XII, Benedictus tum XIII, tum XIV, aliique Decessores Nostri sine intermissione allaboraverint, ut Hollandiae ac Brabantiae Catholicis omni ope et studio succurrerent, et illas Ecclesias ab interitu vindicarent, atque in pristinum splendorem restituerent; cum haec omnia Vobis apprimè nota sint, Venerabiles Fratres. Atque etiam scitis quanta sollicitudine rec. me. Gregorius XVI Praedecessor Noster omnem operam ad religionis negotia in illis regionibus magis magisque componenda, et ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam contulerit. Etsi vero idem Praedecessor Noster, Serenissimo illo Rege favente, haud omiserit multa provide sapienterque constituere, ac prae oculis habere exoptatam Episcopalis Hierarchiae instaurationem, tamen ob temporum adjuncta huiusmodi opus tunc minime urgendum esse duxit, ac Vicarios Apostolicos Episcopali dignitate ornatos in Brabantia augendos censuit.

Itaque vehementer laetamur, cum Nos Divina Clementia, licet immeritos, reservasse videatur ad illud opus perficiendum, in quo Praedecessores Nostri tanta

cura et studio elaboraverant. Equidem ubi inscrutabili Dei iudicio ad hanc sublimem Principis Apostolorum Cathedram evecti fuimus, illico summa alacritate omnique sollicitudine curas, cogitationesque Nostras ad ecclesiastica illius Regni negotia convertimus. Ac pro Apostolici Nostri ministerii munere, et singulari illa caritate, qua ejusdem Regni fideles prosequimur, nihil certe antiquius habuimus, quam ea omnia peragere, quae et sanctissimae nostrae religionis rationibus, et eorundem fidelium utilitati maxime conducere possent. Incredibili igitur animi Nostri consolatione perspeximus tandem advenisse illud tempus tantopere exoptatum, quo ibi cum maximo rei catholicae emolumento et illorum fidelium bono Episcopalis Hierarchia ex communibus Ecclesiae regulis possit instaurari. Namque animadvertimus, catholicam in eo Regno religionem, Deo bene juvante, magis in dies progredi et permagnum Catholicorum ibi degentium numerum passim augeri, et benevolam ac propensam esse illius Serenissimi Regis erga Catholicos ipsos sibi subjectos voluntatem, et quotidie magis ea amoveri impedimenta, quae rei catholicae olim adversabantur quaeque penitus amovenda esse confidimus ob illorum aequitatem et justitiam, qui illius Gubernii res moderantur atque administrant. Accedit etiam, ut non solum, Venerabiles Fratres, qui Vicarii Apostolici munere ibi funguntur, verum etiam universus ille Clerus et quamplurimi laici viri cujusque ordinis et conditionis enixis, iteratisque precibus a Nobis efflagitarint, ut ibi commemoratam Episcoporum Hierarchiam restituere vellemus. Vos ipsi intelligitis, Venerabiles Fratres, quo lubenti lae-

toque animo has postulationes exceperimus, cum Nostrae omnes curae, sollicitudines, studia, consilia eo semper spectaverint, ut ejusmodi res ad optatum exitum posset adduci. Quapropter, audito consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis Fidei propagandae praepositae, quibus gravissimum hoc negotium examinandum commisimus, nihil Nobis gratius, nihil optabilius esse poterat, quam ut in Hollandiae ac Brabantiae Regno Episcopalem Hierarchiam juxta ardentissima Nostra desideria instauraremus. In illo itaque Regno Ecclesiastici regiminis formam ad eum plane modum restituimus, qui libere viget apud alias excultas praesertim gentes, in quibus nulla peculiaris adsit causa, ut extraordinario illo Vicariorum Apostolicorum ministerio regantur. Quocirca ecclesiasticam ibi provinciam instituentes decrevimus, quinque Episcopales Sedes in praesentia esse erigendas, nempe Ultrajectensem, Harlemensem, Buscoducensem, Bredanam, et Ruremundensem. Ac memoria repentes vetera illustria sane facta, et monumenta ejusdem Ultrajectensis Sedis, quae veluti diximus, a Paulo IV Decessore Nostro Archiepiscopalis Ecclesiae honoribus et privilegiis fuit decorata, ac sanctissimae nostrae religionis rationes, et alia gravissima rerum adjuncta serio considerantes, plane non dubitavimus, eandem Ultrajectensem Sedem ad pristinam Metropolitanæ Ecclesiae dignitatem ac splendorem evehere et restituere, eique alias commemoratas quatuor Suffraganeas Episcopales Sedes attribuere. Habetis, Venerabiles Fratres, quae Vobis non sine magna animi Nostri laetitia de Episcopalis in Hollandiae ac Brabantiae Regno Hierarchiae in-

stauratione breviter raptimque significanda existimavimus. Apostolicas vero de hac re Literas jam proferri illasque Vobis exhiberi mandavimus, ut clarius et plenius ea omnia noscere possitis, quae ad hanc ipsam rem pertinent.

Nunc autem plane non dubitamus, quin pari consolatione et gaudio audituri sitis, quae pro Apostolica Nostra sollicitudine egerimus, ut catholica Ecclesia ejusque salutaris doctrina in Costaricensi Americae meridionalis Republica majora in dies incrementa suscipiat. Neminem Vestrum latet quam vehementer de Ecclesiis in America meridionali existentibus anxii atque solliciti simus, et qua impensa cura atque studio illarum indigentis occurrere non desinamus, et quantopere exoptemus omnes invenire rationes, quibus easdem Ecclesias sublevare et recreare possimus. Hinc laetissimo prorsus gratissimoque animi Nostri sensu excepimus petitionem Dilecti Filii Illustris et Honorabilis Viri Joannis Raphaelis Mora hodierni praedictae Costaricensis Reipublicae Praesidis, qui a Nobis enixe postulavit, ut ecclesiasticas illius ditionis res ordinare vellemus. Cum ejusmodi desideria Nostris studiis plane faverent, manum operi statim admovimus, ac Dilecto Filio Nostro Jacobo S. R. E. Cardinali Antonelli a publicis Nostris negotiis in mandatis dedimus, ut de componendis in illa Republica Religionis Ecclesiaeque negotiis, quae potior nostra est cura, cum Dilecto Filio Nobili Viro Marchione Ferdinando de Lorenzana ejusdem Reipublicae apud Nos et hanc Sanctam Sedem Ministro atque ad hoc peragendum negotium destinato ageret. Itaque suscepta tractatione Conventio fuit inita, cui uterque

subscripsit, postquam ejusdem Conventionis capita, seu articuli Nostro jussu a peculiari VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregatione maturo examine perpensi, atque a Nobis rati habiti fuerunt. Plenam accuratamque de iis omnibus, quae conventa sunt, cognitionem habebitis, Venerabiles Fratres, cum Apostolicae de hac re Literae editae fuerint. Interim vero non mediocri jucunditate Vobis significamus, cautum fuisse in primis, ut ibi Catholica Religio omnibus suis juribus libere ac tranquille perfrui debeat, quibus ex divina sua institutione et Sacrorum Canonum sanctione potitur; utque in omnibus illius ditionis scholis instituendi ac docendi ratio cum ejusdem catholicae Religionis doctrina congruere debeat. Constitutum quoque est, ut Venerabilis Frater Episcopus S. Josephi, aliique omnes Antistites, qui inibi esse poterunt, quando novae erigantur Dioeceses, in pastoralis muneris partibus obeundis propriaque jurisdictione exercenda plenam habeant libertatem, scholis advigilent, ac theologiae praesertim doctrinae, aliarumque sacrarum disciplinarum institutionem omnimoda libertate dirigant et moderentur. Decretum quoque est, ut Ecclesiae ejusque sacris Ministris congrua, decens, et omnino libera, atque in tuto posita dos attribuat, et omnes illius Reipublicae fideles cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro libere communicare valeant; ut Religiosae Familiae ex proprii instituti regulis ibi denuo commorari queant. Sancitum quoque et vindicatum jus est, quo pollet Ecclesia, acquirendi scilicet et possidendi quaecumque bona stabilia atque frugifera. Cautum etiam volumus, ut omni studio

opportuna quaeque comparentur subsidia, quo infideles, qui in illius Reipublicae territorio morantur, ac misere sedent in tenebris et umbra mortis, colustrentur evangelicae lucis radiis, atque ad unicum Christi ovile traducantur. Omni cura prospeximus, ut ecclesiastica disciplina majorem in modum vigeat, ac diligentissime in iis etiam servetur, de quibus nulla in Conventione mentio est facta. Ratione autem habita tum honorum, quae ex ejusmodi Conventione in rem catholicam redundare cognovimus, tum redituum, qui Ecclesiae ejusque sacris Ministris adtributi fuere, ejusdem Reipublicae Praesidi, ejusque in munere ipso Successoribus honorificum jus concedendum censuimus, nominandi scilicet ad Episcopales Sedes, et ecclesiastica quaedam Beneficia, cum illa vacaverint,.

Haec omnia, quae maximo Nobis solatio inter multiplices molestissimasque Nostri Pontificatus sollicitudines extiterunt, Vobis nuncianda erant, Venerabiles Fratres. Ac persuasissimum Nobis est, Vos pari laetitiae sensu accepisse quae ad majorem Divini Numinis gloriam ejusque Sanctae Ecclesiae, incrementum et prosperitatem, atque ad animarum salutem cum in florentissimo Hollandiae et Brabantiae Regno, tum in Costaricensi Republica a Nobis peracta et constituta sunt. Verum dum hac consolatione utimur, haud satis exprimere possumus acerbissimum dolorem, quo dies noctesque angimur ob crudelissimum et nunquam satis detestandum bellum, quo in aliis multis iisque amplissimis ditionibus Catholica divexatur et laceratur Ecclesia. Siquidem in his regionibus saeva immaculatae Christi Sponsae

vulnera in dies infliguntur, et catholica fides ac doctrina oppugnatur, proculcatur, et sacrae atque ecclesiasticae res omnibus angustiis et offensionibus premuntur, et morum depravatio, ac perversae omnis generis opiniones et errores dominantur. Itaque, Venerabiles Fratres, assiduis enixisque precibus Deum orare et obsecrare nunquam intermittamus, ut pro sua bonitate necessarias Nobis vires impertiri, ac Nostris curis, laboribus, consiliis benedicere velit, quo tantum malorum congeriem avertere possimus.

Jam vero ad amplissimum Vestrum Ordinem animum intendentes, statuimus hodierno die viros ingenii, pietatis, doctrinae, et rerum gestarum laude praestantes in Collegium Vestrum cooptare. Antequam vero id agamus, manifestandos esse ducimus duos Cardinales, quos in Consistorio die 15 mensis Martii superiori anno a Nobis habito creavimus, et hactenus in pectore reservavimus. Horum primus est Venerabilis Frater Michael Viale Prelà Archiepiscopus Carthaginensis, qui vitae integritate, morum gravitate et comitate spectabilis, ac praestanti ingenio et doctrina praeditus, postquam Apostolici Nuntii munere apud Regiam Bavaricam Aulam summa cum laude est perfunctus, munus idem penes Caesaream et Apostolicam Vindobonensem Aulam plures per annos impeditissimis temporibus, ac trepidis in rebus tanta fide, sagacitate, prudentia, labore, et rei catholicae studio obivit, ut de Apostolica hac Sede egregie meritis communem omnium existimationem sibi merito, atque optimo jure comparaverit.

Alter vero Cardinalis, quem una publicamus, est Venerabilis Frater Joannes Brunelli Archiepiscopus

Thessalonicensis. Is quoque religionis laude morumque probitate spectatus, ac sacra praesertim doctrina excultus, postquam Canonicis Juris scientiam in Romano Archigymnasio cum sui nominis fama et auditorum utilitate tradidit, tam multos operososque labores pro Apostolica Sede pertulit in gravissimis obeundis muneribus Secretarii Congregationum Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis, et Christianae Fidei propagandae praepositarum, ac Nostri apud Regiam Catholicam Hispanam Aulam Nunci, ut indefessam ac strenuam, quam eidem Apostolicae Sedi navavit operam, Cardinalitiae dignitatis praemio remunerandam esse judicaverimus.

Post evulgatos quos diximus, sex alios hodierno Consistorio Cardinales creamus. Atque horum unus est Venerabilis Frater Joannes Scitowski Archiepiscopus Strigoniensis. Hic excellenti pietate aliisque egregiis animi dotibus clarus ab Episcopatu Quinque Ecclesiensi ad Archiepiscopalem Sedem Strigoniensem evectus ita omnibus illis virtutibus, quae Episcopum maxime decent, semper enituit, ut Carissimus in Christo Filius Noster Franciscus Josephus Austriae Imperator cum Nobis plurimum commendaverit, atque ut Cardinalis a Nobis fieret postulaverit. Nos igitur Virum et suis meritis maxime illustrem, ac tanta tantique apud Nos ponderis commendatione decoratum quam libentissime Vestro Ordini adscribimus.

Gaudemus etiam Cardinalatus honore decorare alium Venerabilem Fratrem. Is est Venerabilis Frater Franciscus Nicolaus Morlot Archiepiscopus Turonensis, qui insigni religionis et pietatis studio, ac pari

in hanc Apostolicam Sedem fide et observantia spectatus Aurelianensium primum Episcopus, postea ad Archiepiscopalem Turonensem Ecclesiam regendam evocatus tanta cura, industria, sedulitate omnes pastoralis muneris partes implere, atque de catholica Ecclesia bene mereri contendit, ut illum dignissimum arbitremur, quem in Vestrum Ordinem adsciscamus. Quod dum agimus, rem Carissimo in Christo Filio Nostro Napoleoni Francorum Imperatori gratissimam facere certi sumus, cum Ipse id a Nobis vehementer petierit.

His addimus Venerabilem Fratrem Justum Recanati Episcopum Tripolitanum in partibus infidelium Lydiae. Hic a primo aetatis suae flore Religiosum Ordinem minorum Cappuccinorum amplexus, regularis disciplinae studio, modestiae laude, iisque omnibus virtutibus, quae Religiosum virum summo pere decent, ornatus, ac philosophicarum et theologiarum potissimum disciplinarum peritia praestans, Collegio Missionum Exterarum ejusdem Ordinis summo cum zelo praefuit, et Senogalliensem Dioecesim sapienter prudenterque administravit, ac tam sedulam solertemque Nobis, et Apostolicae Sedi in gravissimis cognoscendis negotiis praebuit operam, ut illum ad Cardinalitiam Dignitatem evehendum esse arbitremur.

Eadem porro Dignitate augemus Dilectum Filium Dominicum Savelli, qui Delegati Apostolici munere perfunctus plures Pontificiae Nostrae Ditionis Provincias est moderatus, ac deinde inter Clericos Camerae Apostolicae adscitus, et hujus almae Nostrae Urbis Gubernator, ac S. R. E. Vice-Camerarius re-

nunciatus, in his exercendis muneribus suam integritatem, prudentiam, consilium, dexteritatem ita Nobis probavit, et eum eodem apud Vos loco habere voluerimus.

Pergratum autem Vobis fore existimamus, a Nobis in amplissimum Vestrum Ordinem cooptari Dilectum Filium Prosperum Caterini, cujus eximia vitae integritas, religio, pietas, ingenium, doctrina Vobis est perspecta, cum gravissima munera Secretarii Congregationis Studiis moderandis praepositae, et Judicis Sacrarum Cognitionum, et Decani Collegii Protonotariorum Apostolicorum Participantium, atque Assessoris Inquisitionis in hac Urbe praeclare obierit.

Aequis vero plausibus Vos excepturos esse putamus alium spectabilem virum quem Vestro Ordini adscribendum esse censuimus. Is est Dilectus Filius Vincentius Santucci, qui ut nostis egregiis animi, ingeniique dotibus ornatus, ac religionis et pietatis laude praestans, sacraque potissimum doctrina apprime excultus, postquam plures per annos, difficilissimis temporibus Alter a Cardinali a publicis negotiis in multiplici, gravissimaque rerum publicarum procuratione sedulam, utilemque impendit operam, tanta prudentia, consilio, perspicacia laboriosissimum munus Secretarii Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae sustinuit, ut illum Sacra Purpura honestandum omnino esse duxerimus.

Hi sunt praeclari Viri, quos in amplissimum Vestrum Ordinem cooptandos esse judicavimus.

● Quid Vobis Videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Michaelem Viale Prelà Archiepiscopum Car-
thaginiensem
Joannem Brunelli Archiepiscopum Thessalo-
nicensem

Insuper creamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

Joannem Scitowski Archiepiscopum Strigo-
niensem
Franciscum Nicolaum Morlot Archiepiscopum
Turonensem
Justum Recanati Episcopum Tripolitanum

Diaconos vero

Domicum Savelli
Prosperum Caterini
Vincentium Santucci

**Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis
necessariis et opportunis.**

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ San-
cti. Amen.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS S. R. E. CARDINALIBVS
 ET VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIVS
 ET EPISCOPIVS GALLIARVM

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES .
 SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter multiplices angustias, quibus undique premimur pro commissa Nobis, licet immeritis, arcano Divinae Providentiae consilio omnium Ecclesiarum sollicitudine asperrimis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, qui uti praenuntiavit Apostolus « sanam doctrinam non sustinent, sed ad » sua desideria coacervantes sibi magistros a veritate » auditum avertunt, et seductores proficiunt in pejus » errantes et in errorem mittentes (1) » maxima certe laetitia perfunditur, cum ad inclytam istam tot sane nominibus illustrem ac de Nobis praeclare meritam Gallorum nationem oculos mentemque Nostram convertimus. Summa enim paterni animi Nostri consolatione videmus quomodo in ipsa natione, Deo bene juvante, Catholica Religio ejusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat ac dominetur, et quanta cura et studio Vos, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, in sollicitudinis Nostrae partem vocati ministerium vestrum implere ac dilecti gregis Vobis commissi incolumitati et saluti consulere contendatis. Atque hujusmodi Nostra consolatio majorem in mo-

(1) Epist. II ad Timoth. Cap. IV, v. 3, 4. Cap. III, v. 13.

dum augetur, cum ex obsequentissimis, quas ad Nos scribitis Literis magis magisque noscamus qua filiali pietate, amore et observantia prosequi gloriemini Nos, et hanc Petri Cathedram catholicae veritatis et unitatis centrum, et omnium Ecclesiarum omnino caput, matrem atque magistram (1), ad quam omnis obedientia et honor est deferendus (2), ad quam propter potio-rem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles (3). Neque minori certe afficimur jucunditate, cum haud ignoremus, Vos gravissimi episcopalis vestri muneris et officii optime memores sedulam in Dei gloria amplificanda, ejusque sanctae Ecclesiae causa propugnanda impendere operam, atque omnem pastoralem vestram curam et vigilantiam adhibere, ut ecclesiastici vestrarum Dioecesium Viri quotidie magis digne ambulantes vocatione qua vocati sunt, virtutum omnium exempla Christiano populo praebeant, proprii ministerii munia diligenter obeant, atque ut fideles Vobis commissi magis in dies enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati crescant in scientia Dei et instent viam quae ducit ad vitam ac miseri errantes ad salutis semitam redeant. Hinc pari animi Nostri gaudio cognoscimus qua alacritate Vos Nostri desiderii ac monitis obsecundantes Provincialia Concilia concelebrare studeatis, ut in vestris Dioecesibus et fidei depositum integrum, inviolatumque custodiatur, et sana tradatur doctrina, et divini

(1) S. Cyprian. Epist. 45. S. August. Epist. 162 et alii.

(2) Concil. Ephes. Act. IV.

(3) S. Irenaeus adversus haereses Cap. III.

cultus honor augeatur, et Cleri institutio ac disciplina corroboretur, et morum honestas, virtus, religio, pietas undique fausto felicique progressu magis in dies excitetur et confirmetur. Atque vehementer gaudemus, dum conspiciamus, in quamplurimis istis Dioecesibus, ubi hactenus peculiaria rerum adjuncta minime obstiterunt, Romanae Ecclesiae Liturgiam singulari vestro studio juxta Nostra desideria fuisse restitutam. Quae sane res eo magis grata Nobis accidit, quod noscebamus in multis Galliae Dioecesibus ob temporum vicissitudinem haud ea fuisse servata, quae sanctus Decessor Noster Pius V provide sapienterque statuerat suis Apostolicis Literis septimo Idus Julii anno 1568 datis, quarum initium « Quod a Nobis postulat.» Etsi vero haec omnia non sine magna animi Nostri voluptate et insigni Vestri Ordinis laude commemorare laetamur, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, tamen dissimulare non possumus gravem sane tristitiam et moerorem, quo in praesentia vehementer angimur, cum noscamus quas dissensiones antiquus inimicus inter Vos excitare conetur ad vestram animorum concordiam labefactandam et infirmamandam. Itaque pro Apostolici Nostri ministerii munere et summa illa, qua Vos et istos fideles populos prosequimur, caritate, has Vobis scribimus Literas, quibus intimo Nostri cordis affectu Vos alloquimur, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, atque una monemus, hortamur et obsecramus, ut quotidie magis arctissimo inter Vos charitatis foedere devincti et obstricti atque unanimes, et id ipsum invicem sentientes omnia dissidia, quae antiquus hostis commovere adnititur, pro eximia vestra virtute pro-

pulsare ac penitus eliminare studeatis, et sollicitis cum omni humilitate et mansuetudine servare in omnibus unitatem spiritus in vinculo pacis. Ea enim sapientia praestatis, ut quisque Vestrum optime sciat quantopere sacerdotalis et fida animorum, voluntatum et sententiarum concordia ad Ecclesiae prosperitatem atque ad sempiternam hominum salutem procurandam sit necessaria atque proficiat. Quam quidem animorum et voluntatum concordiam, si unquam alias, nunc certe studiis omnibus inter Vos foveatis oportet, cum praesertim ob egregiam Carissimi in Christo Filii Nostri Napoleonis Francorum Imperatoris voluntatem, ejusque Gubernii operam nunc catholica ista Ecclesia omni pace tranquillitate et favore fruatur. Atque haec fausta in isto Imperio rerum ac temporum conditio majori Vobis stimulo esse debet, ut una eademque agendi ratione omnia conemini, ut divina Christi religio, ejusque doctrina ac morum honestas, pietas altissimis ubique in Gallia defigatur radicibus et optima atque intaminata juventutis institutio magis in dies prodiret, atque ita facilius hostiles inhibeantur et frangantur impetus qui jam eorum conatibus manifestantur qui fuerunt, et sunt constantes Ecclesiae et Christi Jesu hostes. Quapropter, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, majore quo possumus studio a Vobis etiam atque etiam exposcimus ut in Ecclesiae causa, ejusque salutari doctrina ac libertate tuenda, aliisque omnibus episcopalis vestri muneris partibus obeundis nihil potius, nihil antiquius habere velitis, quam ut concordissimis animis ad ipsam dicatis omnes ac perfecti sitis in eodem sensu et in

eadem sententia, et omni fiducia Nos et hanc Apostolicam Sedem consulatis ad omnem cujusque generis quaestionem et controversiam a Vobis penitus removendam. Atque in primis, cum compertum exploratumque Vobis sit quantopere ad rei tum sacrae tum publicae prosperitatem conducatur recta praesertim Cleri institutio, ne intermittatis concordibus animis in tanti momenti negotium curas, cogitationesque vestras conferre. Pergite ut facitis nihil unquam intentatum relinquere, ut adolescentes Clerici in vestris Seminariis ad omnem virtutem, pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ut in humilitate crescant, sine qua nunquam possumus placere Deo ac simul humanioribus literis severioribusque disciplinis, potissimum sacris ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis Saeculorum Patrum operibus, tum ex clarissimis Ethnicis Scriptoribus ab omni labe purgatis addiscere, verum etiam perfectam praecipue, solidamque theologiarum doctrinarum, Ecclesiasticae Historiae et Sacrorum Canonum scientiam ex auctoribus ab hac Apostolica Sede probatis depromptam consequi valeant. Ita porro illustris iste Galliae Clerus, qui tot viris ingenio, pietate, doctrina, ecclesiastico spiritu ac singulari in hanc Apostolicam Sedem obsequio spectatis refulget, magis in dies abundabit navis et industriis operariis, qui virtutum ornatu praestantes ac salutaris scientiae praesidio muniti valeant in tempore auxiliariam Vobis in Dominica vinea excolenda operam praebere, eos qui contradicunt arguere ac non solum Galliae

fideles in sanctissima nostra religione confirmare, verum etiam illam apud longinquas et infideles nationes sacris expeditionibus propagare, quemadmodum Clerus idem summa cum sui nominis laude, religionis bono et animarum salute hactenus peragendum curavit. Et quoniam una Nobiscum vehementer doletis de tot pestiferis libris, libellis, ephemeridibus, pagellis, quas virulentus Dei et hominum hostis undequaque evomere non desinit ad mores corrumpendos, ad fidei fundamenta concutienda et omnia sanctissimae religionis Nostrae dogmata labefactanda, idcirco, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, pro episcopali vestra sollicitudine et vigilantia ne cessetis unquam unanimes gregem curae vestrae commissum ab hisce venenatis pascuis omni studio avertere, eumque adversus tot errorum colluviem salutaribus, opportunisque monitis et scriptis instruere, defendere et confirmare. Atque hic haud possumus, quin Vobis in mentem revocemus monita et consilia, quibus quatuor abhinc annis totius catholici orbis Antistites vehementer excitavimus, ne intermitterent viros ingenio sanaque doctrina praestantes exhortari, ut viri ipsi opportuna scripta in lucem ederent, quibus et populorum mentes illustrare et serpentium errorum tenebras dissipare contenderent. Quamobrem a Vobis efflagitamus, ut dum mortiferam pestilentium librorum et ephemeridum perniciem a fidelibus curae vestrae traditis amovere studetis, eodem tempore illos viros omni benevolentia et favore prosequi velitis, qui catholico spiritu animati ac literis et disciplinis exculsi libros isthic et ephemerides conscribere, typisque mandare curant ut catholica propugnetur et

propagetur doctrina ut veneranda hujus S. Sedis jura, ejusque documenta sarta tecta habeantur ut opiniones et placita eidem Sedi, ejusque auctoritati adversa de medio tollantur, ut errorum depellatur caligo et hominum mentes suavissima veritatis luce collustrentur. Atque episcopalis vestrae sollicitudinis et charitatis erit catholicos istos scriptores bene animatos excitare, ut majore usque alacritate pergant catholicae veritatis causam sedulo sciteque defendere, eosque paternis verbis prudenter monere si quid in scribendo offenderint. Jam vero ea est vestra sapientia ut probe noscatis, infestissimos omnes catholicae religionis hostes acerrimum semper bellum, irrito licet conatu, gessisse contra hanc Beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, haud ignorantes, religionem ipsam cadere et labare nunquam posse, eadem Cathedra stante, quae illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae (1), et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas (2). Quocirca, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, a Vobis enixe postulamus ut pro eximia vestra in Ecclesiam fide ac praecipua in eandem Petri Cathedram pietate nunquam desinatis una mente, unoque spiritu vestram omnem curam, diligentiam et operam in id praesertim intendere, ut isti fideles Galliarum populi callidissimas insidiantium hominum fraudes et errores sedulo devitantes quotidie magis filiali prorsus affectu ac devotione huic Apostolicae Sedi firmiter, constanterque adhaerere eique summo,

(1) S. August. in Psal. contr. part. Douat.

(2) Lit. Synodic. Joann. Constantinopol. ad Hormisd. Pont.

quo par est obsequio obtemperare glorientur. **Omni igitur episcopalis vestrae vigilantiae studio nihil unquam neque re, neque verbis praetermittite, quo fideles ipsi hanc S. Sedem magis magisque ex animo diligant, venerentur, omnique obsequio excipiant et exequantur quidquid Sedes ipsa docet, statuit atque decernit. Hic autem haud possumus, quin Vobis exprimamus summum dolorem quo affecti fuimus, ubi inter alia improba scripta isthic vulgata nuper ad Nos pervenit libellus gallica lingua exaratus ac Parisiensibus typis editus, et inscriptus « Sur la situation présente de l'Eglise Gallicane relativement au droit coutumier » cujus auctor iis plane adversatur, quae Vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum Nostrae Indicis Congregationi reprobandum et damnandum commisimus. Antequam vero scribendi finem faciamus, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, Vobis denuo significamus, optatissimum Nobis esse, ut omnis quaestio et controversia a Vobis rejiciatur, quae ut scitis pacem turbat, charitatem laedit, et Ecclesiae hostibus arma ministrat, quibus illam divexent et oppugnent. Igitur Vobis summopere cordi sit pacem habere inter Vos et pacem sequi cum omnibus, serio considerantes pro Illo Vos legatione fungi, qui non dissensionis sed pacis Deus est, quique discipulis suis pacem tantopere inculcare, imperare et praecipere nunquam destitit. Et quidem Christus, veluti quisque Vestrum noscit « dona » omnia suae pollicitationis et praemia in pacis con- » servatione promisit. Si heredes Christi sumus, in » Christi pace maneamus, si filii Dei sumus, pacifici**

» esse debemus. . . . Pacificos esse oportet Dei filios,
 » corde mites, sermone simplices, affectione concor-
 » des, fideliter sibi unanimi-
 » tes. (1).» Ea certe quidem de vestra virtute, re-
 » ligione, pietate Nobis inest opinio et fiducia, ut plane
 non dubitemus, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles
 Fratres, quin paternis hisce Nostris monitis, deside-
 riis, postulationibus quam libentissime obsequentes
 omnium dissensionum germina radicibus evellere ac
 ita gaudium Nostrum implere velitis, et cum omni
 patientia invicem supportantes in caritate et unani-
 mes collaborantes fidei Evangelii pergatis alacriori
 usque studio custodire vigilias noctis super gregem
 curae vestrae commissum, omnesque gravissimi ve-
 stri muneris partes sedulo obire ad consummationem
 Sanctorum in aedificationem Corporis Christi. Per-
 suasissimum autem Vobis sit, nihil Nobis gratius,
 nihil optabilius fore, quam ea omnia praestare, quae
 ad majorem vestram, et istorum fidelium utilitatem
 pertinere posse noverimus. Interim in humilitate
 cordis Nostri Deum oramus et obsecramus, ut coe-
 lestium omnium charismatum copiam super Vos pro-
 pitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis
 et laboribus benedicat, quo fideles vestrae vigilantiae
 commissi magis in dies ambulent digne Deo per
 omnia placentes et in omni opere bono fructificantes.
 Ac divini hujus praesidii auspicem et flagrantissimae
 illius, qua Vos in Domino amplectimur, charitatis te-
 stem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde
 profectam Vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles

(1) S. Cyprian. de unit. Eccles.

448

Fratres cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXI Martii Anno MDCCCLIII. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONVENTIO INTER SANCTAM SEDEM

ET PRAESIDEM COSTARICENSIS REIPVBLICAE CONFIRMATVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Totius Dominici gregis curam gerentes, ex quo, licet immeriti, arcano Dei optimi Maximi consilio ad Petri cathedram eveci fuimus, nihil unquam intentatum reliquimus, ut quo meliori fieri posset modo religionis bono atque incremento in universo terrarum orbe prospiceremus. Nec tenuem sibi sollicitudinis nostrae partem vindicarunt latissimae disjunctissimaeque Americae regiones, quarum nonnullas cum in minoribus essemus Nos ipsi invisimus, et quoties oblata Nobis est sive ad Episcopales sedes augendas sive ad ecclesiastica negotia feliciter componenda, occasionem libenti animo non modo arripuimus sed nos ipsi nacti sumus. Maxima itaque animi nostri jucunditate Dilecti Filii Illustris, et Honorabilis Viri Joannis Raphaelis Mora Costaricensis Reipublicae Praesidis literas excepimus, quibus enixe flagitabat, ut in illa quoque regione stabili modo christianae religionis bono, fideliumque utilitati ac commodo consuleretur. Compertum enim Nobis erat in illis Americae Centralis plagis, quae ineunte saeculo XVI detectae a divitiis nomen mutuatae fuerant, volventibus annis ob rerum humanarum conversiones gliscentesque errores, dominicum gregem non mini-

mum detrimenti accepisse. Quo citius omnia, uti in votis erat conficerentur, provinciam istam dilecto Filio Nostro Jacobo Antonelli Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Diacono Sanctae Agathae ad Suburram, a Secretis Nostri Status demandavimus, qui una cum Dilecto pariter Filio Ferdinando De Lorenzana Marchione de Belmonte, et Costaricensis reipublicae apud Sanctam Sedem Apostolicam Administro, mutuo respective traditis plenipotentiae mandatis, rem agere cepit. Omnibus matura deliberatione perpensis, rerumque adjunctis perspectis inita tandem aliquando est utraque ex parte Conventio, in qua primo loco statuitur, ut perpetuo Religio catholica apostolica romana pergat esse Costaricensis status religio, illius jura sive ex divina sua institutione sive ex sacrorum Canonum sanctionibus libere ac tranquille cum omnibus privilegiis sarta semper tectaue serventur; utque in omnibus illius regionis scholis instituendi atque docendi ratio cum ejusdem catholicae religionis doctrina firmissime congruat. Sancitum est ut Ven. Frater Episcopus Sancti Josephi aliique omnes Antistites qui inibi inesse poterunt, cum novae erigantur sedes, in pastoralis muneris partibus obeundis libere pleneque propriam jurisdictionem exercean, scholis advigilent non modo in seminariis in quibus juvenus in sortem domini vocata aletur, verum etiam in studiorum universitatibus, omnemque adhibeant operam, ut in religionis negotio quilibet error amoveatur. Ecclesiae ejusque sacris ministris libera atque in tuto posita dos constituitur, omnes illius reipublicae fideles cum sancta hac apostolica sede, veritatis atque unitatis centro, libere communicabunt, Religiosa

utriusque sexus instituta cujuscumque ordinis sint , dummodo apostolica auctoritate minime careant, de-
nuo inibi commorabuntur. Jus quo pollet Ecclesia
quaecumque bona stabilia atque frugifera acquirendi
atque possidendi vindicatur: omnique studio prospici-
tur ut infideles qui Costaricensem rempublicam in-
colunt abjectis ignorantiae tenebris tandem aliquando
ad veritatis agnitionem pervenire queant.

Perspecta autem ratione tum bonorum quae ex
hac conventionione in catholicam religionem dimanare
noseuntur , tum reddituum qui ecclesiae sacrisque
Ministris inibi assignati fuerunt , Costaricensis Rei-
publicae Praesidi ejusque in hoc munere successo-
ribus honorificum sane jus conceditur ad episcopales
sedes atque ad alia quaedam beneficia, cum illa va-
caverint nominandi.

Hi praecipue sunt hujusmodi Conventionis arti-
culi, quorum singuli cum prudenti diligentique exa-
mini Ven. Fratrum Nostrorum Cardinalium Sacrae
Congregationis ecclesiasticis negotiis propositae su-
biecti, ad trutinam revocati, et a Nobismetipsis ma-
tura deliberatione perpensi fuerint, die 7 octobris
Anni 1852 proxime elapsi a superius memoratis Mi-
nistris plenipotentariis subscripti, proprioque sigillo
roborati sunt. Pactae autem Conventionis hic est te-
nor videlicet.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX et Praeses Reipublicae Costaricensis in suos respective plenipotentiariorum nominarunt

Sanctitas Sua Eūm D. Jacobum Antonelli S. R. E. Cardinalem Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, suum Ministrum a publicis negotiis.

Et Reipublicae Praeses Excellentissimum Dominum Ferdinandum Lorenzana, Marchionem de Belmonte, Equitem Ordinis hierosolimitani a S. Sepulcro, equitem a Magna Cruce itemque torquatum Francisci Primi Neapolitani et Administrum cum liberis mandatis apud Sanctam Sedem Apostolicam.

Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta de iis, quae sequuntur convenerunt.

Art. 1. Religio catholica apostolica romana est religio status in Costaricensi republica, atque inibi sarta tecta semper conservabitur cum omnibus juribus et praerogativis, quibus ex Dei lege et SS. Canonum sanctionibus pollere debet.

Art. 2. Hinc juventutis institutio in universitatibus, collegiis, scholis et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis erit plane conformis doctrinae ejusdem catholicae religionis, et idcirco Episcopi et locorum ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad Theologicas, et canonici juris facultates et ad alias ecclesiasticas ejusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem ordinarii et episcopi praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam juventutis educa-

tionem exercent advigilabunt etiam, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur.

Art. 3. Episcopi praeterea jure suo fruuntur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et scripta quae ad fidei dogmata, ecclesiae disciplinam et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent, et supremum Costaricense gubernium omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tutandas dispositiones, quas ipsi Episcopi juxta canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

Art. 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam, qua late patet Ecclesiam jure divino obtineat, tam episcopi quam clerus et populus libere cum Apostolica sede communicabunt.

Art. 5. Costaricense Gubernium obligatione se obstringit praestandi et integram servandi dotem pro episcopo, capitulo, seminario et divini cultus, ac sacrarum aedium expensis super fundis aerarii Costaricensis nationis juxta designationem in fine hujus Conventionis expressam. Et quoties novae Dioeceses erunt erigendae, eadem norma locum habebit pro dote cujusque ecclesiae, capituli et seminarii. Cum autem hujusmodi dotes assignentur compensatione, imo loco decimarum, quibus hoc modo supplendis gubernium propria illius loci utilitatis causa a Sede Apostolica hujusmodi veniam petiit et obtinuit, idcirco dotes ipsae habendae omnino erunt, prout sunt, titulo *oneroso*, ac propterea gubernium, tamquam verum ecclesiae creditum erga nationem Costaricensem dotes

ipsas agnoscit, quae ita liberorum, seu omnino independentiam reddituum naturam rationemque acquirant.

Art. 6. Parochi pergunt exigere primitias et emolumenta quae a stola nuncupantur, salvo ordinario jure haec eadem emolumenta in propria dioecesi religiose ordinandi per opportunam legem, donec parochis ipsis congrua, tuta, independens dos fuerit attributa a Gubernio collatis invicem super hac re cum propriis ordinariis consiliis.

Art. 7. Ob praedictae dotis assignationem, quae praesentes decimarum proventus superat, quaeque ex ipsius gubernii sponsione copiosior futuro tempore evadet, Summus Pontifex Praesidi Costaricensis Republicae ejusque in munere successoribus concedit patroatus jus, seu privilegium proponendi in qualibet vacatione Ecclesiae S. Josephi et aliarum in eo territorio erigendarum Ecclesiarum dignos idoneosque ecclesiasticos viros iis omnibus dotibus praeditos, quos SS. Canones requirunt, et idem Summus Pontifex juxta praescriptas ab ecclesia regulas iisdem Viris Canonicam institutionem ex consuetis formis dabit. Designati vero nullo modo sese commiscere poterunt Regimini et Administrationi illius Ecclesiae ad quam fuerint nominati, antequam apostolicas canonicae institutionis literas exceperint, prout sacri Canones praescribunt. Reipublicae Praeses non ultra annum a vacationis die nominatum praesentabit.

Art. 8. Eadem de causa Summus Pontifex Reipublicae praesidi indultum concedit nominandi ad omnes capituli praebendas, sive sint dignitates, sive canonicatus, sive inferiora beneficia usque ad sex

dumtaxat, excepta prima dignitate, quae liberae sanctae sedis collationi reservata permanet, nec non theologali et poenitentiaria praebendis, quae ab Episcopis praevio experimento seu concursu rite habito iis conferentur, quos digniores judicaverint. Reipublicae Praeses, illis semper exceptis, ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliqua autem cujuscumque tandem classis et numeri futura sint, quoniam in praesentia tres tantum existunt, ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit quominus aliae praebendae in capitulis possint institui, quae per publicum experimentum, seu concursum, voluti duae superius memoratae obtinendae sint, quae semel ita constitutae nullo modo variari poterunt.

Art. 9. Paroeciae omnes juxta Concilii Tridentini praescripta conferentur per publicum experimentum seu concursum, quo absoluto Episcopi tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentabunt, ut ex iis propositis unum seligat juxta morem, qui a guberniis Americae regionum ad Hispanias olim pertinentium observatur.

Art. 10. Sancta Sedes proprio utens jure novas dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas aut utilitas postulaverit. Veruntamen ubi id contigerit cum Costaricensi Gubernio consilia conferet. In unaquaque earumdem dioecesium instituetur Canonicorum Capitulum et Episcopale Seminarium accomodatum ad Cleri Dioecesani numerum et ipsarum dioeceseum indigentias. Pro dote cujusque Sedis, Capituli et Se-

minarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda, qua statuta est pro Costaricensi Ecclesia, quae quamprimum Canonorum Capitulum habebit efformatum juxta schema inferius referendum. In Seminaria excipientur et instituentur juxta Tridentinae Synodi praescripta ii adolescentes, quos Episcopi ex propria dioecesis necessitate vel utilitate admittendos esse censuerint. Ea omnia quae ad eorundem Seminariorum regimen, ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent a Diocesano antistite unice pendere debent, qui suam liberam plenamque auctoritatem et jus in ea exercebit. Rectores quoque et professores seminariorum ab episcopis libere nominabuntur, et quotiescumque necessarium vel utile ab ipsis judicabitur removebuntur.

Art. 11. Item in singulis dioecesibus a propriis ordinariis novae erigentur Paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia, ubi et quoties civilium rerum rationes sint conciliandae.

Art. 12. Sede vacante, episcopalis ecclesiae capitulum infra tempus praefinitum et ad normam eorum, quae a sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare, vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re Sacrorum Canonum sanctionibus quovis nomine adversetur.

Art. 13. Causae omnes fidem, sacramenta, sacras funciones aliaque officia et jura sacro ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes ec-

clesiasticae ad iudicium ecclesiasticae auctoritatis unice pertinent juxta sacrorum Canonum normam.

Art. 14. Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles clericorum, ad laicos iudices referantur, sive personales sint, sive reales, quae scilicet possessiones atque alia temporalia clericorum, ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque ecclesiasticarum foundationum jura respiciant.

Art. 15. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit quominus causae criminales ecclesiasticorum pro delictis, quae Criminalibus reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad Religionem non pertinent, ad Laicorum Tribunalia deferantur. Cum vero agitur de iudiciis secundae et ultimae instantiae in illud Tribunal inter Iudices etiam duo saltem ecclesiastici viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec iudicia minime publica erunt, et respectivae sententiae poenam Capitis, seu poenam afflictivam, aut infamiam inferentes, numquam erunt exequendae absque suprema Praesidis Reipublicae approbatione, et antequam proprius cujusque ecclesiastici viri Episcopus ea absolverit, quae sacri Canones praescribunt. In deprehendis et detinendis ecclesiasticis ii erunt adhibendi modi, quos reverentia status clericalis exigit, et cum aliquis ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interjecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in hujus articuli dispositione plene excluduntur causae majores, quae apostolicae sedi reservatae sunt, juxta sacri Concilii Tridentini praescripta Sess. 24. De Reform. Cap. V.

Art. 16. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio ministerio exercendo poterunt juxta vigentem

et adprobatam Ecclesiae disciplinam illos coercere ecclesiasticos Viros, qui a proprii muneris officii et a recta vivendi ratione deflectunt.

Art. 17. Ecclesia jure pollet novas acquirendi possessiones quovis justo titulo, ejusque acquisitae res aut foundationes erunt sacrae et inviolabiles aequae ac proprietates aliorum civium Costaricensium, ideoque nulla foundationum suppressio vel unio fieri potest absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus Episcoporum juxta Concilii Tridentini normam.

Art. 18. Ob rerum et temporum adjuncta Sancta Sedes consentit, ut fundi et ecclesiastica bona publicis subjiciantur vectigalibus aequae ac aliorum Costaricensium civium bona, exceptis tamen ecclesiis seu sacris aedibus divino cultu dicatis.

Art. 19. Attenta utilitate quae ex praesenti conventionem in catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Costaricensis Reipublicae Praesidis postulationibus annuens et publicae tranquillitati consulere cupiens decernit et declarat eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore emerint in ejusdem Costaricae dominis ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tum temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident, quique eisdem emptoribus successerint, vel ex jure succedunt, nullo unquam tempore, aut modo molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a suis successoribus Romanis Pontificibus; imo verè eorumdem honorum proprietatem, redditus, et emolumenta tuta et pacifica fore per seipsos, atque ab illis causam habentes: id tamen semper fixum firmumque esse de-

bebit, ut hujusmodi abusivae alienationes numquam renoventur.

Art. 20. Non impediatur quominus instituantur monasteria utriusque sexus cujuscumque ordinis et instituti a Sancta Sede adprobati. Quae autem ad regulares pertinent juxta Canonicarum legum et cujusque ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

Art. 21. Gubernium Reipublicae Costaricensis opportuna praebebit subsidia ad Fidei propagationem, et ad infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam et omnem praestabit favorem institutioni et progressui sacrarum Missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc Auctoritate Sacrae Congregationis propagandae fidei mittuntur.

Art. 22. Praevia declaratione a Gubernio per suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet gubernii ipsius mens est per juramentum formula infra-scripta expressum haud obligari in conscientia eos, qui juramentum illud praestent ad quidpiam peragendum, quod Dei et ecclesiae legibus adversetur, Sanctitas Sua assentitur sequens juramentum ab Episcopis coeterisque ecclesiasticis viris praestari posse
 « Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia
 » obedientiam et fidelitatem Gubernio per Consti-
 » tutionem Reipublicae Costaricensis statuto, item-
 » que promitto me nulli propositioni sive personae,
 » sive consilio adfuturum, quae Nationis indepen-
 » dentiae vel tranquillitati publicae noceat. »

Art. 23. Post divina officia in omnibus Costaricensis Reipublicae templis sic orabitur. « Domine,
 » salvam fac Rempublicam : Domine, salvum fac
 » Praesidem ejus. »

Art. 24. Sanctitas Sua Reipublicae Costaricensis exercitibus exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum castrensiu nomine cognoscuntur: atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias, sive exemptiones quas erit largitura, determinabit per Apostolicas Literas, quae expedientur cum praesens conventio publicabitur.

Art. 25. Reliqua omnia ad res, seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda juxta vigentem Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae disciplinam.

Art. 26. Per praesentem conventionem leges, ordinationes, decreta in Republica Costaricensi quocumque modo et tempore hucusque lata, in quantum conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur, atque eadem conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. 27. Ratificationes praesentis conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius si fieri poterit.

Art. 28. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint Sanctitas Sua per Apostolicas Literas praesentem conventionem confirmabit.

In quorum fidem praefati Plenipotentiarri praesenti Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die 7 Octobris 1852.

JACOBVS CARD. ANTONELLI

Loco ✠ Sigilli

FERDINANDVS LORENZANA

Loco ✠ Sigilli

Cum igitur hujusmodi conventiones, pacta et Concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis et conditionibus tum a nobis, tum a dilecto filio Illustri et Honorabili viro Costaricensis Reipublicae Praeside adprobata, confirmata et ratificata fuerint, cumque superius memoratae Reipublicae Praeses enixe a Nobis postulaverit, ut pro firmiori eorum subsistentia solemniori modo Supremae Apostolicae Nostrae auctoritatis robur adjiceremus; Nos plane in Domino confidentes fore, ut pro sua misericordia studia haec nostra in componendis ecclesiasticis rebus in Costaricensi republica copiosis divinae gratiae suae muneribus prosequi dignetur, ex certa scientia et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictas conventiones, pacta et concordata tenore praesentium adprobamus, ratificamus et acceptamus; illisque Apostolici muniminis et firmitatis robur atque efficaciam adjungimus.

Quantum autem in Nobis est monemus atque hortamur ecclesiasticos laicosque in superius memorata Republica Costaricensi degentes, ut pro sua quisque parte praemissa omnia et pacta ad majorem Dei gloriam, christianique nominis decus sedulo diligenterque observent: majorique animi contentione id unum prae oculis habeant, catholicae nimirum doctrinae puritatem, divini cultus nitorem, morumque honestatem: quae omnia non modo ad christiani nominis incrementum maximopere in illis Americano regionibus conferent, sed ad ipsius Costaricensis Reipublicae prosperitatem tranquillitatemque curandam.

Decernentes easdem praesentes Literas nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae, aut alio quocumque quamvis magno aut inexcogitato defectu notari aut impugnari posse, sed semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere quousque conditiones et pacta in tractatu expressa serventur.

Non obstantibus Apostolicis etiam in synodalibus et universalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis praesertim de jure quaesito non tollendo, necnon quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque piorum locorum foundationibus etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis et Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes, ceteris in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Apostolica quoque auctoritate decernimus ut harum Literarum Nostrarum transumptis etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis plena ubique fides habeatur, perinde ac si praesentes Apostolicae Literae exhibitae atque ostensae forent. Irritum insuper atque inane esse volumus atque decernimus quidquid secus super

iis a quoquam quavis auctoritate sive scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Concessionis, adprobationis, ratificationis, acceptationis, monitionis, hortationis, decreti, derogationis, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio Idibus Maji. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

V. P. CARD. SPINOLA PRO-DATARIUS

PRO DOMINO CARD. LAMBRYSCHINI

J. B. Brancaleoni Castellani
Substitutus

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius.

CONSTITVTIO

QVA COLLEGIVM XISTINVM AD SCALAS SANCTAS
SVPPRIMITVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Decet Romanum Pontificem inter multiplices Summi Pontificatus sollicitudines, et universalis Ecclesiae procurationem animum suum convertere ad Tempia, sacrasque Almae Urbis aedes, in quibus vetustissima Christianae Religionis monumenta asservantur, ut condecoratae et auctae decentius exornentur, earumque cultui magis magisque prospiciatur.

2. In id propterea a Nostri Pontificatus primordiis animum nostrum intendimus, idque postquam pacatis rebus, opitulante Domino, ad Urbem rediimus, impensius curavimus. Hac plane de causa ut de aliis taceamus in nostra Basilica Lateranensi Cyborium Urbanianum seu Tabernaculum, in quo Ss. Apostolorum Petri et Pauli capita conservantur, ad pristinum decorem restituimus; Locum Confessionis in ampliorem formam redactum, atque stylo ejusdem Cyborii conformatum volumus; et Altare ligneum super quo S. Petrus ut veneranda fert traditio, sacrum fecit marmoreis ornamentis munivimus.

3. Curam quoque Nostram convertendam duximus ad Cappellam, quae prope Basilicam Lateranensem extat, quaeque antiquissima et maxima majorum nostrorum veneratione a prisca aetate *Sancta*

Sanctorum appellatur, in qua augustissima Salvatoris Imago ab omni antiquitate summa religione colitur, et Scalae Sanctae a Sixto V Praedecessore Nostro constitutae reperiuntur, ut Christifideles per ipsas flexis genibus prostrati pie Deum precantes et Sacratissimae Passionis mysteria recolentes devota contemplatione ascendant.

4. Ad hujus celeberrimae Cappellae conservationem, splendorem, cultum atque custodiam speciale studium impenderunt Praedecessores Nostri Benedictus III, Innocentius III, Honorius III, Nicolaus III et Martinus V. Sixtus vero V a lateribus memoratae Cappellae duo Sacella aedificavit, auctisque aedibus in eis Scalas Sanctas collocavit; pro ut late exponitur in Apostolicis Literis ejusdem Pontificis, incipientibus « *Cum singularum rerum* » Nonis Junii Anni 1590 editis.

5. Hisce porro Literis Sixtus V in memoriam Passionis Domini, divinique cultus incrementum in novis Sacellis praedictis unam praeposituram, quae inibi Dignitas censeretur, Officium Sacristae pro uno Sacrista, qui curam Altarium Sclarum Sanctarum gereret, necnon quatuor Cappellanas pro totidem perpetuis Cappellanis et quatuor Clericatus pro totidem Clericis ac unum Ostiarium, certis legibus et conditionibus congrua dotatione et oneribus, praesertim Missarum quoad Praepositum, Sacristam et Cappellanos in memoratis duobus Sacellis celebrandarum perpetuo erexit atque constituit. Jus patronatus autem et praesentandi ad Praeposituram, ad Officium Sacristae, ad quatuor Cappellanas, et ad alia Beneficia Clericatus nuncupata Michaeli Peretto

Marchioni de Encisia suo ex sorore pronepoti, ejusque masculis ex masculis descendentibus juxta formam ab ipso praescriptam, et determinata lege substitutionis in casu, quo vocata linea deficeret, effrenatis verbis et clausulis reservavit.

6. At vero tractu temporis imminutis redivitibus memorato Collegio Sixtino ad Scalas Sanctas attributis res tandem eo devenit, ut Sclarum Sanctarum custodia quibusdam tantum laicis Eremitis concedita non sine Christifidelium offensione negligetur.

7. Haec quidem Nos non sine animo Nostri moerore accepimus. Idcirco summo opere cupientes divinum cultum in memoratis Cappella et Sacellis restituere et augere, populi Christiani devotionem erga sacratissimam Salvatoris imaginem promovere ac Christifideles ad recolendam D. N. J. C. Passionem in visitatione Sclarum Sanctarum excitare ac earundem custodiae prorsus providere, statuimus continentes aedes aedificare et in eis religiosam familiam constituere, quae sedulam, utilemque Sanctuarii curam et custodiam habeat, ad pia Divini cultus opera peragenda incumbat, Christifideles divini verbi pabulo reficiat ac Sacramentorum administratione ad salutis viam ducat.

8. Cum probe intelligeremus hujusmodi Nostri consilium, scopo a Sixto V intento apprimè respondere, illud significavimus Dilecto Filio Nobili Viro Laurentio Duci Sforza Cesarini Peretti Montalto, qui jurepatronatus et praesentandi ad superius memorata Beneficia ab eodem Pontifice concessio in praesens potitur et gaudet. Is vero animadvertens

quantum ad *Scalarum Sanctarum* decus et cultum conduceret si consilium Nostrum executioni demandaretur, et cupiens aliquid ex parte sua etiam conferre, per *sygrapham* die 16 Januarii Anni 1852 manu propria subscriptam Nobis proposuit perpetuam suppressionem memorati Collegii Sixtini, ejusdem honorum ac reddituum liberam administrationem et assignationem favore dicti Sanctuarii, prout Nobis magis placuerit, quae tamen assignatio locum habeat cum eadem Beneficia vacaverint; adjecta conditione, ut ex annua rata *Scutatorum Centum* ex dictis redditibus primo vacaturis desumenda constituatur *Cappellania* cum reservatione sibi, suisque descendentes in citata Sixtina Constitutione vocatis *Juris praesentandi ex nunc Cappellanum*, qui in alterutro ex memoratis *Sacellis* sive per se sive per alium *Presbyterum Missam* singulis diebus *Dominicis* celebrare teneatur; quodque *Familia Religiosa* ad custodiam *Scalarum Sanctarum* constituenda ad memoriam dumtaxat servandam pie institutionis a Sixto V factae perpetuis futuris temporibus ceream candelam die *Purificationis B. M. V.* ei, ejusque descendentes, de quibus supra quotannis offerat. Insuper idem *Nobilis Vir* pro se et futuris vocatis consensum super praemissis omnibus in eadem *sygrapha* praestitit, necnon retento favore suae familiae dumtaxat titulo *Patroni* mere honorifico; *Juripatronatus*, aliisque juribus quibuscumque super enunciato *Sanctuario ad Scalas Sanctas* illiusque bonis ac redditibus plene renunciavit, declarans se propterea exemptum futurum ab omni onere et obligatione proveniente ex eodem *Jurepatronatus* cui cessit.

9. Nos igitur Motu-proprio certa scientia et in-
 tura deliberatione, deque Apostolicae Potestatis ple-
 nitudine memoratae Sixti V Constitutioni incipienti
 « *Cum singularum rerum* » datae nonis Junii 1590,
 cujus tenorem hic de verbo ad verbum, praesertim
 quoad prohibitionem et formam derogationis haberi
 volumus pro expresso, penitus derogantes, consen-
 sum a memorato Nobili Viro datum, et renuncia-
 tionem ab eo emissam, etsi Defensor pro futuris vo-
 catis deputatus minime fuerit, nec aliae servatae
 solemnitates, quemlibet facti et juris defectum sup-
 plentes, praevia quatenus opus fuerit sanatione, ap-
 probamus, confirmamus, ratamque habemus; ac prae-
 fatum Collegium Sixtinum, scilicet Praeposituram,
 Cappellanas, Clericatus, Ostiariatum, cetera omnia
 Beneficia et Officia licet in praesens non vacent nec
 Praepositus, aliique desuper auditi sint, plene extin-
 guimus, supprimimus, ac extincta et suppressa esse
 declaramus ac omnia et singula bona, jura, actiones
 ad Scalas Sanctas et ad praefatum Collegium, Prae-
 posituram, Cappellanas, Clericatus, Beneficia et Offi-
 cia quovis titulo spectantes una cum inferiore Ora-
 torio et adnexis sub Sacello S. Laurentii posito,
 quod modo a pia sodalitate SS^mi Sacramenti Late-
 ranensis Basilicae retinetur, liberae Nostrae disposi-
 tioni pro Sanctuario tamen *ad Scalas Sanctas* reser-
 vamus, praeter annua scutata centum assignanda
 superius memoratae Cappellaniae erigendae ex redi-
 tibus jam vacatis, aliisque primo vacaturis; quam
 Cappellaniam in verum ac proprie dictum Beneficium
 ecclesiasticum erigimus cum onere et obligatione
 Rectori celebrationis et applicationis Missarum, prout

supra expressum fuit, et cum reservatione dumtaxat juris praesentandi ad eam favore ejusdem Nobilis Viri Laurentii, ejusque masculorum ex masculis descendentium juxta modum in Sixtina Constitutione quoad nominationem et praesentationem designatum, ita tamen ut Institutio ad praesentationem hujusmodi Dilecto Filio Nostro in Alma Urbe Vicario nunc et pro-tempore existenti concessa sit: Rector vero dictae Cappellaniae seu Beneficii usquedum integrum redditum annuum scutatorum centum non perceperit Missas habita ratione redditus quem percipit celebrare teneatur.

10. Volumus autem ut suppressi Collegii Sixtini Praepositus, Cappellani et Clerici, qui in praesens existunt, merum titulum retineant, redditum unicuique Beneficio adnexum percipiant ac donec aliter provisum fuerit, Missas celebrare, ceteraque officia exercere pergant.

11. Insuper cuicumque Juripatronatus quod Sixtus V praeter jus praesentandi ad enunciata Praeposituram et Beneficia concesserit, derogamus illudque prorsus abolemus, indulgentes, ut idem Nobilis Vir ejusque descendentes primogeniti masculi ex masculis titulum tantum patroni mere honorificum retinere possint, quin tamen aliquod jus in Sanctuarium ad Scalas Sanctas et in ejus aedes, bona ac redditus habere et exercere ullo modo valeant, declarantes ipsos liberos ab omni onere et obligatione cui Patroni juxta SS. Canones obnoxii sunt.

12. Cum autem memoratus Nobilis Vir non solum votis Nostris libenti animo obsecundaverit, verum etiam sponte bona dicti Collegii Sixtini Nobis

ad utilitatem ejusdem Sanctuarii obtulerit, sancimus ut Religiosa Familia, cui curam et custodiam Sca-
larum Sanctarum commitemus, die Purificationis
B. M. V. quotannis in perpetuum unam tantum
candelam trium librarum cereae albae ei ejusque
descendentibus masculis ex masculis supra in reser-
vatione juris praesentandi ad Cappellaniam designatis
offerat, ad memoriam dumtaxat servandam Sixtinae
institutionis.

13. Decernentes praesentes Nostras Literas, et in
eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet
in praemissis seu eorum aliquo jus vel interesse
habentes, seu habere quomodolibet praetendentes
etiam specifica et individua mentione et expressione
digni illis non consenserint, nec ad ea vocati et au-
diti, neque causae propter quas eadem praesentes
emanaverint adductae, verificateae vel sufficienter aut
alio modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet
etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, co-
lore, praetextu et capite ullo unquam tempore de
subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu
intentionis Nostrae vel interesse habentium consen-
sus, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac
formali et substantiali defectu, notari, impugnari,
infringi, invalidari, retractari, in controversiam vo-
cari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas,
aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve
quodcumque juris, facti vel gratiae remedium inten-
tari vel impetrari, aut etiam motu-proprio et de Apo-
stolicae Potestatis plenitudine concesso vel emanato
quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare
ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas,

validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

14. Sicque et non aliter in praemissis censi, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et defini debere: ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

15. Non obstantibus Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et ea praesertim *de jure quaesito non tollendo*, memorata Sixti V Constitutione, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus privilegiis quoque, exemptionibus et indultis specifica et individua mentione dignis etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis et cum quibusvis clausulis et decretis etiam derogatoriis derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie etiam Motu proprio, et de Apostolicae potestatis plenitudine seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu

quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis et specificatis respective habentes, ad praemissorum effectum plenissime et amplissime derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

16. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostram derogationis, confirmationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio Idibus Junii. Pontificatus Nostri Anno septimo.

V. P. CARD. SPINOLA PRO-DAT.

PRO DOMINO CARD. LANBRVSCINI

J. B. Brancaleoni Castellani Substitutus

Visa de Curia—Bruti

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SEMINARIVM PIVM INSTITVITVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cum Romani Pontifices Decessores Nostri de christiana et civilis reipublicae bono vel maxime solliciti, deque ingenuarum artium optimorumque studiorum incremento tot sane nominibus splendide meriti probe noscerent, quantopere ad augustae religionis et humanae societatis incolumitatem prosperitatemque procurandam, atque ad veram sanamque doctrinam tuendam conducat recta et accurata Cleri institutio, tum suas omnes curas cogitationesque in id praesertim singulari vigilantia conferre nunquam intermiserunt, ut omnes vocati in sortem Domini ad pietatem omnemque virtutem sedulo fingerentur, ac literis et disciplinis potissimum sacris rite imbuerentur, quo et morum gravitate et sapientiae praestantia clari fulgerent tamquam lucernae ardentes in Domo Dei, et magno sacrae publicaeque rei usui et ornamento essent. Quapropter iidem Pontifices providentissimo quidem sapientissimoque consilio, ac mirifica prorsus munificentia innumeras prope non solum in hac alma Urbe, sed ubique locorum Academiae, Seminaria, Collegia, Lycea vel a fundamentis excitare, vel instaurare, eaque rebus omnibus munire, effusisque largitionibus, redditibus locupletare, et amplissimis quibusque honoribus, praemiis, privilegiis

cumulare nunquam destiterunt, ut bonas artes, pulcherrimasque disciplinas interdum misere afflictas ac prostratas ad novam quasi vitam lucemque revocarent, easque in venustatis gloriaeque splendorem restituerent, et viros divino praecipue ministerio adiectos ad illas una cum religione excolendas, atque ad errorum tenebras profligandas excitarent et inflammarent. Quae quidem egregiae, ac plane singulares Praedecessorum Nostrorum de pia ac docta Cleri institutione sollicitudines et curae, omni certe praedicatione maiores effecerunt, ut quamplurimi ex ipso Clero semper prodierint viri, qui excellenti ingenio praediti, rebusque optimis instituti, ac vitae sanctitate spectati, et penitissima divinarum, sacrarum humanarumque rerum scientia, et omnigena eruditione clarissimi, atque de catholica Ecclesia, deque humana societate et literaria republica mirifice meriti eorum nomen immortalitati commendarunt. Et quidem omnes norunt permulta, eaque magna et insignia, ac nunquam interitura opera ab ecclesiasticis viris doctissime sapientissimeque elucubrata, atque in lucem edita, quibus philosophicarum praesertim, ac theologicarum rerum scientiam, et utriusque juris doctrinam, et sacrae profanaeque historiae cognitionem et humaniorum literarum, atque ingenuarum artium cultum cum maximo christianae et civilis reipublicae bono et utilitate illustrarunt, amplificarunt, atque ab interitu et erroribus vindicarunt. Ac nemo ignorat, vel ignorare potest, ipsos ecclesiasticos viros rite institutos, ac pietatis et doctrinae laude praestantes suis assiduis, gloriosisque laboribus nihil unquam intentatum reliquisse, ut

ignorantiae et vitiorum tenebras profligarent, errorum caliginem depellerent, atque hominum mentes animosque suavissima veritatis luce collustrarent, eosque saluberrimis divinae nostrae religionis praeceptis imbuerent, atque ad pietatem, religionem, omnemque virtutem, honestatem, et humanitatem informarent.

Jam vero si maxima semper vigilantia, ac singularis plane sollicitudo fuit adhibenda, ut ii omnes, qui in castris Domini militare cupiunt, pie sancteque educarentur, et optimis erudirentur disciplinis, neminem certe latet, quantopere christianae civilisque reipublicae intersit, tam salutare opus ubique ingeminatis studiis urgeri hisce praesertim asperrimis temporibus, quibus Ecclesiae rationes omnino postulant, ut quotidie magis optimorum Sacerdotum sublescat copia, qui virtutum omnium ornatu fulgentes, ac sana solidaque pollentes doctrina valeant proprii ministerii muneribus pie, sciteque perfungi, christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti accurate consulere, errantes ad veritatis et justitiae semitas reducere, ac Dei, Eiusque Sanctae Ecclesiae causam strenue, scienterque defendere, et insidiantium hominum fallacias detegere, errores refellere, insaniam ac temeritatem redarguere, et impetus frangere. Itaque cum Nobis nihil potius, nihil gratius, nihil optabilius esse possit, quam ut optima Cleri institutio quotidie magis in Pontificia Nostra praesertim Ditione foveatur et augeatur, idcirco vel ab ipso Supremo Nostri Pontificatus exordio in tanti momenti curas, sollicitudinesque Nostras intentissimo studio convertimus. Namque illustribus Decessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes consilium suscepimus

erigendi Nostris impensis novum in hac alma Urbe Nostra ecclesiasticum Seminarium, in quo adolescentes Clerici ex omnibus Pontificiae Nostrae Ditionis Dioecesibus delecti, sine eorum impendio tum pietate, tum ecclesiastico spiritu, ac bonis artibus et philosophicis praesertim, theologicisque disciplinis, et Sanctorum Patrum, atque ecclesiasticae historiae, et sacri, civilisque juris scientia perdiligenter imbuantur, et salutarem doctrinam ex ipso fonte hauriant, et omnia gravissima ecclesiastici ministerii munia, et sacrorum ritus ac caerimonias ex Ecclesiae omnium matris et magistracae more, institutisque condiscant, ac deinde studiorum curriculo confecto in patriam redeant. Siquidem hac ratione futurum confidimus, ut, Deo bene iuvante, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, quotidie magis in temporalis Nostrae Ditionis Dioecesibus optimorum Sacerdotum crescat numerus, qui vitae sanctimonia, et doctrinae laude commendati virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, ejusque spirituali bono inserviant, quique vel Parochi, vel Concionatoris, vel Praeceptoris, vel Vicarii Generalis munera pie scienterque exercere, ac propriis Antistitibus in Dominico agro excolendo auxiliariam operam utiliter navare possint, atque gloriantur.

Quamobrem ubi primum singulari Dei beneficio tristissimae rerum vicissitudines cessarunt, atque in hanc almam Urbem Nostram reversi sumus, nulla interposita mora ejusmodi consilium jamdiu a Nobis initum ad exitum perducere constituimus. Et quoniam novum hoc Seminarium excitandum esse censuimus

in S. Apollinaris Aedibus, quae primum a fel: rec: Gregorio XIII Decessore Nostro concessae fuere Collegio Germanico-Hungarico, ac postea a re: me: Leone XII item Praedecessore Nostro perpetuum in modum Seminario Romano attributae, idcirco de spiritali inclytae Germanicae-Hungaricae Nationis Nobis carissimae bono summopere solliciti, eidem Collegio Germanico-Hungarico Aedes satis amplas olim ad Romanum Seminarium pertinentes, ac vulgo Palatii Borromaei nomine appellatas perpetuo concessimus, et adsignavimus, ut ibi Germanica et Hungarica juvenus institui possit, iis omnibus servatis, quae idem Pontifex Gregorius XIII de ipso Germanico-Hungarico Collegio provide sapienterque praescripsit. Atque ad omnem controversiam hoc, futurisque temporibus penitus amovendam, earumdem Aedium, seu, uti dicunt, Palatii Borromaei concessionem et adsignationem Collegio Germanico-Hungarico a Nobis factam denuo hisce Literis auctoritate Nostra Apostolica confirmamus et sancimus, eamque perpetuo servari volumus atque mandamus. Ut autem hujus Nostri novi Seminarii Alumni in commemoratas S. Apollinaris Aedes in quibus Romanum Seminarium existit, commode admitti, ibique ali et institui possint, nullis certe sumptibus a Nobis parcendum esse existimavimus. Hinc aere Nostro, quod in tristissima temporum asperitate ex pientissimis totius catholici orbis largitionibus accepimus, non solum ipsas S. Apollinaris Aedes novis molitionibus attolli, ampliari, aptari, omnique debito instrumento ornari iussimus, verum etiam dotales assignavimus fundos, quibus novum Seminarium se

tueri, ac sustentare possit. Cum igitur Deo auxiliante ea omnia absoluta fuerint, quae ad tam salutare opus perficiendum omnino requirebantur, novum idem Seminarium constituendum esse censuimus.

Itaque motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ad majorem Omnipotentis Dei gloriam, Ejusque Sanctae Ecclesiae utilitatem in commemoratis S. Apollinaris Aedibus Seminarium ad Clericos omnium Pontificiae Nostrae Ditionis Dioecesium institutendos destinatum, quod SEMINARIUM PIVM appellari, propriisque legibus dirigi, ac Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris, et Cardinali in Urbe Vicario immediate et omnino subiectum esse volumus, hisce Literis perpetuum in modum fundamus, erigimus, et constituimus. Iubemus autem ea omnia diligentissime servari, quae ad eisdem Seminarii prosperitatem procurandam ac tuendam hisce Literis statuenda existimavimus, quaeque sunt uti sequuntur.

TITVLVS I.

DE MYNERIBVS VTRIQVE SEMINARIO COMMVNIBVS

Cum Tridentina Synodus sapientissime praescripserit (Sess. XXIII Cap. 18 De Reformat.) ut rebus cujusque Seminarii procurandis quatuor adsciscantur viri, tum statuimus, quatuor adesse ecclesiasticos viros a Summo Pontifice eligendos, qui Deputatorum officium obeuntes praesto esse debeant Cardinali Vicario in procuratione Seminarii cum Romani, tum

Pii. Eorum munus erit in res omnes utriusque Seminarium inquirere, et illorum ordini ac prosperitati consulere, Cardinali Vicario auxilium qua opere, qua consiliis praebere, quin tamen idem Cardinalis illorum placita sequi adigatur, cum immo ei liberum omnino sit ea peragere, quae potiora esse existimaverit.

Seminarium Pium propriis dirigetur legibus quamprimum edendis, sed immediate subiectum erit Romano Pontifici, ejusque Cardinali in Urbe Vicario.

Cum autem in Aedibus S. Apollinaris, ubi existit Seminarium Romanum, sit institutum Pium Seminarium, tum eodem Templo, iisdem Scholis, eademque Bibliotheca ipsius Seminarii Romani utetur.

Rector Ecclesiae, Scholarum Praefectus, et Bibliothecarius, et Custos Conclavis ad physica experimenta a Cardinali Vicario eligendi, et a Summo Pontifice probandi utrique Communitati minime sint obnoxii, sed unanimes earum bono et utilitati sedulo consulant.

Rector Templi S. Apollinaris erit Parochus Seminarium cum Romani tum Pii; nam Seminarium ipsa ab omni alio cujuslibet Parochi jurisdictione omnino immunia et exempta esse volumus. Quapropter idem Rector omnia Parochi munia erga utramque Communitatem exercebit eo prorsus modo, quem recemem: Leo XII Praedecessor Noster statuit atque praescripsit in suis Apostolicis Literis die nona mensis Aprilis anno 1824 editis, et Annulo Piscatoris obsignatis pro Seminario Romano. Ipse Rector in omnibus ejusdem Templi rebus suas curas impendat; horarum distributioni advigilet, itemque diligenti piorum

legatorum satisfactioni, omnibusque caerimoniis ordinariis et extraordinariis; subditos habeat Sacristam minorem, aliosque Templo inservientes, nitori et decori Domus Dei prospiciat, Sacra Missarum et Vesperarum solemnia singulis festis diebus peragenda, itemque Altaris ministerium et servitium alternis vicibus ab Alumnis Seminarii cum Romani tum Pii praestandum, consultis tamen utriusque Seminarii Rectoribus, moderetur. Alumni Seminarii Romani semper praecedere, ac dexteram in Choro retinere, primumque locum in sacris aliis quibusque caerimoniis, publicisque supplicationibus habere debent.

Ejusdem Rectoris erit curare, ut novi Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi, si qui erunt, in duobus Seminariis per hebdomadam, quae ad alterutrum spectat, eorum operam praestent, si vero desint, Rectores utriusque Seminarii consulat, ex quorum prudentia defectui provideatur. Animadvertet praeterea, ut in solemnibus primae classis festivis diebus juxta hebdomadae orbem a Rectoribus iisdem sacrae functiones peragantur, iisque diebus Communio generalis Alumnorum utriusque Seminarii, et Clericorum discipulorum fiat.

Pro divini verbi praeconio exercendo statuimus ut ex mutua Rectorum sententia plures eligantur juvenes idonei Theologiae discipuli, qui a prima Dominica Sacri Adventus usque ad prostremam Mensis Junii inter Missarum solemnia e suggestu explanent sacra evangelia, atque harum explanationum cursus a Seminario Romano initium ducet. Utriusque Seminarii Rectores pro eorum prudentia, et ex Cardinalis Vicarii consilio ac judicio aliquem eligant ido-

neum ecclesiasticum virum, qui proprii Seminarii Alumnos opportunis praeceptis et exemplis ad huiusmodi exercitium, sacrasque conciones privatim erudiat et instruat.

Praefectus studiorum vel inter Antistites seu Praelatos, vel ecclesiasticos viros clarissimos a Nobis, et Successoribus Nostris eligendus studiorum rationi praesidebit. Ipse Pro-Praefectum habeat a Cardinali Vicario eligendum, et a Summo Pontifice approbandum, qui Praefecti Scholarum munere fungens omni studio advigilet Scholarum ordini, ac pio et literario iuvenum progressui, et in exterorum praesertim Clericorum mores inquireat.

Bibliothecarius, qui ecclesiasticus vir debet esse, bibliothecae custodiam habeat, quae tam Doctoribus Decurialibus, quam utriusque Seminarii Alumnis patebit diebus et horis in studiorum methodo praescribendis.

Aderit etiam Custos Conclavis ad physica experimenta. Idem Conclave cum Romani, tum Pii Seminarii Alumnis patebit juxta regulas in eadem studiorum methodo constituendas.

TITVLVS II.

DE MVNERIBVS PROPRIIS SEMINARII PII

Rector Pii Seminarii, qui singulari pietate, prudentia, ac doctrina praestare maxime debet, a Summo Pontifice erit nominandus; ipse vero summam rerum ita moderabitur, ut Cardinali Vicario subiaceat.

Alii vero spectati ecclesiastici viri a Cardinali Vicario eligendi et a Summo Pontifice adprobandi primariis fungentur muneribus, et eidem Cardinali Vicario subiecti erunt, nempe

Pro-Rector, qui Alumnorum congressus, colloquia statis diebus dirigat, dummodo Rector ipse ab hoc officio se abstinere velit.

Magister pietatis, qui debet spiritualia de coelestibus rebus colloquia, et sacros sermones festis diebus ad Alumnos habere, quando illis Rector et Pro-Rector vacare haud possint; itemque sacramentales eorum Alumnorum confessiones excipere, qui libere et sponte ad ipsum accedere voluerint. Quocirca duo externi ecclesiastici viri ex probatissimis Presbyteris a Cardinali Vicario eligentur, qui statis diebus ad sacramentales Alumnorum confessiones excipiendas accedant.

Oeconomus, qui administrationem reddituum, omnesque expensas curet.

Rector et Pro-Rector in loco precationum, et in coenaculo adstant; quum vero ipsi id simul peragere nequeant, unus saltem non desit.

Pro mathesim addiscentibus probus externus magister, Seminarii sumptu, illuc se conferat praescriptis diebus et horis, ut in huiusmodi facultate eos exerceat et scholae lectiones patienter iteret atque explanet; nisi magis opportunum visum fuerit operam adhibere ipsius Decurialis Doctoris, qui loco et horis distinctis id peragendum curet.

TITVLVS III.

DE ALVMNORVM NVMERO

Ditionis Pontificiae Dioeceses, Sublaqueo et Benevento inclusis, sunt octò supra sexaginta; videlicet Suburbicariae, Archiepiscopales et Episcopales, vel cum una tantum cathedra et civitate, vel cum pluribus cathedris et civitatibus rite unitis. Quaelibet Dioecesis unius loci jure perpetuo fruetur; in Dioecesibus unitis hujusmodi privilegium alternis exercbitur. Senogalliensis Dioecesis, utpote quae Nostrum natale solum, duorum locorum jus habebit.

Etsi vero ordinarius Alumnorum numerus ad septuaginta pertingere debeat, tamen ad excitandos eorum juvenum animos, qui ex rei domesticae difficultate impares omnino sunt patrimonio ecclesiastico sibi comparando, ut maiori contentione ad studia incumbant, statuimus ex Pii Seminarii dote summam detrahi nummorum scutatorum octoginta, quae in aequas partes divisa sacri patrimonii titulo duobus Clericis Pii Seminarii Alumnis inserviat. Ad hujusmodi consequendum beneficium post testimonium de paupertate allatum instituat specimen a Cardinali Vicario, eoque praemio donandus erit, qui merito ceteris praestabit. Ubi vero ipse aliquo ecclesiastico beneficio eadem summa non minori, vel alia ecclesiastica pensione donatus fuerit, ab eo patrimonio decadat. Si autem desit occasio deferendi patrimonium, tunc locus qui superest ad Summi Pontificis arbitrium et voluntatem illi concedetur Dioecesi, quam idem Pontifex praeferre voluerit.

TITVLVS IV.

DE ALVMNORVM ADMISSIONE ET DOTIBVS

Seminarium Pium futuro mense Novembri ineunte aperietur. Juvenes in illud admittendi ita paullatim erunt primum excipiendi, ut tertio anno praefinitus eorum numerus expleatur. In eodem Seminario juvenes ipsi institutionis causa non ultra nonum annum morentur.

Ordo alphabeticus Dioecesium in iis excipiendis servetur; sed Clerici Sedium tum Suburbicariarum, tum Archiepiscopalium erunt anteferendi. Unus vel plures ex eadem Dioecesi poterunt offerri.

Cum tempus ac modus invitationis et admissionis vel ab ipso exordio peculiare postulent sollicitudines, Cardinalis Vicarius Nostro nutu encyclicas mittet literas ad omnes in Ditione Pontificia Sacrorum Antistites, et eos monebit de hoc singulari Nostro beneficio collato, de dotibus et muneribus juvenum, deque doctrinae periculo subeundo.

Clerici saltem prima Tonsura donati ex Dioecetano Seminario sumpti erunt anteferendi, nam eorum institutio proprii Episcopi curis suscepta non leve testimonium praebet futuri progressus, eorumque vocationis.

Nemo admittatur, nisi ex anteactae vitae ratione ad Sacerdotium se vocari sentiat; qui hujusmodi vocatione caret, quamvis bonos praeseferat mores ac sui spem exhibeat dimittetur. Etenim Seminarium Pium eo unice spectat, ut ecclesiastici instituantur viri bono propriae cujusque Ecclesiae profuturi.

Sano praeterea sint corpore, lingua minime impedita et adpectu non deformi; Grammatica ac Rhetorica periti, nam hisce de rebus examen habebitur.

Omnes proprii Episcopi testimonio sint praediti, in quo eluceat, Clericos ea in Dioecesi ortos esse ex honestis parentibus, nullam sordescentem artem exercentibus; ibique domicilium habere; ex eodem praeterea testimonio constet, Clericos ipsos propter bonos eorum mores Dioecesi utiles et Deo fideles devotosque fore.

TITVLVS V.

DE STVDIORVM RATIONE

Juvenum peritia instituto examine dignoscetur. Studiorum curriculum in Seminario Pio a Philosophia initium ducet. Hae autem facultates erunt addiscendae juxta methodum statuendam, scilicet universa Philosophia, Theologia Dogmatica et Moralis, Divinorum Librorum et Sanctorum Patrum scientia, lingua hebraica, graeca, historia ecclesiastica, sacri ritus, itemque Jus Canonicum, Civile et Criminale Vicariis praesertim Generalibus vel maxime utile et necessarium.

Cantus Gregorianus, omni alio rejecto tradetur, atque unus erit magister pro utroque Seminario, sed diverso tempore et loco.

TITVLVS VI.

DE ADMITTENDORVM CLERICORVM EXAMINE

In omnibus Pontificiae Ditionis Dioecesibus examen habebitur coram proprio Antistite vel Vicario Generali aut Capitulari, qui indicto examinis die una cum Synodalibus Examinatoribus, secreti lege religiosissime servata, proponat ex tempore competitoribus argumenta, de quibus specimen dare debent. Candidatus vel Candidati in conclave coacti, interea dum vir ab Episcopo probatus advigilabit, ut intra praefinitum temporis spatium argumenta explanentur absque librorum ope, excepto tantum lexico, eorum opus obibunt. Eo elaborato, scripta obsignata Episcopo statim tradantur, qui ea perpendat cum iisdem Synodalibus Examinatoribus et secretis eorum acceptis suffragiis, quae tamen uti consultatoria habenda sunt, eadem scripta Romam Cardinali Vicario mittet una cum epistola de animi, ingeniique dotibus eujuslibet Clerici competitoris, et indice eorum dotium, addita quoque habiti scrutinii relatione.

Ubi epistola Romam pervenerit, nulla interjecta mora, Cardinalis in Urbe Vicarius examinatores in consilium vocabit ac praesente Pii Seminarii Rectore, perpensis scriptis et inspectis dotibus Clerici petitoris ac testimonio proprii Antistitis, definitivam feret sententiam de idoneitate juvenis admittendi, et de hac re Dioecesanum Antistitem certiores faciet.

Cum in Seminario Pio studiorum curriculum a Philosophia initium ducere debeat, Clerici petitores specimen exhibere tenentur de humaniorum litera-

rum, Rethoricae artis et latinae linguae peritia, quam scripto experiantur oportet.

1.^o Super argumento, quod ex improvise proposito, latina soluta oratione, veluti in Rethoricis Scholis fieri solet, erit componendum, tractandum et scribendum.

2.^o Item in latina poesi super argumento, quod pariter ex tempore erit proponendum, metro ad Antistitis arbitrium assumpto.

3.^o In extemporali italica translatione alicujus clarissimi Auctoris latini.

Si candidatus rhetor rejiciatur, intra sex menses ad alterum experimentum accedere ei fas erit. Pro Dioecesebus insimul junctis ubi primum experimentum improspere succedat, earum Episcopus admittere poterit ad examen Clericum alterius suae Dioecesis. Verum si Dioecesis quaelibet Candidato careat, Cardinalis Vicarius arbitrio suo advocabit Clericum alius Dioecesis populosae et indigae, ratione in primis habita Fregellarum Dioecesis, quae S. Sedi subiecta intra fines Neapolitani Regni sita est. Quum aliqua Dioecesis nequeat idoneum mittere alumnum, debet expectare donec Clericus alius in ejus locum suffectus studiorum expleverit cursum, vel quavis alia de causa admissioni fuerit locus. Nulla Dioecesis privilegio uti poterit duo habendi in Seminario Pio loca, excepta Senogalliensi Dioecesi.

Alumnus legitimo experimento adprobatus in Seminarium admittetur scholarum initio. Comite Rectore Summum adeat Pontificem, ut debitum praestet obsequium et reverentiam, itemque Cardinalem Vicarium. Trium mensium spatio sub specie tyrocinii

propria veste indutus in Seminario tanquam in hospitio degat sed legibus, aliisque ceterorum Alumnorum muneribus obnoxius. Tertio elapso mense decem dies spiritualibus exercitationibus vacet; generalem totius anteactae vitae confessionem peragat; oportet enim ut pietatis et ecclesiasticae vitae fundamenta jaciat et vocationem, quam Deus illi impertiri dignatus est, serio perpendat.

Deinde ex prudentia et arbitrio Rectoris propriam Seminarii vestem assumat, quae talaris erit nigri coloris cum pallio aeque nigro et fascia coloris violacei. Eo die, postquam sacris adstiterit et Eucharistiae Sacramento se refecerit jusjurandum dare debet supra sancta Evangelia, velle se absolutis in Seminario studiis, in propriae Diocesis et Episcopi servitium remigrare; quod quidem actum in tabulas referatur a Rectore, a Candidato, ac duobus testibus subscribendum. Solus legitimus Apostolatus Missionum exterarum, donec ad illas incumbat ab hoc vinculo eum solvere potest.

Expleto suae aetatis anno vigesimo primo sacrum Subdiaconatus ordinem rite suscipiet ac deinde Diaconatus quoque et Presbyteratus Ordinibus ad Sacrorum Canonum normam initiari debet, proprii tamen Episcopi Dimissorialibus Literis semper relatis.

Quotiescumque Alumnus vel valetudinis causa, vel aliqua culpa vel Seminarii legum inobservantia, vel verae vocationis defectu, priusquam studia expleat, dimittatur, ejus Episcopus jure potitur offerendi alium Clericum, experimento tamen habito ea ratione, qua praescriptum est.

Quarto quoque mense Rector de consensu Cardinalis Vicarii tradet Summo Pontifici relationem de progressu cujuslibet alumni in pietate et in scientia. Si quis autem pietatem, orationem, studium, coerimoniarum in Templo sedulitatem negligat, dummodo non iis agatur de casibus, in quibus juxta leges et Cardinalis Vicarii judicium sine mora sit ejiciendus, admoneatur, et si ter admonitus haud respiscat, sibi imputet si e Collegio dimoveatur.

Seminarium onus habebit alendi et instituendi juvenes absque eorum expensa.

Eorum parentes die ingressus tantum pecuniae penes Seminarii Ministros deponant, quantum dimissionis vel discessus causa, interdum subita, juvenibus sufficiat tum ad vestes necessarias sibi comparandas, tum ad itineris impensas sustinendas.

TITVLVS VII.

DE GRADVVM ET LAVREAE COLLATIONE

Seminario Pio per has Literas auctoritate Nostra Apostolica privilegium perpetuo concedimus conferendi suis Alumnis in Philosophicis ac Theologicis disciplinis tres gradus, nempe Baccalaureatum, Licentiam et Doctoratum, iis tamen omnibus diligentissime servatis, quae in studiorum methodo praescribentur, ut eosdem gradus obtineant.

Et quoniam Canonici, Civilis, Criminalis Juris scientiam ibi tradendam esse censuimus, atque earum disciplinarum Cathedras Nostris sumptibus erigendas esse decrevimus, idcirco majori cum Romani

tum Pii Seminarii utilitati ac splendori prospicere maxime cupientes, hisce Literis eadem auctoritate Nostra Apostolica Seminario tam Romano, quam Pio privilegium perpetuo tribuimus deferendi commemoratos tres gradus, scilicet Baccalaureatum, Licentiam et Doctoratum in utroque Jure. Item eadem auctoritate Nostra perpetuum in modum concedimus, ut hoc privilegio perfrui quoque possint ii Clerici externi dumtaxat, qui studiorum curriculum in Scholis S. Apollinaris inierint, ibique confecerint, quique jurisprudentiae operam dare voluerint. Ab hujusmodi privilegio juvenes laicos, qui easdem S. Apollinaris scholas frequentant, exclusos esse semper volumus.

Quo vero Alumni Seminarii cum Romani tum Pii et externi Clerici commemoratos gradus et Lauream Doctoralem in facultatibus legalibus consequi valeant, praecipimus, statuimus et mandamus ut Canonici, Civilis et Criminalis Juris cursum diligenter peragant et expleant juxta methodum pariter praescribendam.

Laureae publice conferantur in Aula Aedium S. Apollinaris.

Qui Baccalaureatu aut Licentia aut Laurea in praedictis facultatibus donatus fuerit, is qualibet vice Fidei professionem emittere debet juxta formam a Pio IV praescriptam.

Quaecumque diplomata Cardinalis Vicarii ac Praefecti studiorum subscriptione muniantur.

Volumus autem, ut utriusque Seminarii Alumni et Clerici externi, qui hisce gradibus in commemoratis disciplinis honestati fuerint, omnibus et singu-

lis juribus, privilegiis, indultis, praerogativis omnino perfruantur, perinde ac si gradus ipsos in Romano Sapientiae Archigymnasio et in qualibet alia Universitate consequuti fuissent.

Denique volumus, ut haec Pontificia Nostra Pii Seminarii institutio semper integra et inviolata persistat, atque idem Pium Seminarium propriis legibus dirigendum, a Seminario Romano plane distinctum ac sejunctum esse omnino debeat. Quapropter si unquam futuris temporibus quaevis auctoritas voverit aut idem Pium Seminarium cum Romano conjungere et, uti dicunt, incorporare aut quovis praetextu, titulo, causa et quaesito colore aliqua ex parte immutare, alterare finem, methodum, scopum a Nobis expressum et sancitum, in hisce omnibus casibus jam nunc declaramus, volumus, praecipimus et mandamus, ut omnia et singula cujusque generis bona, fundi, redditus, supellex et quaecumque instrumenta, quibus Pium Seminarium a Nobis aere Nostro fuerit dotatum ac deinceps quavis alia ratione instructum, ipso jure statim et omni ex parte devolvantur, ac destinentur ad instituendum et sustentandum exterarum Missionum Collegium ad arbitrium et voluntatem Congregationis christianae fidei propagandae praepositae, ut in hoc Collegio Clerici Dioecesium Pontificiae Ditionis prae ceteris alantur, atque ad salutare exterarum Missionum opus peragendum rite erudiantur et instituantur. Si autem desint Clerici Pontificiae Ditionis, in eorum locum eadem de causa Clericos cujuslibet Dioecesis vel Provinciae catholici Orbis suffici et eligi volumus et jubemus.

Haec volumus, statuimus atque mandamus decernentes has Nostras Literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperiitionis oris aut aliud quodcumque juris vel facti, aut justitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere et ab omnibus, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari ac supradictis Seminariis Romano et Pio, necnon Personis, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, Apostolicis re: me: Leonis XII. Praedecessoris Nostri Literis, quinto Kalendas Septembris Anno 1824 sub Plumbo datis, quarum initium « Quod divina sapientia » aliisque supramemoratis ejusdem Leonis XII Decessoris Nostri Apostolicis Literis Annulo Piscatoris obsigna-

tis, ac 9 Aprilis Anno 1824 editis, quae incipiunt « Recolentes » nec non de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, itemque Collegii Germanico-Hungarici, et Romani Seminarii etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus quamvis espressa, specifica et individua mentione dignis; quibus omnibus et singulis, eorum totis tenoribus ac formis praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationis, Erectionis, Institutionis, Deputationis, Nominationis, Subjectionis Jussionis, Derogationis, Commissionis, Statuti, Decreti, ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Tertio, quarto Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

V. P. CARD. PRO-DATARIVS — A. CARD. LAMBRVSCINI

Visa de Curia D. Bruti

Læco ✠ Plumbi.

V. Cugnonius

Rerum omnium et effector et arbiter, immortalis Deus, nihil aversatur magis, quam insanam mentis humanae superbiam; eamque ob causam propriis fidentes viribus, fastuque tumentes perculit, afflixit, humiles vero, atque abjectos superno confirmatos auxilio ad ardua quaelibet gerenda excitavit. Nec priscis tantum temporibus ad frangendam philistei gigantis audaciam adolescentis direxit manum, necandumque Olophernem imbellis feminae armavit dexteram, verum per consequentes omnes aetates infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Id porro saeculo Ecclesiae sextodecimo vidimus contigisse, quo saeculo dum vana quadam, et effreni inimica Deo sapientia elati homines captivare intellectum in obsequium fidei per superbiam detrectantes teterrima errorum monstra ad animarum cladem proferrent, humilis, ac simplex puella obscuro loco nata verae, ac sinceræ religionis cultrix, spiritu sapientiae et intellectus divinitus aucta praestantissimarum exercitio virtutum supra aetatem, supra conditionem usque adeo excelluit, ut ad Ecclesiam universam, nedum ad Galliam, ubi ortum duxit, illustrandam novum tamquam sidus effulserit. Haec porro Pibraci, quod est Oppidum intra fines Dioecesis Tolosanae pauperibus parentibus edita in lucem est 1579 et baptismatis aquis lustrata Germanae nomen accepit. Jam inde a pueritia patiendi nacta occasionem, virtutis iter asperitatis plenum alacri ani-

mo ingressa est. Namque orbata matre infensum novercae animum tulit, ejusque opera paternis aedibus ejecta quippe quae strumis laboraret custodiendo gregi addicta fuit. Atque hujusmodi vitae genere venerabilis puella usa mirifice est ad proficiendum in sanctimonia: namque inter arborum solitudinem, nemonumque silentia facilius ab humanis caducisque rebus alienata mentem suam acrius defixit in Deum, cujus amore aestuans sive oves ad pascua duceret, sive femineis intenta laboribus stamen de colo traheret ab orandi studio nunquam desistebat. Quominus accurate obiret religionis officia deterreri nunquam potuit vel longitudine itineris, vel asperitate viarum; siquidem relicto in silvis grege divinae providentiae spe sustentata templum quantumvis distans quotidie petebat, sacris ut adesset, seque frequenter expiabat sacramento poenitentiae, divinaeque mensae pabulo reficiebat. Gentricem Dei tamquam parentem filia venerabatur, eique frequens exhibebat obsequii, et pietatis officia. Charitate erga Deum penitus succensa proximos quoque dilexit ex animo, quibus prout humilis suae fortunae conditio ferre potuit, omnibus in rebus prodesse satagit, sive quae ad animum, sive quae ad corpus pertineant. Hinc pueros mysteriis fidei erudire solita fuit, eosque informare ad pietatem, detractoque sibi exiguo pane, quo vescebatur unice, egenorum famem relevabat. Mansuetudinis vero, patientiae, firmitatis exempla edidit illustria plane ac singularia. Etenim in credito sibi custodiendi gregis officio algori atque aestibus obnoxia, strumarum morbo vel a primis annis cruciata, et quoties paternam repeteret domum a noverca durius

atque inclementius habita, et in obscuro ipsius domus angulo rigidum super stramen, ut quietem caperet jacere coacta, attamen tot aerumnis molestiisque victa nunquam est, immovero eandem semper oris hilaritatem praesetulit, utpote quae pati et contemni summopere gauderet, ut conformis fieret imagini Filii Dei. Quum in suscepta christianae perfectionis via innocens puella alacris et constans insisteret vocata tandem ad praemia meritorum mortalem hanc, et miseriarum plenam vitam cum aeterna ac beata commutavit annum agens vicesimum supra secundum. Tantus virtutum splendor non potuit non percellere oculos omnium eique non conciliare sanctitatis opinionem, quae post ejus obitum non remissa est nec elanguit, sed longe lateque percrebuit, et vero etiam aucta in primis est, quum anno quadragesimo, postquam e vita decessisset, mortales virginis exuviae incorruptae atque integrae recentibusque conspersae floribus repertae sunt. Cui quidem prodigio alia multa accessere superna virtute ad tumulum Servae Dei patrata miracula, quorum fama excitata Archiepiscopalis Curia Tolosana inquirendum existimavit tum in facta illa mirabilia, tum in exuvias ipsas inhumatas adhuc et incorruptas extantes, easque pertinere ad Venerabilem Germanam oculati duo testes, qui ipsam viventem probe noverant confirmarunt. Hanc praeclaram divino etiam testimonio probatam virtutem dignam esse noverunt Tolosani Antistites, quae ex Apostolicae Sedis iudicio coelestium honores assequeretur. Verum secuta illa sunt tempora universae Ecclesiae, nedum Galliae rebus asperrima et luctuosa, eaque impedimento fuerunt,

quominus hujusmodi causa posset institui. Atqui veneranda sunt divinae Providentiae consilia, quae causam ipsam ad aetatem nostram reservavit, ut nimirum proposito puellae hujus exemplo per innocentiae et humilitatis viam ad beatorum gloriam et honores evectae excitetur ac reviviscat, quae in multorum animis pene extincta est, fides et ex christianae religionis disciplina inores emendentur. Attamen quum anni biscentum quadraginta duo effluxissent ab interitu Venerabilis Servae Dei, fieri vix posse videbatur, ut legitimae praesto essent probationes ad disceptandum, judicandumque de virtutibus illius, patrisque ea deprecante miraculis, ut beatorum albo adscribi posset. Qui vero ponit humiles in sublime, omnem sustulit difficultatem Deus; neque enim sine peculiari illius providentia contigisse dicendum est, ut Venerabilis Germanae gestorum, prodigiorumque traditio constans ad nos atque integra perlata sit. Et primo quidem illud mirum, quod familiae quae versabantur Pibraci dum ipsa in vivis aegeret, ibi adhuc perstent ac degant, interque eas hominum aetas adeo producta fuerit, ut per tres vel quatuor testes rerum memoria ad nostra haec tempora pervenerit. Virtutes autem innocentissimae hujus virginis, et non intermissa prodigiorum series tanta fide, atque integritate a proavis avisque ad nepotes posterisque transmissa est, ut in tanto annorum intervallo mira omnium in referendo ingenuitas, mira simplicitas, mira omnium concordia, quae quidem certissima signa sunt atque argumenta veritatis. Itaque postquam in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Car-

dinalium sacris ritibus tuendis praepositorum de virtutibus Venerabilis Germanae accurate fuisset disceptatum, Nos fervidis ad Deum effusis precibus constare de ejusdem virtutibus in gradu heroico palam ediximus per decretum VII Kalendas Junias evulgatum anno 1850. Tum in eadem Congregatione institutum judicium est de quatuor miraculis, quae illa deprecante a Deo patrata ferebantur, cumque post severum examen tum Consultorum suffragiis, tum Cardinalium sententiis fuissent probata, Nos implorata prius a Patre luminum coelesti ope et auxilio de eorumdem veritate miraculorum decretum edidimus III Nonas Maii anni vertentis 1853. Quod unum reliquum erat, coacta de more coram Nobis est pridie Kalendas Junias eadem Cardinalium Congregatio acceptisque Consultorum suffragiis unanimiter censuit tuto posse quum Nobis visum esset Venerabili Servae Dei beatorum honores decerni cum omnibus indultis, donec sollemnis ejus canonizatio celebretur. Nos igitur permoti precibus omnium Galliae Antistitum Clerique universi tum Saecularis tum Regularis de consilio et assensu eorumdem Cardinalium legitimis ritibus cognoscendis praepositorum Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium Literarum facultatem impertimur, ut eadem Venerabilis Dei Serva Germana Cousin Beatae nomine in posterum nuncupetur, ejusque corpus et lipsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) palam exponantur a fidelibus colendae. Insuper dicta Auctoritate concedimus ut de illa recitetur quotannis officium et missa de Communi Virginum cum orationibus propriis per

Nos approbatis juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Id tamen fieri dumtaxat concedimus Pi-braci, et in Dioecesi Tolosana die XV Junji ab omnibus fidelibus tam Saecularibus, quam Regularibus qui horas canonicas recitare tenentur, et quod ad Missas attinet etiam a Sacerdotibus ad Ecclesias, ubi festum celebretur accurrentibus. Denique concedimus, ut anno ab hisce datis Literis primo Solemnia Beatificationis Servae Dei praedictae in templis Tolosanae Dioecesis celebrentur cum officio, et Missa duplicis majoris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinariis indicenda, ac postquam eadem Solemnia in Basilica Vaticana absoluta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et Sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam judicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Literis ostensis haberetur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die Prima Julii anno Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Tertio Pontificatus Nostri anno Octavo.

PRO D. CARD. LAMBRV SCHINI.

JO: BAPT: BRANCALEONI CASTELLANI SVBST.

Quae duo ad Sacrum Ministerium in primis pertinent, videlicet christianae fidei veritatem adserere et bene vivendi normam aliis tradere, ea in Martyrio peculiari quadam ratione commendata esse videntur. Nemo enim firmiter veritatem quam diximus testatur, quam qui suo eam sanguine obsignat, et alii optime ad bene vivendum informantur, cum illos exemplo doceamus, pro religione ac virtute ad sanguinem usque esse resistendum. Ita in ipsis Ecclesiae exordiis primi illi Evangelii praecones ministerium suum adornarunt; ita postea quotquot sacerdotes gloriose pro suo munere vi impiorum occubuerunt. Id autem ipsum saeculo XVII intra ipsos Europae fines omnium oculis objectum est, cum Venerabilis Andreas Bobola Sacerdos Professor Societatis Jesu vitam praeclare actam et animarum saluti plane deditam martyrio conclusit. Natus ille in Provincia Palatinatus Sandomiriensis in Polonia gentem suam domi bellicae illustrem proprio merito illustriorem fecit. Jam inde a pueritia ingenio bono atque optimo egregiam sui spem excitavit: adolescens autem aetate virtute superabat sic, ut ii quorum disciplinae traditus fuerat, ipsum aequalibus tamquam exemplar proponerent; non enim aut splendidae domus commoda, aut honores quos polliceri sibi jure poterat, aut denique voluptates ab Dei amore ac studio Sanctimoniae egregium juvenem vel paullum retardarunt. Imo intelligens, experientia

duce, se, quamdiu in saeculo viveret, in turbido ac pleno tempestatum pelago jactari, in portum salutis mature adeo appellere festinavit, atque adeo annos natus novem ac decem Wilnae Societati Jesu nomen dare voluit, in qua e rerum humanarum cura et mundi illecebris remotus in virtute unice conquiesceret. Tum statim Sanctioris vitae fundamenta posuit, et nihil aliud sequi visus est, nisi quod animum suum perficeret ac propius ad Deum adduceret: quod studium in posterum nunquam remisit, imo auxit in dies magis; et una ab disciplinis praesertim Sacris doctrinam solidam sibi parandam curavit. Haec inter de moderatorum voluntate suscepit munus plenum negotii ac laboris, sed amplissimi fructus, institutionem nimirum adolescentum in literis et puerorum in christianae fidei rudimentis, quod illi viam stravit ad aliud longe amplius, unde et aliis aeterna salus, et ipsi palma honestissima provenire debebat. Sacerdos factus ex ea dignitate novos spiritus novasque vires sumpsit ad lucem gentibus effundendam, quod unice concupierat, et ad quod consilio Divino vocabatur. Hoc Wilnae primum, tum Bobroiskii exercuit eo ardore ac vigilantia, quam nec labores prope innumeri, nec temporum adversitas nec hostium minae nec denique morbus pestilens qui tres continenter annos per ea loca crassatus est, imminuerent: ita omnes vel in christiana perfectione obfirmabat vel ad religionem virtutemque reducebat sic, ut venator animarum vulgari nomine vocaretur. Tristis hic et plena aeternarum calamitas eas regiones tunc temporis divexavit. Populi enim non modo e vera religione sed

etiam ab omni humanitate remoti Poloniam invaserunt, iidemque odio in fidem catholicam acerrimo Sacerdotes praecipue vexabant, diripiebant et comprehensos servituti subjiciebant vel ad mortem rapiiebant. Andreas qui tunc temporis in Lituania Sacris Missionibus munus suum vigilantissime obibat, non quidem timorem, sed contra laetitiam singularem ex iis concepit animo; quippe oblatam occasionem videbat proprio Sanguine rei catholicae testimonium dandi. Multis jamdiu virtutibus ille se ad hanc victoriam comparaverat: studio fidei et in se augendae et in aliis adserendae ac propagandae: charitate maxima qua Christum imitatus animam ponere pro ejus ovibus desiderabat: Spe firmissima aeternae gloriae per martyrium habendae: precatione assidua, qua in Deo defixus nunquam inde mentem avocabat: insigni morum candore et demisso admodum de se rebusque suis sensu; quae omnia pietate maxima erga Virginem Deiparam fovebat atque augebat in dies magis. Nec diu certamen quod optabat, remoratum est. Hostes enim quibus invisus illius in sacro ministerio alacritas, necnon fructus maximi ex eo cepti, postridie nonas Maii anno 1657 prope Janoviam virum Dei comprehenderunt. Non quidem una aut altera poena in illum adhibetur, sed plane innumerae atque acerbissimae: expediuntur flagella, acuuntur enses, faces ad incendendum parantur; quae cum omnia fortiter tolerasset fidem catholicam constantissime confitens et veniam tortoribus precatus, vulnera vulneribus toto corpore adduntur, eademque nova barbarie exasperantur, tum vena resecata semivivus media via projicitur ut ibi longa morte mo-

reretur; atque ita sane contigisset, nisi carnificum quidam ensis ictu mortem ipsi attulisset. Haec longe ac late vulgata non in Polonia solum sed et alibi famam maximam de illo excitavere. Quamobrem Apostolica Sedes rem totam cognoscendam dedit sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrorum Rituum Judicibus, ac felicis recordationis PP. Benedictus XIV Praedecessor Noster V Idus Februarii anni 1755 decretum edidit, quo declaravit martyrium et causam martyrii Ven. Andreae Bobola ita probari, ut procedi posset ad ulteriora nempe ad discussionem et approbationem quatuor miraculorum juxta formam decreti generalis diei 23 Aprilis anni 1741. Id porro confectum est et ab s. m. PP. Gregorio XVI Praedecessore item Nostro qui de Sententia Consultorum et Cardinalium dictae Congregationis Sacrorum Rituum VIII Kalendas Februarias anni 1835 solemniter edixit, constare de uno miraculo, scilicet de incorruptione miro cum odore corporis Venerabilis Servi Dei; ac demum a Nobis, qui deputato peculiari consilio Cardinalium ejusdem Congregationis, et auditis suffragatorum sententiis, necnon divino lumine humili cum prece exorato anno currente in festivitate Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi pronuntiavimus, constare de tribus miraculis a Deo patratis intercessore Ven. Andrea Bobola. Supererat, ut de more Cardinales memoratae Congregationis interrogarentur, num censerent, tuto eum Beatorum Ordini accenseri posse; iique in generali Coetu habito coram Nobis pridie Kalendas Junii hujus anni unanimiter assenserunt. Nihilominus ali- quod temporis spatium precationi voluimus, ut in

re adeo gravi suo Nos Deus lumine collustraret. Quod cum impense fecerimus, tandem die Sacro Nativitati Praecursoris Domini in Basilica Nostra Lateranensi solemniter pronuntiavimus, tuto procedi posse ad solemnem Ven. Andreae Bobola Beatificationem. Quapropter nunc Nos, ut in tanta temporum difficultate atque hostium multitudine novum habeant christifideles exemplum, quo fortes ad certamen efficiantur ad preces totius Societatis Jesu, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum Auctoritate Apostolica per Hasce Literas facultatem facimus, ut idem Dei Servus Andreas Bobola Sacerdos Professus Societatis Jesu qui pro catholica fide animarumque salute martyrium fecit, Beati nomine in posterum appelletur, ejusque corpus et Sacra Lipsana seu Reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publice fidelium venerationi proponantur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus, ut de eo recitetur quotannis Officium et Missa de communi unius Martyris cum Orationibus propriis a Nobis approbatis juxta Missalis et Breviarii Romani rubricas: Ejusdem vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat in Dioecesi Luceoriensi et per omnes Domos seu Tempa Societatis Jesu X Kalendas Junias die octavo ab anniversaria gloriosae Ejus mortis memoria ab omnibus Christifidelibus tam Saecularibus quam Regularibus qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas, etiam a Sacerdotibus qui celebrent ad Ecclesias in quibus hoc festum peragitur. Denique concedimus etiam, ut anno pri-

mo ab Hisce Literis datis Solemnia Beatificationis Servi Dei Andreae Bobola in Ecclesiis Dioecesis et Societatis praefatarum celebrentur cum Officio et Missis ritus duplicis majoris: quod fieri volumus die ab ordinariis Sacris Praesidibus indicendo, et postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon Decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Literarum exemplis etiam impressis, modo manu Secretarii dictae Congregationis scripta, et Praefecti sigillo munita sint, eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Literis ostensis, haberetur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die Quinta Julii anno Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo Tertio. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

PRO D. CARD. LAMBRV SCHINI

JO. B. BRANCALEONI CASTELLANI SVBST.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CONVENTIO INTER SANCTAM SEDEM

ET

PRAESIDEM GVATIMALENSIS REIPVBLICAE CONFIRMATVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

In celsissima Petri Sede, qua major in terris excogitari nequit, licet indigne collocati labores omnes suscepimus, assiduamque dedimus operam, sive ad Fidei dogmata custodienda, sive ad Ecclesiae jura tutanda, sive ad Christifidelium ea commoda augenda, quibus ad sanctitatem justitiamque magis magisque hisce praesertim temporibus mores suos componerent, nullaque in re ardentius adlaboravimus, quam ut in universo terrarum orbe munere Nobis divinitus commisso impigre fungeremur. Summo autem gaudio, maximaque laetitia perfusi fuimus quoties Nobis evenit, ut Pastoralis Nostrae sollicitudinis consilia, Deo Optimo Maximo opitulante, benevertent. Hoc sane Nobis accidit in illa Septentrionalis Americae plaga, quae Guatimalensis Respublica nuncupatur, quaeque cum Regionum vastitate, populique Christiani in dies augmentum multopere commendetur, Apostolicam Nostram sollicitudinem enixe requirere videbatur. Vix enim dilectus Filius illustris et honorabilis Vir, Exercitus Dux, Raphael Carrera immediate a Nobis efflagitavit, ut Dominico Gregi

in illa Republica consuleremus, ipsius votis libentissime annuimus, utque omnia ad exoptatum finem citissime perducerentur, in plenipotentiarium Ministrum selegimus dilectum Filium Nostrum Jacobum Sanctae Agathae ad Suburram, Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconum Cardinalem Antonelli nuncupatum, Nostrum a publicis negotiis Adjutorem, ut cum dilecto etiam Filio Ferdinando Lorenzana Belmontis Marchione cum liberis mandatis apud Sanctam Sedem, Guatimalensis Reipublicae Administrato, gravissimum hoc negotium peragendum susceperet. Qui ambo post mutuo tradita respectivae plenipotentiae documenta, Conventionem inierunt, quam die septima Octobris proxime elapsi suo quisque nomine ob-signavit suoque Sigillo munivit. In hac Conventione cum Republica ipsa Guatimalensi ubi Catholica religio admodum viget, libera cum Romano Pontifice omnibus est communicatio Episcoporum jura juxta Sacros Canones et praesertim Tridentinam Synodum sacra tectaue habentur. Ecclesia sua bona libere et independenter possidere atque acquirere potest, Decimas exigit, nonnullasque a Gubernio ipso dotationes accipit. Seminaria pro adolescentibus in sortem Domini vocatis ab Ordinarii solummodo dependentia statuuntur, Cleri incolunitati, Religiosis utriusque sexus Monasteriis prospicitur, benemoratae juvenum institutioni, Catholicaeque Religionis propagationi, atque augmento in tam a Nobis dissitis regionibus providetur, aliaque multa statuuntur juxta superius memoratos Canones, temporumque rationes, quae in Domino expedire minime dubitantur. Cum vero omnia in eadem Conventione pacta atque contenta a Vene-

rabilibus Fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Congregationis Ecclesiasticis extraordinariis Negotiis praepositae, sedulo discussa et animadversa fuerint, et a Nobis ipsis maturo examine perpensa de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio, atque Sententia Conventioni eidem annuendum esse duximus. Hisce igitur Apostolicis Nostris Literis nota facimus atque vulgamus, quae ad Christianae religionis incrementum fideliumque utilitatem in Guatimalensi Republica sequenti Conventione statuta fuerunt.

CONVENTIO

INTER

SANCTISSIMUM DOM. PIVM IX SYMMVM PONTIFICEM

ATQVE

ILLVSTREM ET HONORABLEM VIRVM

RAPHAELEM CARRERA GVATIMALENSIS

REIPVBLICAE PRAESIDEM

IN NOMINE SANCTISSIMAE TRINITATIS

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius Nonus et Praeses Reipublicae Guatimalensis, Dux Exercitus Raphael Carrera in suos respectivos plenipotentiarios nominarunt, Sanctitas Sua Eminentissimum Dominum Jacobum Antonelli Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, Diaconum Sanctae Agathae ad Suburram, Suum Ministrum a publicis negociis, et Reipublicae Praeses Excellentissimum Dominum Ferdinandum Lorenzana Marchionem de Belmonte, Equitem Ordinis Hierosolymitani a Sancto Sepulchro, Equitem a magna Cruce, itemque Torquatum Gregorianum, Equitem Torquatum Francisci Primi Neapolitani et Administrum cum liberis mandatis apud Sedem Apostolicam. Qui post mutuo tradita respectivae plenipotentiae Instrumenta de iis, quae sequuntur convenerunt.

Art. 1. Religio Catholica Apostolica Romana esse pergat religio Reipublicae Guatimalensis, atque inibi

sarta tecta perpetuo conservabitur cum omnibus iis juribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et Canonicis Sanctionibus.

Art. 2. Hinc Juventutis institutio in Universitatibus, Collegiis, Scholis tam publicis quam privatis et aliis omnibus educationis seu instructionis institutis, erit plane conformis doctrinae ejusdem Religionis Catholicae, et idcirco Episcopi et locorum Ordinarii liberi omnino erunt in dirigenda doctrina, quae ad Theologicas et Canonici juris facultates, et ad alias Ecclesiasticas cujusque generis disciplinas pertinet. Insuper iidem Ordinarii et Episcopi, praeter illam sollicitudinem, quam ex proprii ministerii officio in religiosam juventutis educationem exercent, advigilabunt etiam, ut in quavis alia tradenda disciplina nihil adsit, quod Catholicae religioni morumque honestati adversetur.

Art. 3. Episcopi praeterea jure suo fruentur examinandi et censuram ferendi in omnes libros et scripta quae ad fidei dogmata, Ecclesiae disciplinam et ad publicam morum honestatem quovis modo pertinent et Supremum Guatimalense gubernium omnem auctoritatis suae opem et operam praestabit ad tuendas dispositiones, quas ipsi Episcopi juxta Canonicas sanctiones suscepturi erunt ad religionem tuendam, atque ad devitandum quidquid eidem religioni adversari possit.

Art. 4. Cum Romanus Pontifex primatum in universam qua late patet Ecclesiam jure divino obtineat tum Episcopi, Clerus et populus libere cum Apostolica Sede communicabunt.

Art. 5. Guatimalense gubernium obligatione se obstringit, ut decimae sarctae tectae habeantur, et illae sua interposita auctoritate, omnino solventur; quae etiamsi Archiepiscopalis Sedes aut illius Dioecesis beneficia vacaverint; in ipsius Archiepiscopalis Sedis, Capituli et Seminarii dote, in divini cultus sumptibus ac Metropolitano templo instaurando integrae impendi plane debeant. Instituetur Ecclesiasticorum Virorum Commissio, quos Ordinarius ipse ex Metropolitanae Ecclesiae Canonicis, quantum fieri possit, eliget. Eidem Commissioni Ordinarius praerit; Sede autem vacante Vicarius Capitularis, quae quidem commissio, donec Sedes aut Beneficia vacaverint, illorum redditus exigere et administrare, eosque sive in Sacras aedes reficiendas sive in eleemosynas elargiendas vel in alios omnino pios ac religiosos usus ipsius Commissionis iudicio juxta indigentias et opportunitates erogare omnino debet. Si ob temporum adjuncta, quae praevideri non possunt, aliqua de decimis immutatio induci deberet, id fieri nunquam poterit, prout juris est quin Apostolica Sedes suam primum interposuerit auctoritatem, et quin Gubernium idem alios attribuat fundos, quibus decens et liber seu independens redditus constituatur ad veram Ecclesiae proprietatem asserendam, iis omnibus pollentem juribus, quibus ejusdem Reipublicae quilibet proprietarius fruitur. Cum autem in praesentia decimae haud sufficiant iis sustinendis, quorum causae destinatae sunt, idcirco Gubernium idem ex publico aerario annuam pecuniae vim attribuet, quae erit solvenda etiam postquam decimae in meliorem conditionem adductae fuerint, quaeque

recognoscitur uti verum Ecclesiae creditum in Statum pro summa quatuor mille scutat. monetae dividenda juxta subsequens schema videlicet pro Archiepiscopo Mille, pro quolibet ex quinque dignitatibus trescentum, pro unoquoque ex quinque Canonicatibus, biscentum, et pro Fabrica Metropolitanani templi quingenta scutata similia.

Art. 6. Parochi pergunt percipere, donec iis congruus, tutus ac independens redditus ab ordinario adprobatus assignetur, primitias et emolumenta, quae vulgo a stola nuncupantur, salvo semper Ordinarii jure haec ultima pro sua Conscientia moderandi peculiari statuto quod, uti opus fuerit examini et probationi ipsius Ordinarii subjicietur, collatis cum gubernio consiliis pro auxilio per ipsum Gubernium praestando ut illa tuto ac revera a Parochis exigantur. Cum in Guatimalensi Republica nonnulli adsint fundi ex juribus, aut uti dicunt ex fabricae taxis constituti ad hoc ut hi in Ecclesiae utilitatem, in divini cultus impendia et in paroeciarum pauperum subsidium vere erogentur, ipsum Gubernium, quin tamen unquam ullum jus habeat administrandi eosdem fundos, potest advigilare, ut fundi iidem enunciatum modo impendantur, et ad id in singulis abusivis casibus ab Ordinario efflagitabit ut debita remedia adhibeat. Quoties fundi paroeciarum indigentis necessarii desint, gubernium spondet se opportuno modo iisdem indigentis provisurum susceptis cum Ordinario consiliis.

Art. 7. Obligationum causa quibus Gubernium se obstringit, Summus Pontifex concedit Praesidi Reipublicae Guatimalensis ejusque in munere suc-

cessoribus, jus proponendi ad Sedem Archiepiscopalem vacantem, et ad quasque Sedes Episcopales vacantes ubi fuerint Canonice erectae, dignos et idoneos ecclesiasticos viros iis omnibus praeditos dotibus, quas sacri canones requirunt. Talibus autem Viris Sanctitas Sua, juxta regulas ab Ecclesia praescriptas et formas consuetas, canonicam dabit institutionem. Antequam vero iidem Viri Canonicae hujus institutionis Literas Apostolicas obtinuerint, nullo modo se immiscere poterunt regimini seu administrationi Ecclesiarum ad quas designati fuerint, prout a Sacris Canonibus sancitum est. Reipublicae autem Praeses non ultra Annum a vacationis die idoneos hosce Viros proponet.

Art. 8. Eadem de causa Summus Pontifex Praesidi indultum concedit nominandi, in quolibet Capitulo ad sex praebendas dumtaxat sive Dignitates sint sive Canonicatus, aut simplices praebendae, excepta prima Dignitate, quae Sanctae Sedis collationi reservata erit, et quam ipse Summus Pontifex Clerum Guatimalensem sua benignitate prosequi volens uni ex Ecclesiasticis ejusdem Cleri Viro conferet, necnon exceptis praebendis Doctorali, Poenitentiaria ac Magistrali, quas Episcopi, praevio experimento sive concursu rite habito iis conferentur, quos digniores judicaverint. Reipublicae Praeses, his semper exceptis ad sex illas praebendas nominabit, quae primum vacaturae sunt, quaeque ad ipsius nominationem perpetuo pertinebunt. Reliquae autem, cujuscumque tandem classis et numeri sint vel futuris temporibus existent; ab Episcopis conferentur. Id tamen non impedit, quominus aliae Praebendae in Capitulis possint institui quae per publicum experimentum seu concursum

obtinendae sint; quae semel ita constitutae nullo modo in posterum variari poterunt.

Art. 9. Paroeciae omnes juxta Concilii Tridentini praescriptum conferentur per publicum experimentum, seu Concursum, quo absoluto Episcopi tres ex approbatis Reipublicae Praesidi praesentantur, qui unum ex iis seliget, eodem plane modo, qui adhuc in more fuit.

Art. 10. Sancta Sedes proprio utens jure novas Dioeceses eriget, ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id fidelium necessitas, aut utilitas postulaverit. Verumtamen ubi id contigerit, cum Guatimalensi gubernio consilia conferet. In unaquaque earumdem Dioecesium instituentur Canonicorum Capitulum et Episcopale Seminarium accomodate ad Cleri Dioecesani numerum, et ipsarum Dioecesium indigentias. Pro dote cujusque Sedis, Capituli et Seminarii, quae erigenda erunt, ea norma erit sequenda quae pro aliis jam existentibus est statuta, collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium consiliis, quo ejusmodi dos decora ac plane libera, seu independens sit.

Art. 11. Item in singulis Dioecesibus a propriis Ordinariis novae erigentur paroeciae, cum id fidelium necessitas et utilitas requirat, atque in hac re perficienda cum Gubernio erunt ineunda consilia ubi et quatenus civilium rerum rationes sint conciliandae.

Art. 12. In Guatimalensi Dioecesi, Seminarium Archiepiscopale erit conservandum, in iis autem Dioecesibus, quae futuro tempore constituentur, nulla interposita mora, cum praedicta pariter dote erunt

erigenda. In Seminaria autem admittentur, ibique ad normam Sancti Concilii Tridentini instituentur, ii Adolescentes, quos Archiepiscopus et Episcopi ex propria Dioecesis necessitate vel utilitate excipiendos esse judicaverint. Ea omnia quae ad eorundem Seminariorum regimen, Ordinationem, doctrinam, gubernationem et administrationem pertinent a Dioecetano Antistite unice pendere debent, qui suam liberam, plenamque auctoritatem, et jus in ea exercet. Rectores quoque et Professores Seminariorum ab Episcopo libere nominabuntur et quotiescumque necessarium, vel utile ab ipso judicabitur, removebuntur.

Art. 13. Sede vacante, Metropolitanae, vel Suffraganeae Ecclesiae Capitulum infra tempus praefinitum, et ad normam eorum, quae a Sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, Vicarium Capitularem libere eliget, quin electionem semel factam revocare, vel ad novam procedere possit, qualibet consuetudine de medio sublata ac penitus abolita, quae in hac re Sacrorum Canonum Sanctionibus quovis nomine adversetur.

Art. 14. Causae omnes, fidem, Sacramenta, Sacras functiones, aliaque officia et jura Sacro Ministerio adnexa respicientes, et generatim causae omnes Ecclesiasticae naturae, ad Ecclesiasticae auctoritatis judicium unice pertinent, juxta Sacrorum Canonum normam.

Art. 15. Temporum ratione habita, Sanctitas Sua consentit, ut causae civiles Clericorum ad laicos judices deferantur, sive personales sint, sive reales, quae scilicet possessiones, atque alia temporalia Clerico-

rum, Ecclesiarum, Beneficiorum aliarumque Ecclesiasticarum foundationum jura respiciant. Si vero contigerit, ut inter Ecclesiasticos Viros habeantur quaestiones, illas Episcopi veluti arbitri dirimere aut conciliare poterunt; ita ut quoties hujusmodi experimentum omittatur, et desit legale documentum, ex quo constet experimentum idem absque ullo effectu fuisse peractum, nullum Status tribunal poterit actorum petitiones admittere, et ad illarum cognitionem procedere.

Art. 16. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus causae criminales Ecclesiasticorum pro delictis, quae criminalibus Reipublicae legibus animadvertuntur, quaeque ad religionem non pertinent ad Laicorum Tribunalia deferantur; cum vero agitur de judiciis secundae et ultimae instantiae in illud Tribunal inter judices etiam duo saltem Ecclesiastici Viri, quos Ordinarius nominat, erunt omnino admittendi. Haec judicia minime publica erunt et respectivae sententiae poenam capitis, seu poenam afflictivam, aut infamiam inferentes nunquam erunt exequendae absque Supremo Praesidis Reipublicae approbatione, vel antequam propriis cujusque Ecclesiastici Viri Episcopus ea absolverit quae Sacri Canones praescribunt. In deprehendis et detinendis Ecclesiasticis, ii erunt adhibendi modi, quos reverentia Status Clericalis exigit, et cum aliquis Ecclesiasticus vir fuerit deprehensus, nulla interiecta mora, Episcopus de hac re erit monendus: in hujus articuli dispositione plane excluduntur causae majores, quae Apostolicae Sedi reservatae sunt juxta Sacri

Concilii Tridentini praescripta Sessione Vigesima-quarta de Reform. Capite Quinto.

Art. 17. Cum Ordinarii liberi omnino sint in proprio Ministerio exercendo, poterunt juxta vigentem, et adprobatam Ecclesiae disciplinam illos coercere Ecclesiasticos Viros, qui a proprii muneris officiis, et a recta vivendi ratione deflectunt.

Art. 18. Ecclesia jure pollet novas acquirendi possessiones quovis justo titulo, ejusque acquisitae res, aut foundationes sacrae et inviolabiles erunt, aequae ac proprietates aliorum Civium Guatimalae Reipublicae, ideoque nulla foundationum suppressio, vel unio fieri poterit absque interventu Auctoritatis Apostolicae Sedis, salvo facultatibus Episcoporum juxta Concilii Tridentini normam.

Art. 19. Ob rerum ac temporum adjuncta Sancta Sedes consentit, ut fundi et Ecclesiastica bona publicis subjiciantur vectigalibus aequae ac aliorum Guatimalensis Dictionis Civium bona; exceptis tamen Ecclesiis, seu Sacris aedibus divino cultui dicatis.

Art. 20. Attenta utilitate, quae ex praesenti Conventione in Catholicam religionem manat, Sanctitas Sua Guatimalensis Reipublicae Praesidis postulacionibus annuens, et publicae tranquillitati consulere cupiens, decernit et declarat eos qui durante praeteritarum vicissitudinum tempore, emerint in ejusdem Reipublicae dominiis Ecclesiastica bona, vel census redemerint, ad civilium legum tunc temporis vigentium normam, et in praesentia illa possident quique eidem emptoribus successerint, vel ex jure succedunt, nullo unquam tempore aut modo, molestiam ullam habituros, neque a Sua Sanctitate, neque a

Suis Successoribus Romanis Pontificibus; immo vero eorumdem bonorum proprietatem, redditus et emolumenta tuta, et pacifica fore penes ipsos, atque ab iis causam habentes. Id tamen semper fixum, firmissimumque esse debet, ut ejusmodi abusivae alienationes nunquam renoventur.

Art. 21. Monasteria regularium utriusque sexus, quae in Guatimalensis Reipublicae territorio nunc existunt, erunt servanda, neque impediatur, quominus alia instituantur Monasteria. Quae autem ad regulares pertinent, juxta Canonicarum legum et cujusque Ordinis constitutionum normam erunt dirigenda et administranda.

Art. 22. Gubernium Reipublicae Guatimalae opportuna praebit subsidia ad fidei propagationem et ad Infidelium in suo territorio existentium conversionem procurandam, et omnem praestabit favorem institutioni et progressui Sacrarum Missionum, quae ad hunc laudabilem finem illuc auctoritate Sacrae Congregationis propagandae fidei mittuntur.

Art. 23. Praevia declaratione a Gubernio per Suum Plenipotentiarium emissa, quod scilicet Gubernii ipsius mens est per juramentum, formula infrascripta expressum, haud obligari in conscientia eos, qui juramentum illud praestent, ad quidpiam peragendum quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur; Sanctitas Sua assentitur sequens juramentum ab Episcopis, Vicariis Capitalaribus, caeterisque Ecclesiasticis Viris praestari posse « Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem Gubernio per Constitutionem Reipublicae Guatimalensis Statuto; itemque promitto me nulli propositioni, sive perso-

na, sive consilio adfuturum, quae Nationis independentiae, vel tranquillitati publicae noceat.

Art. 24. Post divina officia in omnibus Guatimalae templis sic orabitur: « Domine salvam fac Rempublicam: Domine salvum fac Praesidem ejus ».

Art. 25. Sanctitas Sua Reipublicae Guatimalae exercitiis exemptiones et gratias concedit, quae sub generali privilegiorum Castrensi nomine cognoscuntur; atque eadem Sanctitas Sua singulas sive gratias sive exemptiones, quas erit largitura, determinabit per Apostolicas Literas, quae expedientur, cum praesens Conventio publicabitur.

Art. 26. Reliqua omnia ad res seu personas ecclesiasticas spectantia, de quibus in hisce Articulis nulla habita mentio est, erunt omnino dirigenda et administranda juxta vigentem Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae disciplinam.

Art. 27. Per praesentem conventionem leges, ordinationes, decreta in Republica Guatimalae quocumque modo, et tempore huc usque lata, in quantum Conventioni eidem adversantur, abrogata omnino censentur; atque eadem Conventio veluti lex status in futurum omne tempus valitura habebitur.

Art. 28. Ratificationes praesentis Conventionis mutuo tradentur Romae decem et octo mensium spatio, aut citius, si fieri poterit.

Art. 29. Statim ac praedictae ratificationes mutuo traditae fuerint, Sanctitas Sua per Apostolicas Literas praesentem conventionem confirmabit. In quorum fidem praefati Plenipotentiarum praesenti Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignavit.

Actum Romae die Septima Octobris Anni Mille-
simi Octingentesimi quinquagesimi secundi.

Jacobus Cardinalis Antonelli Loco ✕ Sigilli.

Ferdinando de Lorenzana Loco ✕ Sigilli.

Cum igitur hujusmodi Conventionis pacta, et concordata in omnibus, et singulis punctis clausulis, articulis et conditionibus tum a Nobis, tum a laudato Reipublicae Guatimalensis Praeside fuerint adprobata, confirmata, atque ratificata, et cum Praeses enixe postulaverit, ut pro firmiori eorum omnium subsistentia robur Apostolicae firmitatis adjungeremus, ac solemniorem auctoritatem, et decretum interponeremus, Nos plane in Domino confidentes fore, ut pro sua misericordia, studia haec Nostra in componendis Ecclesiasticis rebus in Guatimalensi Republica copiosis divinae Suae gratiae muneribus prosequi dignetur, ex certa scientia et matura Nostra deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine supradictas concessionem pacta, et concordata tenore praesentium adprobamus, ratificamus et acceptamus, illisque Apostolici muniminis et firmitatis robur et efficaciam adjungimus. Majori autem qua possumus animi contentione omnes et singulos in Guatimalensi Republica Antistites nunc degentes, et a Nobis postmodum instituendos, eorumque successores et Clerum universum monemus, atque in Domino hortamur, ut praemissa omnia ad Majorem Dei gloriam, Sanctae Ecclesiae utilitatem, animarumque salutem a Nobis decreta in iis, quae ad ipsos pertinent sedulo diligenterque serventur, omnesque cogitationes, curas, consilia, conatusque conferant, ut Catholicae doctrinae puritas, divini cultus nitor, Ecclesiasticae disciplinae splendor, Ecclesiae legum ob-

servantia, morumque honestas in Guatimalensis Reipublicae Christifidelibus magis magisque refulgeat! Decernentes easdem praesentes Literas nullo unquam tempore de subreptionis et obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quoëumque quantumvis magno, aut inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere et inviolabiliter observari debere, quousque conditiones et pacta in tractatu expressa servantur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis et Synodalibus provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus et Ordinationibus ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de jure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque Ecclesiarum, Capitulorum, aliorumque piorum locorum foundationibus, etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque indultis et Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis, et ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus. Praeterea quia difficile foret praesentes Literas ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apostolica Auctoritate decernimus, et mandamus ut earum transumptis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, plena ubique fides adhi-

beatur, perinde ac si praesentes Literae forent exhibitae vel ostensae. Et insuper irritum et inane decernimus si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Concessionis, approbationis, ratificationis, acceptationis, monitionis, hortationis decreti, derogationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Quinquagesimo tertio. Tertio Nonas Augusti. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

V. P. CARD. SPINOLA PRO-DAT.

PRO DOMINO CARD. LAMBRYSCINI

J. B. Brancaleoni Castellani Substitutus

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS SENOGALLIAE GYMNASIVM INSTITVITVR
ET SODALIBVS SOC. JESV COMMITTVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Senogalliae urbis, patriae Nobis carissimae, hono-
dignitati ac splendori consulere vehementer cupientes
haud omittimus inter multiplices, gravissimasque su-
premi Apostolici Nostri ministerii curas et sollicitu-
dines ea praesertim inire consilia, quae ad majorem
rei cum sacrae tum civilis prosperitatem in eadem
civitate procurandam conducere posse cognoscimus.
Hinc alacri prorsus, libentissimoque animo luculenta
Nostri in urbem ipsam, ejusque cives amoris et be-
nevolentiae testimonia exhibentes, non solum sum-
ptibus Nostris novas ibi paroecias erigendas, ac do-
tandas, verum etiam plura alia constituenda esse cen-
suimus, ut spirituali, et civili Senogalliensis urbis
utilitati majorem in modum prospiceremus. Cum au-
tem compertum exploratumque sit, experientia et
religione magistra ac duce, ex recta adolescentiae
institutione tamquam ex germano perennique fonte
omnia in christianam et civilem rempublicam bona
redundare, quae aliunde vel frustra mutuari possunt,
vel brevi post tempore fluctuantia et lapsa conspi-
ciuntur, tum nullum certe majus meliusque munus
Senogalliae Nos afferre unquam posse existimavimus,
quam si omni studio curas cogitationesque Nostras

ad christianam et literariam adolescentium institutionem ibi meliori atque utiliori modo constituendam promovendamque converteremus. Atque eo magis in tanti momenti negotium Nostras sollicitudines conferendas esse duximus, quod non sine maximo animi Nostri dolore probe noscimus quae quantaque pericula improvidam juventutem undique circumstent, hisce potissimum asperrimis temporibus, quibus terrimi et captiosissimi tum Dei, tum hominum hostes nefariis cujusque generis insidiis fraudibus et molitionibus imperitae praesertim juventuti fel draconis in calice Babylonis propinare non desinunt. Etenim diabolica prorsus malitia omnia conantur, ut cum maximo et nunquam satis deplorando religionis, atque ipsius civilis societatis damno incautam juventutem monstrosis quibusque opinionum portentis, ac perniciosissimis erroribus depravare, corrumpere, eamque a sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus, et ab recta morum honestate, ab omni aequi bonique norma avertere, atque ad prava quaeque vitia et flagitia, ac interitum exitiumque impellere possint.

Itaque in Senogalliensi civitate Gymnasium Nostra expensa erigendum statuimus, in quo adolescentes religione, pietate ac bonis sanctisque moribus sedulo instituantur, ac simul humanioribus literis severioribusque disciplinis erudiantur. Ita porro Senogalliense Municipium ab onere eximimus sustinendi scholas pro juventutis institutione. Quapropter aedes satis amplas Senogalliae in regione vulgo *Piazza del Duomo* sitas et *Palatii* nomine appellatas, ac plures alias domos ipsis aedibus, seu Palatio vicinas sum-

ptibus Nostris emendas curavimus. Hinc tum easdem aedes, tum commemoratas domos novis operum molitionibus ita ampliari aptari et ornari jussimus, ut unum idemque satis amplum formaretur aedificium, in quo non solum omnes Gymnasii scholae earumque magistri commode existant, verum etiam plura ac diversa sint cubicula, in quibus tam juvenum convictus haberi, quam salutare spiritualium exercitiorum opus a viris peragi queat. Atque eodem tempore Templum illis aedibus adjacens, ac sanctissimae Dei Genitrici immaculatae Virgini Mariae sacrum, et ad piam hominum Sodalitatem ab ipsa Deipara in caelum evecta, et ejus Rosario nominatam pertinens in ampliorem elegantioreque formam restitui, ac splendidiori cultu exornari, et cum omni aedificio conjungi, et eidem Gymnasio una cum aedicula illi Templo adjecta attribui jussimus, ne quidquam desideretur, quod ad ejusdem Gymnasii usum possit pertinere. Atque eidem Sodalitati Templum S. Rochi dicatum adsignandum censuimus, in quo ipsa Sodalitas consuetas religionis et pietatis exercitationes agere pergat, et compensationis titulo ob commemoratam aediculam eidem Sodalitati summam scutorum centum semel tantum dandam esse mandavimus.

Cum autem Deo bene juvante ea ad exitum perducta fuerint, quae ad idem Gymnasium constitendum requirebantur, tum illius foundationem minime remorandam esse existimavimus. Quamobrem motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Literis in Senogalliensi civitate, atque in com-

moratis aedibus Gymnasium, quod Nobis, et huic Apostolicae Sedi immediate subjectum esse volumus, ac futuro mense Novembri erit aperiendum, perpetuo erigimus, fundamus, et constituimus. Quo in Gymnasio tradi volumus Grammaticam linguae cum Latinae tum Italicae, itemque humaniorum Literarum, et Rhetoricae artis praecepta, ac Logicae, Metaphysicae, Mathesis, Physicae, et Ethices scientiam, ac Divinorum Librorum, itemque dogmaticae et moralis Theologiae, et ecclesiasticae Historiae, ac Juris canonici, civilis et criminalis doctrinam. Quarum facultatum scholae ipsius Gymnasii redditibus aere Nostro attributis erunt sustinendae. Senogalliensis autem Municipii desideriis perlibenter obsecundantes permittimus, ut ibi, ipsius tamen Municipii impensa, existere possint scholae artis nauticae et agrariae, atque diagrammatis, ea tamen lege, ut qui has scholas frequentant subiciantur disciplinae, et illis pietatis exercitiis, quibus omnes Gymnasii discipuli sunt obnoxii.

Jam vero hujus Senogalliensis Gymnasii a Nobis instituti regimen, curam et administrationem dilectis filiis Clericis Regularibus inclytæ Societatis Jesu quam libentissime committendam esse censuimus. Etenim probe cognoscimus quomodo Deo auxiliante ipsa Societas tot sane viris sanctitatis, doctrinae et eruditionis laude clarissimis illustris, ac de catholica Ecclesia, deque hac Apostolica Sede praeclare sit merita, atque idcirco amplissimis privilegiis et laudibus a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostri decorata. Ac summa animi Nostri consolatione optime scimus, ipsius Societatis Sodales ex proprii

Ordinis more institutoque nihil potius, nihil antiquius habere, quam singulari cura, studio, industria, consilio, labore et majorem Dei gloriam ubique promoveri, et sempiternam hominum salutem procurare, et sanam tueri ac propagare doctrinam, et juventutem pietate ac literis imbuere cum maximo christianae et civilis reipublicae bono ornamento, atque praesidio. Itaque persuasissimum Nobis est, ejusdem Societatis Jesu Sodales Nostris desideriis quam cumulatissime esse satisfacturos, nihilque intentatum relicturos, ut in Senogalliensi civitate non solum teneras adolescentium mentes et cerea corda ad sanctum Dei timorem, qui fons est vitae et sapientiae initium, atque ad religionem, pietatem, omnemque virtutem mature fingant, et humanioribus literis, gravioribusque disciplinis sedulo erudiant, verum etiam divini verbi praeconio, et sacramentorum administratione, et piis aliis exercitationibus in spiritualem illius civitatis ac dioecesis populorum salutem procurandam omni studio incumbant.

Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed mera deliberatione, ac voluntate Nostra, certa que scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce Literis perpetuum in modum dilectis filiis Clericis Regularibus Societatis Jesu, et eorum nomine dilecto filio Petro Beckx Generali ejusdem Societatis Praeposito commemoratas aedes, ac Templum concedimus, et attribuimus, atque ipsis Gymnasium ibi a Nobis constitutum, ac Nobis et huic Apostolicae Sedi immediate subjectum, ejusque curam, regimen, administrationem, et omnem docendi rationem com-

mittimus. Quocirca ipsis summam quoque annuam nummorum scutorum bis mille et octingentorum romanae monetae ab omni cujusque generis vectigali prorsus liberam et immunem super fundis per Nos attribuendis perpetuo assignamus. Insuper iisdem in perpetuum pariter concedimus et assignamus vilulam a Nobis emptam, quae extra portam Franciscalium Capulatorum vulgo *Cappuccini* est sita, quaeque mille passuum circiter ab urbe Senogalliensi distat, atque olim ad Sodales Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii pertinebat. Eorundem Societatis Jesu Sodalium erit omnem Gymnasii procurationem, administrationemque gerere, ibique tradere Grammaticam linguae latinae et italicae, itemque Humanitatem, Rhetoricam, Logicam, Metaphysicam, Mathematicam, Physicam, Ethicam, atque etiam docere sacras Literas, Theologiam dogmaticam et moralem, Historiam ecclesiasticam, et Jus canonicum. Quod enim attinet ad externos Juris civilis et criminalis Doctores, qui Gymnasii sumptibus erunt sustinendi, quique ibi eas disciplinas docere debent, volumus, ut ipsi eligantur collatis consiliis cum Antistite Senogalliensi, et ejusdem Gymnasii Rectore, ac mutuo eorum consensu. Atque id quoque servari jubemus in eligendis Magistris artis agrariae et nauticae, ac linearis picturae, qui cum Senogalliensis Municipii impensa sunt alendi, tum ab ipso Municipio deligentur, ex consilio tamen et consensu Senogalliensis Antistitis, et Rectoris Gymnasii, in quo commemoratas artes tradere debent. Mandamus autem, ut harum artium discipuli subjecti omnino sint disciplinae, et omnibus religionis ac pietatis operibus, quibus

obnoxii sunt alii omnes discipuli, qui ipsius Gymnasii scholas celebrant.

Cum autem dilectus filius Eques Joannes Monti Senogalliensis Municipii Praepositus et ejusdem Municipii Seniores summopere optantes, ut aliqua significatione palam publiceque nosceretur quam gratissimi aequae ac obsequentissimi erga Nos essent omnium civium sensus, in Conventu Kalendis proximi mensis Julii rite habito constituerint supplices Nobis adhibere preces, ut Bibliothecam a defuncto Cardinali Nicolao Antonelli Senogalliae Municipio legatam accipere, eamque in Gymnasii aedibus collocare, et annum redditum scutorum vigintiseptem et assium nonaginta romanae monetae, quibus ipsa Bibliotheca est dotata, Sodalibus Societatis Jesu attribuere vellemus, idcirco hujusmodi consilium a Municipio Senogalliensi susceptum ac Nobis pergratum meritis prosequimur laudibus, et omnino approbamus. Quapropter eandem Bibliothecam, quae proprietatis jure ad idem Municipium pertinet, accuratissimo indice confecto, in Gymnasium transferri, ibique ad ipsius Gymnasii usum perpetuo asservari jubemus, et praedictum annum redditum scutorum vigintiseptem et assium nonaginta Societatis Jesu Sodalibus in perpetuum adsignamus. Volumus autem, ut Bibliotheca ipsa bis in hebdomada cuique pateat diebus et horis ab Episcopo Senogalliensi et Gymnasii Rectore designandis.

Quae omnia statuimus donec Societatis Jesu Sodales Gymnasii curam et regimen habuerint. Si enim (quod nunquam eventurum esse confidimus) quavis de causa futuris temporibus contigerit, ut ipsius So-

cietatis Sodales a Senogalliensi civitate discedere, et Gymnasii procurationem, institutionemque relinquere debeant, jam nunc volumus declaramus, atque decernimus, ut commemoratae aedes, villula, fundi, redditus, et alia omnia cujusque generis, quae Sodalibus Societatis Jesu ob Gymnasii causam a Nobis quovis modo attributa et concessa fuerint, statim ipso jure et omni ex parte devolvantur ac destinentur ad studiorum patrimonium pro Senogalliensi civitate constituendum, ac semper habeantur veluti proprium studiorum patrimonium ad ipsam civitatem omnino pertinens, quod ab Episcopo Senogalliensi studiorum causa erit administrandum, adhibitis tamen in consilium duobus Senogalliensis Cathedralis Templi Canonicis ab ipso Episcopo eligendis, ac binis Senogalliensis Municipii Consiliariis ab eodem Municipio nominandis.

Haec volumus, statuimus, atque mandamus decernentes has Nostras Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, et habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut justitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effe-

ctus sortiri ac obtinere, et ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac supradicto Gymnasio nec non Personis, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis et commemoratae Sodalitatis etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, aliisque omnibus quamvis expressa, specifica et individua mentione, ac derogatione dignis, quibus omnibus et singulis eorum totis tenoribus ac formis praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationis, Electionis, Institutionis, Deputationis, Nominationis, Subjectionis, Jussionis, Derogationis, Commissionis, Statuti, Decreti, ac Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursum.

532

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem
Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingente-
simo Quinquagesimo Tertio Kalendis Septembris Pon-
tificatus Nostri Anno Octavo.

V. P. CARD. PRO-DATARIVS—A. CARD. LAMBRVSCINI

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

CONSTITVITVR RATIO STVDIORVM

IN SCHOLIS

PONTIFICII SEMINARII ROMANI AD S. APOLLINARIS

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad piam doctamque Cleri institutionem in Pontificia Nostra praesertim Ditione quotidie magis tuendam, excitandam ac fovendam Nostris Apostolicis Literis IV kalendas proximi mensis Julii sub plumbo datis Pium Seminarium Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris et Cardinali in hac alma Urbe Vicario omnino subjectum sumptibus Nostris constituimus in aedibus S. Apollinaris, in quibus Pontificium Romanum Seminarium existit. Atque eidem Pio Seminario aere pariter Nostro annum reditum circiter duodecim mille nummorum scutatorum romanae monetae ab omni cujusque generis onere, et vectigali prorsus immunem, et liberum jam attribuimus, ut ibi adolescentes omnium temporalis Nostrae Ditionis Dioecesium Clerici absque eorum impendio ali, atque ad pietatem et ecclesiasticum spiritum sedulo fingi, et philosophicis potissimum, theologicis ac legalibus disciplinis accurate imbuere possint quemadmodum in commemoratis Nostris Apostolicis Literis est praescriptum. Cum autem in iisdem Nostris Literis inter cetera statuerimus, stu-

diorum curriculum in Pio Seminario a Philosophia initium ducere debere, tum ediximus, omnem studiorum rationem, quae potissimum ad Philosophiae, Theologiae ac Juris scientiam pertinet, a Nobis deinceps esse constituendam. Itaque, postquam ejusmodi negotium nonnullis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus cognoscendum et examinandum commisimus, de eorundem VV. FF. consilio ac sententia ipsam studiorum rationem hisce Literis praescribendam duximus, quae ab alumnis cum Romani tum Pii Seminarii, aliisque omnibus, qui scholas S. Apollinaris celebrant, ibique Philosophiae, Theologiae ac Jurisprudentiae operam navant, erit accurate servanda. Methodus autem est, ut sequitur.

DE PHILOSOPHIAE CVRSV

ANNO PRIMO

1.° Logica et Metaphysica horis tum antemeridianis, tum pomeridianis ab uno eodemque tradatur Professore. Ipse eodem vertente anno, postquam Logicam rite absolverit, universam Metaphysicam ac naturalis, uti dicunt, Theologiae et religionis scientiam accurate explicet ac deinde firmissima, aequae ac certissima sedulo exponat et evolvat argumenta, quibus divinae revelationis necessitas, possibilitas et existentia contra incredulos tam evidentem demonstratur.

2.° Elementa Algebrae et Geometriae ab altero Professore erunt tradenda.

ANNO SECUNDO

1.° Ethices ac Juris Naturae et Gentium doctrina ab uno pariter eodemque Professore horis tam antemeridianis quam pomeridianis tradetur. Ipse eodem anno, Ethicae doctrinae cursu absoluto, Jus Naturae et Gentium edoceat.

2.° A distinctis autem Professoribus tradetur Physico-Mathematica.

3.° Physico-Chimica.

DE CVRSV SAGRAE THEOLOGIAE

Theologicarum doctrinarum cursus, qui divinos quoque libros et Ecclesiasticam Historiam completitur, quadriennio erit explendus ac divinarum sacrarumque rerum scientia erit tradenda, ut sequitur.

ANNO PRIMO

1.° Loci Theologici.

2.° Sacra Scriptura.

3.° Theologia Moralis.

ANNO SECUNDO

1.° Theologia Dogmatica horis antemeridianis.

2.° Theologia Dogmatica horis pomeridianis.

3.° Sacra Scriptura.

4.° Theologia Moralis.

ANNO TERTIO

- 1.° Theologia Dogmatica horis antemeridianis.
- 2.° Theologia Dogmatica horis pomeridianis.
- 3.° Theologia Moralis.
- 4.° Historia Ecclesiastica.

ANNO QVARTO

- 1.° Theologia Dogmatica horis antemeridianis.
- 2.° Theologia Dogmatica horis pomeridianis.
- 3.° Historia Ecclesiastica.

Professor Theologicorum locorum disserens de auctoritate Sanctorum Ecclesiae Patrum, utpote qui sunt maximi et gravissimi Traditionis testes, majorem amplioremque, prout ei per tempus licuerit, eorundem Patrum cognitionem discipulis dare studeat, ut ipsi meliori quo fieri potest modo notitiam illorum adipiscantur. Atque de Ecclesia agens pari studio veneranda ipsius Ecclesiae jura, dotes, praerogativas, auctoritatemque naviter scienterque explicet, evolvat, veluti agi solet cum catholica religio contra acatholicos propugnatur. Nec praetermittat ea summam edocere, quae in Jure publico Ecclesiastico tradi solent.

Professor Ecclesiasticae Historiae haud omittat discipulos diligenter docere praecipuas ipsius Historiae quaestiones, eosque per accurata prolegomena et generalia principia sedulo erudire ad verum rectumque usum criticae artis, quae ad eandem Historiam pertinet.

Duo aderunt Dogmaticae Theologiae Professores,

quorum alter praefinito temporis spatio horis antemeridianis doctrinam exponat de Deo Uno, Trino, Creatore, de Incarnatione Verbi, ac de gratia Christi; alter vero horis pomeridianis de Sacramentis cum in genere, tum in specie itemque de altera vita.

Peculiari autem regula cautum erit eruditioni Sacrae Liturgiae.

DE CVRSV FACVLTATVM LEGALIVM

In scholis S. Apollinaris Jurisprudentiae studio operam dare tantum licebit alumnis Seminarii cum Romani, tum Pii, et illis dumtaxat externis adolescentibus Clericis qui in iisdem scholis studiorum rationem inierint et expleverint. Laicos enim juvenes, qui ipsas Romani Seminarii scholas celebrant, exclusos semper esse volumus. Cum autem S. Theologia permultas suppeditet cognitiones, quae ad juris scientiam pertinent, tum sacri, civilis et criminalis Juris curriculum triennio conficietur, ac legales disciplinae tradentur, scilicet.

ANNO PRIMO

- 1.º Institutiones Juris Canonici.
- 2.º Institutiones Juris Civilis.
- 3.º Institutiones Juris Criminalis.

ANNO SECUNDO

- 1.º Textus Juris Civilis horis antemeridianis.
- 2.º Textus Juris Civilis horis pomeridianis.

- 3.º Textus Juris Canonici horis antemeridianis.
- 4.º Textus Juris Canonici horis pomeridianis.

ANNO TERTIO

- 1.º Textus Juris Civilis horis antemeridianis.
- 2.º Textus Juris Civilis horis pomeridianis.
- 3.º Textus Juris Canonici horis antemeridianis.
- 4.º Textus Juris Canonici horis pomeridianis.

Unus idemque Professor Institutiones Juris Civilis et Criminalis quotannis tradat. Quocirca ipse quotidie una hora Institutiones Civilis Juris, altera vero Institutiones Juris Criminalis ita exponendas curet, ut illas unius anni spatio rite absolvat. Ejusdem Professoris erit discipulos accurate instruere ad criminalia acta, vulgo *Processi* conficienda, ad Juris tramitem, et ecclesiastici praesertim fori normam.

Institutiones Juris Canonici ab alio explicentur Professore, qui illas singulis annis repetere debet.

Tertius erit Professor, qui una hora tam ante, quam post meridiem Textum Canonici Juris exponat, ejusque doctrinam in duos continentes annos sedulo partiatur.

Aderit quartus distinctus Professor, qui Civilis Juris Textum constituto biennio atque horis tum antemeridianis, tum pomeridianis sedulo explicandum curet.

DE LINGVA HEBRAICA ET GRAECA

Cum Hebraicae et Graecae linguae cognitio ad literas, ac disciplinas praesertim sacras scite exco-

lendas summopere conducat, tum duae aderunt scholae, in quarum una hebraicus, in altera graecus sermo erit addiscendus.

Graeca lingua primo Philosophiae anno tradetur, hebraica autem primo sacrae Theologiae anno. Omnes sacrae praesertim Theologiae discipuli in hebraicae et graecae linguae studium incumbere debent, quo ipsi satis intelligere possint propriam linguam, qua divini libri primum fuere conscripti.

Graecae linguae magister primis duobus cujusque anni scholastici mensibus grammaticae rudimenta explicet, ut qui illa nondum didicerint, consequi valeant necessariam cognitionem ad majores deinde in ejusdem linguae studio progressus obtinendos.

Hisce primis duobus mensibus scholae linguae graecae interesse minime teneantur qui ipsius linguae grammaticam noscunt. Attamen fas ipsis erit, ad eam scholam adire, si voluerint, illius linguae rudimenta repetendi causa.

DE PROFESSORIBVS ET ACADEMICIS

Volumus ut omnes Professores cum severiorum disciplinarum tum humaniorum literarum et cujusque alius classis in Seminario Romano sint omnino ecclesiastici viri. Singuli Professores a Cardinali Vicario eligendi, et a Nobis ac Successoribus Nostris adprobandi adsint hora lectionibus habendis praefinita juxta kalendarium singulis annis ex ejusdem Cardinalis Vicarii jussu in studiorum instauratione publice affigendum.

Ipsi Professores non solum omni cura sanam solidamque doctrinam docere, ac verbo et exemplo juvenum animos ad religionem omnemque virtutem fingere studeant, verum etiam in sua quisque disciplina errores, et systemata, quae catholicae doctrinae adversari, et juvenum animos quovis modo corrumpere possunt, intentissimo studio refellere contendant.

Etsi optatissimum esset, ut Philosophiae, sacrae Theologiae, et Institutionum Juris Canonici, Civilis et Criminalis Professores suis scriptis propriam traderent disciplinam, tamen cuique eorum licebit aliquo uti auctore juxta judicium et consilium Cardinalis Vicarii.

Si autem Professores voluerint propriis scriptis suum cursum dare, tunc, ne tempus in dictandis scriptis frustra consumatur, scripta ipsa lithographico modo exarata discipulis dentur, ut Professores integras horas in exponendis disciplinis, atque in interrogandis, et exercendis juvenibus impendant.

Quisvis Professor in gravioribus tradendis disciplinis latinam linguam adhibere omnino debet. Nam italica lingua permittitur tantum in scholis Algebrae, Geometriae, Physico-Mathematicae et Physico-Chimicae.

Accurata autem rerum docendarum divisio inter Professores erit habenda, quae a Cardinali Vicario, consultis studiorum Praefecto, et utriusque Seminarii Rectoribus, statuatur, ne in tradenda scientiarum cognitione aliquid omittatur, vel inutiliter repetatur.

Professores omnes scholarum Seminarii Romani cunctos discipulos in album diligenter referant, eos-

que denotent, qui modestia, assiduitate, diligentia, progressu ceteris antecellunt, et eos, qui vel scholas intermittunt, vel negligentes sint, vel in studiis nequaquam proficiunt.

Hisce catalogis Professores utantur, ut negligentes admoneant, ac pro rei veritate assiduitatis, et progressus testimonia dare queant, cum illa ab ipsis petantur.

Omnes Philosophiae ac Sacrae Theologiae, et Juris Canonici, Civilis, et Criminalis scholae Academicos habeant, qui ecclesiastici viri esse omnino debent tum in his, tum in aliis omnibus Romani Seminarii scholis. Ipsi a Cardinali Vicario sunt eligendi, et a Nobis, ac Successoribus Nostris approbandi. Eorumdem Academicorum officium erit agendi Professorum vices, cum ipsi vel morbo, vel alio impedimento praepediti lectiones habere minime possint, et erudiendi diligenter juvenes academicis exercitationibus ad veram solidamque disserendi, argumentandi, ac disputandi rationem. Hujusmodi exercitationes academicae singulis scholae diebus erunt habendae per semihorae spatium a Cardinali Vicario statuendum.

Peculiaris Academicorum ratio habebitur cum aliqua Cathedra in ea disciplina vacaverit. Ipsi eodem Professorum vestium ornatu decorentur.

Nullum annum stipendium ipsi Academici percipere poterunt, antequam Cathedram obtinuerint. Aliqua tamen largitio eis erit tribuenda.

Singuli Professores, et Academici scholarum Romani Seminarii ineunte scholastico anno Fidei professionem juxta formulam a fel: rec: Pio IV Deces-

sore Nostro praescriptam emittant. Haec fidei professio ab ipsis erit peragenda coram Cardinali Vicario, vel alio viro ecclesiastica dignitate insignito, quem idem Cardinalis elegerit, et die quem Cardinalis ipse constituerit.

DE ANNVIS EXPERIMENTIS

Omnes cujusque classis discipuli Januario et Aprili exeunte mense obnoxii erunt examini de illis rebus, quae per illud temporis spatium explicatae fuerint. Haec examina voce tantum fiant, interrogando scilicet auditores de iis, quae ipsi a Professoribus docti fuerunt. Cardinalis Vicarius diem discipulis indicendum praefiniat, quo haec discipulorum examina per Professores Seminarii Romani ab ipso Cardinali eligendos erunt peragenda. Hisce experimentis utriusque Seminarii cum Romani, tum Pii Rectores semper interesse debebunt, et si voluerint, iudicis quoque personam sustinere poterunt.

Cum mensis Augustus ad finem vergat, indicto discipulis die in omnibus scholis publicum, et consuetum studii et ingenii ad praemia consequenda specimen scripto habeatur ad illius regulae normam, quae juxta morem Seminarii Romani in lucem edetur. Qui assiduae diligentiae laude, et scriptiois praestantia ceteris excelluerint, praemio donentur.

DE GRADVVM COLLATIONE

Nostris commemoratis Literis IV kalendas mensis Julii hujus anni editis privilegium Pio Seminario

tribuimus conferendi suis alumniis tres consuetos gradus in Philosophicis ac Theologicis disciplinis; quo quidem privilegio Romanum Seminarium a rec: me: Leone XII Praedecessore Nostro per Apostolicas Literas die 9 aprilis anno 1824 editas et Annulo Piscatoris obsignatas jam fuerat donatum. Cum autem per easdem Literas statuerimus legalium quoque disciplinarum scientiam in iisdem S. Apollinaris scholis esse tradendam, et idcirco Cathedras Juris Canonici, Civilis, et Criminalis sumptibus Nostris erigendas, tum utrique Seminario Romano, et Pio privilegium perpetuo dedimus deferendi eorum alumniis tres eodem gradus in legalibus facultatibus, ac simul concessimus, ut hujusmodi privilegio perfrui quoque possent ii dumtaxat externi Clerici, qui studiorum curriculum in scholis Romani Seminarii inierint, ibique confecerint, laicis juvenibus semper exclusis. Decrevimus quoque, ut ii omnes qui tres gradus, scilicet Baccalaureatum, Licentiam, et Doctoratum in praedictis philosophicis, theologicis, et legalibus facultatibus ibi fuerint consequuti, omnibus et singulis juribus, privilegiis, indultis, praerogativis omnino perfruantur, quibus ii omnes fruuntur, qui gradus ipsos in Romano Sapientiae Archigymnasio, et qualibet alia Universitate fuerint adepti. Quapropter, dum eadem privilegia hisce Literis auctoritate Nostra Apostolica denuo perpetuum in modum confirmamus, normam praescribimus quae erit observanda, ut gradus ipsi a juvenibus obtineri queant.

IN PHILOSOPHIA

Cum philosophicarum disciplinarum cursus biennio sit absolvendus, tum primo anno Baccalaureatus iis conferatur, qui post examen rite habitum, eo gradu digni existimentur.

Altero exeunte philosophici cursus anno Licentia pariter illis deferatur, qui post accuratum examen reperiantur idonei ad illam consequendam.

Doctoris Laurea in Philosophia illis dumtaxat conferatur, qui integro philosophico cursu sedulo ac scite absoluto ingenii ac doctrinae periculum fecerint duplici examine, scilicet verbo, et scriptura ad commemoratae regulae edendae normam. Doctoris Laurea in philosophicis disciplinis erit conferenda secundo pariter Philosophici cursus anno exeunte, postquam aliquibus interjectis diebus juvenes subierint examen ad obtinendam Licentiam, atque illa, et Baccalaureatus gradu fuerint honestati.

IN SACRA THEOLOGIA

Baccalaureatus in Sacra Theologia concedatur primo Theologicarum doctrinarum anno exeunte; Licentia tertii anni exitu; Laurea denique ad finem anni quarti.

Primus gradus illis deferatur, qui eumdem gradum meruerint ex iudicum sententia post accuratum examen.

Alter gradus illis conferatur, qui, diligenti examine habito, ipsius gradus honore digni a iudicibus fuerint reperti.

Laurea illi dumtaxat decorentur, qui postquam per integrum quadriennium in sacris disciplinis ad-
discendis assiduam, sedulamque operam impenderit, duplex subierint examen verbo nempe, et scriptura. Primo examine proprii ingenii, et progressus specimen dare debebunt respondentes cuilibet quaestioni de rerum omnium sacrarum scientia, quae Theologici cursus quadriennio tradita fuit. Pro alio autem examine conscribere debebunt absque librorum ope, et intra sex horarum spatium latinam dissertationem super Sacrorum Studiorum quaestione, quae ex tempore, et sortito juvenibus erit proponenda, atque inter illas eligenda, quae in toto Theologico cursu traditae sunt, prout in praedicta regula edenda clarius explicabitur.

IN LEGALIBVS FACVLTATIBVS

Cum jurisprudentiae curriculum praefinito triennii spatio sit conficiendum, tum Baccalaureatus gradus primo anno illis erit conferendus, qui post examen rite habitum eo gradu digni iudicentur.

Secundo autem anno Licentia illis item tribuatur, qui post accuratum examen idonei reperti fuerint ad hunc gradum obtinendum.

Doctoris Laurea in legalibus facultatibus concedatur illis tantum adolescentibus Clericis, qui postquam integrum earundem facultatum cursum diligentissime perfecerint, ac Prolytae, et Baccalauri renunciati fuerint, eorum ingenii, et scientiae periculum fecerint duplex subeuntes examen, verbo scilicet, et scriptura. Primo examine respondere debe-

bunt ad eas omnes Canonici, Civilis, et Criminalis Juris quaestiones, quae in legali cursu per tres annos explicatae fuerunt. Pro altero autem examine intra praefinitum sex horarum spatium absque ulla librorum ope latinam dissertationem scribere debent super quaestione Juris vel Canonici, vel Civilis vel Criminalis, quae quidem quaestio ex improviso, et sortito juvenibus est proponenda, atque ex illis eligenda, quae in toto legali cursu fuerunt explicatae.

Cum in Philosophicis, Theologicis, et Legalibus facultatibus memorati tres gradus erunt conferendi, Cardinalis Vicarius praeter Decuriales Doctores Seminarii Romani eligat tres alios externos peculiaris cujusque facultatis Professores, qui omnes una simul secretis suffragiis eorum sententiam de hujusmodi experimentis, ac dissertationibus ferant, et judicent qui esse debeant juvenes iisdem gradibus decorandi.

Baccalaureatus et Licentia in philosophicis, theologicis, ac legalibus disciplinis absque ulla pompa privatim quoque conferri possunt.

Laureae vero publice deferantur in Aula aedium S. Apollinaris cum consueto apparatu.

Qui Laurea, vel Licentia, vel Baccalaureatu donantur, in qualibet vice emittant fidei professionem juxta formam a fel: rec: Pio IV Praedecessore Nostro praescriptam.

Omnia Diplomata Cardinalis Vicarii, et studiorum Praefecti subscriptione muniantur.

DE BIBLIOTHECA ET CONCLAVI AD PHYSICA EXPERIMENTA

Feriis autumnalibus exceptis, Bibliotheca tribus cujusque hebdomadae diebus semper patebit ab hora octava cum dimidio usque ad undecimam horam cum dimidio ante meridiem. Praecipua autem edetur regula, qua isti tres praefinientur dies, quorum unus semper esse debet dies vacationis scholarum, ut Bibliotheca majori alumnorum utilitati inseruiat.

In eadem regula statuentur ex quae aditum ad Bibliothecam, et alia quovis modo ad ipsam spectantia respiciunt.

Norma quoque tradetur quoad conclave ad physica experimenta.

ORDINATIONES PECVLIARES

Praefectus studiorum quarto quoque mense Rectores utriusque Seminarii Romani et Pii accurate certiores faciat de cujusque proprii Seminarii alumni progressu in pietate et literis.

Omnes etiam Professores id ipsum agere semper debent, cum ipsi ab iisdem Rectoribus de alumnorum progressu interrogentur.

Rectoribus utriusque Seminarii Romani et Pii fas omnino erit, pro eorum arbitrio, ad scholas libere adire, ibique Professorum lectionibus adsistere et discipulos interrogare.

In praedictis Nostris Literis praescripsimus, ut singuli alumni in Pium Seminarium admittendi studiorum initium a Philosophia ducant. Quam praescriptionem integram inviolatamque perpetuo servari volumus.

Omnes Pii Seminarii alumni sciant se obligari ad integrum cum Philosophiae tum Theologiae cursum sedulo conficiendum.

Alumnii iidem minime obligentur ad legales facultates excolendas, sed nemo eorum a Seminario decedere poterit, quin Institutionibus Juris Canonici, Civilis et Criminalis operam dederit.

DE RELIGIONIS ET PIETATIS OFFICIIS

Cardinalis Vicarius pro eximia sua religione, prudentia et zelo omnia pietatis officia a singulis Romani Seminarii externis discipulis implenda praescribet. Atque in primis advigilabit, ut omnibus festis ex praecepto diebus congregatio habeatur, ad quam omnes exteri discipuli convenire debent; ut ipsi christiana doctrina diligentissime erudiantur et ad Poenitentiae atque Eucharistiae Sacramenta frequenter accedant; ut omnibus scholarum diebus unum saltem agatur sacrum, cui iidem exteri discipuli intersint; ut quotannis extremo quadragesimae tempore spiritualia ab ipsis fiant exercitia. Ejusdem Cardinalis erit singula quaeque statuere et praecipere, ut in adolescentium animis sanctissima nostra religio, ejusque salutaris doctrina penitus defigatur ac Dei timor magis in dies augeatur.

Alumni autem utriusque Seminarii sedulam assiduaque operam navare debent iis omnibus et singulis religionis et pietatis exercitationibus, quae praescriptae sunt in peculiaribus cujusque Seminarii regulis.

DE ANNO SCHOLASTICO ET VACATIONIBVS

In omnibus Romani Seminarii scholis ad S. Apollinaris initium docendi fiat Nonis Novembris, etiamsi hic dies incidat in diem Jovis; Feriae autumnales incipiant VI Idus Septembris pro scholis Philosophicis, Theologicis et Legalibus, nam pro aliis omnibus scholis initium ducent XII kalendas Octobris.

Omnibus anni scholastici diebus docebitur, exceptis diebus Dominicis, et aliis cultui divino ex praeecepto dicatis, quibus scholae vacabunt.

Item vacabunt die Jovis, cum tamen quinta lectio necessario sit adimenda.

Vacant pariter die anniversario Coronationis Summi Pontificis.

In Kalendario autem Cardinalis Vicarii jussu quotannis publice affigendo praefinientur alii dies, quibus scholae vacabunt.

In scholis Philosophiae, sacrae Theologiae et Jurisprudentiae docebitur illo horarum spatio, quod a Nobis est constitutum.

In Rhetoricae et inferiorum classium scholis docebitur per duas integras horas cum dimidio tam ante quam post meridiem.

Hanc studiorum rationem a Nobis praescriptam perpetuo servari jubemus. Haec volumus, praecipimus.

mus, statuimus atque mandamus, decernentes has praesentes Literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, et quosvis alios quacumque dignitate et potestate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quoties opus fuerit, Apostolicis rec: mem: Leonis XII Praedecessoris Nostri Literis quinto kalendas Septembris Anno 1824 sub plumbo datis, quarum initium « Quod divina sapientia » aliisque praedictis ejusdem Leonis XII Decessoris Nostri Apostolicis Literis Annulo Piscatoris obsignatis ac die 9 Aprilis eodem anno « 1824 » editis, quae incipiunt « Recolentes » necnon de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et aliis quibusque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de

verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat latissime, plenissime ac specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III Octobris Anno MDCCCLIII Pontificatus Nostri Anno Octavo.

A. CARD. LAMBRVCHINI

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XIX DECEMBRIS MDCCCLIII

VENERABILES FRATRES

In Apostolicae Sedis fastigio tamquam in arce et propugnaculo catholicae fidei constituti Praedecessores Nostri Romani Pontifices, pro tradita sibi diuinitus Ecclesiae universae gubernandae potestate, ad Orientalem quoque Ecclesiam paterna studia converterunt, ac nihil unquam desiderari a se passi sunt, quod ad illam vel tuendam vel iuvandam pertinere posse videretur. Quantum porro industriae ac solertiae, quantum laboris impenderit, ut qui ex Orientalibus populis a Romana Ecclesia funesto schismate dissiderent, ad eam boni volentesque sese adungerent, et cum supremo in terris pastore Romano Pontifice tamquam membra cum capite consociarentur, non est cur fusius explicemus, Venerabiles Fratres; explorata namque Vobis res est, innumerisque testata historiae documentis. Atque illustria haec paternae sollicitudinis exempla Nos aemulati, jam inde ab anno Pontificatus Nostri secundo ad Orientales omnes Apostolicas dedimus Literas, quibus studiose illos, ac peramanter hortati sumus, ut ad Sanctae hujus Sedis communionem reverterentur, eique adhaerere firmiter vellent; ejusque conjunctionis necessitatem multis, gravissimisque evicimus argumentis, quae luce veri-

tatis nitent, quidquid proferre contra ausi fuerint scripto quodam suo schismatici plures Episcopi, inveteratum illud contra Apostolicam Sedem acerbitalis virus effundentes. Quod quidem scriptum ad redarguendos schismaticorum errores, ac pertinaciam curabimus refutandum; interea tamen pro illorum omnium salute coelestem Patrem luminum orare atque obsecrare non desistemus, nihil scilicet remittentes de christiana charitate, quae patiens et benigna est, cujus quidem charitalis spiritu perinde ac Nos excitati Praedecessores Nostri sacros ritus, quos Orientalis adhiberet Ecclesia, quosque orthodoxae fidei minime adversari comperisse non modo non improbandos, sed vero etiam observandos ac retinendos censuerunt, utpote ipsa antiquitalis origine commendatos, et a sanctis Patribus non mediocri ex parte profectos: quin immo orientales ritus deserere, nisi impetrata Summi Pontificis venia, providentissimis latis Constitutionibus edixerunt fas esse nemini. Noverant siquidem immaculatam Christi sponsam mira quadam varietate distingui, quae non officiat unitati, Ecclesiam scilicet nullis regionum terminis definitam omnes complecti populos, nationes, gentes, quae fidei unitate et consensione coalescant, diversae licet moribus, linguis ac ritibus, quos tamen omnium mater et magistra Romana probarit Ecclesia. Hoc ipsum praeclare noscens gloriosae memoriae Gregorius XVI Praecessor Noster ad gentem Valacorum graeci ritus catholici, qui in Transylvania consistunt, pastoralet vigilantiam et curas intendens, ut eosdem erigeret ac solaretur, et in catholica fide confirmaret peculiarem ipsis Ecclesiasticam graeci ritus Hierarchiam instituire molitus

est; verum quod temporum aliisque rerum difficultatibus prohibitus Decessor idem Noster ad optatum perducere exitum nequivit, id Nos, Venerabiles Fratres, non sine praecipuo animi solatio magna ex parte perfecimus. Ac primum quidem gratias persolvimus, ut par est, misericordiarum Patri, cujus coelesti auxilio opus exequi datum est, quod in catholicae Religionis incrementum, et spiritualem illius gentis utilitatem eamque maximam cessurum speramus. Debitas deinde tribuimus laudes Carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Josepho Austriae Imperatori, Hungariae Regi Apostolico et Bohemiae etc. Regi illustri qui Nobis, non modo suas ad id preces exhibuit, sed vero etiam studium, sollicitudinem, operam, omnia denique contulit, quae a religiosissimo Principe fideique provehendae studiosissimo potuissent expectari. Nec vero praetereundus sine laudis praeconio dilectus filius Noster Card. Joannes Strigoniensis Archiepiscopus, qui ad promovendam hanc rem tam salutarem, tamque unitati catholicae retinendae accommodatam pro viribus incubuit. Quamobrem posteaquam sententiam accepimus quorundam ex ordine vestro, Venerabilium Fratrum Nostrorum, quibus tanti momenti negotium accurate examinandum demandavimus, ex eorum consilio duas Episcopales Sedes graecici ritus catholici, ereximus, Lugosiensem scilicet in Banatu Temesiensi, et Armenopolitanam in Transylvania, easque suffraganeas esse jussimus Fogarisiensis Ecclesiae, quam Episcopali Cathedra jampridem auctam, novissime vero Albae Juliensis etiam titulo per Nos decoratam ad Metropolitanæ Sedis decus et auctoritatem eveximus. Illi insuper praeter duas modo erectas Episcopales Sedes Magno Varadiensem etiam

graeci ritus Ecclesiam ab Archiepiscopo Strigoniensi subtractam decrevimus suffragari. Jam vero hac nova constituta Fogarisiensi et Alba Juliensi Ecclesiastica Provincia, non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin Valacorum per Transylvaniam diffusa hatio catholicae fidei addicta, novo Apostolicae Sedis affecta beneficio, arctiori quodam vinculo copulanda cum ipsa sit, nec non pars illa dominici gregis, aucto pastorum numero, iisque pro suo munere vigilantibus, et vere accedentibus etiam curis Nostris, quas illi nunquam desistemus impendere, securior longe ac tutior existat a schismaticorum insidiis et fraudibus, qui nullam praeterire occasionem sinunt avellendi fideles a sanctae hujus Sedis communionem, eosque in aeternae ruinae barathrum detrudendi. Faxit porro dives in misericordia Deus, ut qui schismaticorum implicentur erroribus perfusi gratiae coelestis lumine in sinum complexumque catholicae Ecclesiae sese recipiant, ut occurrant omnes in unitatem fidei, omnesque unum corpus simus in Christo conservantes unitatem in vinculo pacis. Id Nos pro ardentissimo quatenemur desiderio animarum salutis impense optamus precamurque Dominum, qui facit mirabilia solus, ut opus quod inceptum est sua virtute perficiat.

Jam vero ad recreandum animum Nostrum non minus etiam valuit, Venerabiles Fratres, quod in Republica Guatimalensi in America ad bonum religionis Deo opitulante praestitimus. Vix enim Dilectus Filius illustris et honorabilis vir Raphael Carrera illius Reipublicae Praeses Nobis supplicandum curavit, ut ad ordinandas illio Ecclesiae res animum converteremus, nihil intermisimus, quin Dilecto Filio

Nostro Jacobo Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Antonelli, qui Nobis adstat a negotiis publicis, demandarem, ut cum Dilecto etiam Filio Marchione Ferdinando Lorenzana Guatimalensis Republicae apud Sanctam Sedem Administro gravissimum hujusmodi negotium peragendum susciperet. Itaque die septima mensis Octobris superioris anni inita inter ipsos conventio est, eamque peculiari Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum e Collegio Vestro mature perpendendam commisimus. Quid vero in conventionem illa ad catholicae Ecclesiae decus, atque utilitatem statutum sit, novisse Vos arbitramur ex Apostolicis Nostris Literis III nonas Augusti vertentis anni editis, quibus omnia et singula memoratae conventionis capita rata habuimus et Apostolica Nostra auctoritate confirmavimus.

Haec Vobiscum communicanda duximus, Venerabiles Fratres, ut in partem adscitos quotidianae Nostrae sollicitudinis, in partem vocemus et gaudii, si quid in gloriam divini nominis, veraeque fidei propagationem bene ac feliciter evenerit.

Verumtamen conceptam inde laetitiam perturbari magnopere sensimus ex acerbissimis malis, quae Religionem sanctissimam per Septemtrionales quasdam ditiones accepimus conflictari. Atque ut hic de una tantum loquamur, praeterire silentio non possumus quod cum ditionis ejusdem Gubernium Nostro et Apostolicae Sedis apud Imperialem Vindobonensem Aulam Nuntio significasset, delaturum se ad hanc ipsam Sedem expostulationes suas, neque id praestitit, neque ab Ecclesia divexanda temperavit; quin etiam sacros Ministros ab officio suo discedere detrectantes

partim pecunia mulctavit, partim etiam in vincula coniecit. Quibus in asperitatibus tum Cleri ferme universi tum sacrorum Antistitum ac potissimum Friburgensis, qui ceteris praeivit exemplo, mirifice eluxit invictum animi robur et firmitas. Is enim propositum habens reddere Caesari quae Caesaris sunt, et quae Dei Deo, neque minis fractus, nec periculorum metu deterritus est quin Ecclesiae jura et pastoralis officii partes strenue tueretur. Eximiam hanc in Ecclesiae causa sustinenda constantiam dum meritis extollimus laudibus, Venerabilem ipsum Fratrem Friburgensem Antistitem, ejusque fortitudinis socios hortamur, ut ne abjiciant animum, sed confortentur in virtute Domini, qui Ecclesiae suae quovis tempore pollicitus est adfuturum, quique bonum certam certantibus coronam paravit et palmam. Ceterum, quod cum gentium Apostolo docuit semper Ecclesia, parendum scilicet esse potestatibus sublimioribus, id Nos et catholici Nobiscum Antistites et tenent et docent; at vero si contra divinas leges et sacrosancta Ecclesiae jura a divino Auctore illi tradita imperatum aliquid sit, obediendum esse Deo magis quam hominibus, id exemplo ipse suo confirmavit Apostolus, id Nos cum sacris Ecclesiae Pastoribus et docemus et inculcamus.

Acerba haec sunt, Venerabiles Fratres, et ad animi Nostri curam longe molestissima; sed enim non minus sollicitos Nos habet atque anxios per Orientales Indias Ecclesiae conditio. Scitis profecto Praedecessores Nostros, eorumque Nos exempla sequutos in disjunctissimis illis regionibus, prout temporum ratio ferebat, per sacros Antistites Vicarios Aposto-

licos renunciatos, perque Evangelicos operarios pastorali fidelium regimini consuluisse. Atqui suborti sunt perditii homines, qui sua quaerentes non quae Jesu Christi, et vanissimas praetexentes causas ad incautos decipiendos a legitimorum pastorum subjectione catholicam plebem subducere niterentur. Id ubi comperimus, et paternis adhibitis monitis, et inanibus refutatis argumentis, quibus dissidium illud suum tueri contenderent, non destitimus a nefario consilio deterrere catholicae unitatis perturbatores. Quos cum in proposito pertinaces nosceremus, serperetque malum quotidie magis, datis illis Apostolicis Literis, ad saniora illos consilia revocare iterum conati sumus, primarios vero schismatis fautores, nisi intra certum tempus resipuissent, Apostolicae auctoritatis gladio a corpore Ecclesiae abscidimus, et a fidelium communionem segregatos prorsus habendos esse palam declaravimus. Ex quo illud boni sumus consequuti, ut non mediocris pars christianae plebis seditiosorum fallacias agnoscens se ad legitimorum Antistitum auctoritatem fidemque contulerit. Utinam vero qui in pravo adhuc dissidio persistunt dignitate praesertim aliqua insigniti audientes esse velint vocibus Nostris, utinam concessum Nobis sit aberrantem illum gregem in ovile unicum reducere, extra quod nequit reperiri salus. Hac tamen de re, Venerabiles Fratres, alia erit fusius apud Vos loquendi occasio. Gravissimam enim causam esse intelligitis, in qua incolumitas nititur animarum, quaeque idcirco plurimum mentis, consilii, curarum exposcit. Interim hoc profiteamur, nunquam Nos defuturos officio Nostris, atque adeo studiose executuros quidquid im-

plorato sapientiae coelestis auxilio ad avertendam grassantis schismatis luem, populosque ad unitatem catholicam revocandos opportunum noverimus et salutare.

Alia etiam Nobis accessit doloris causa ex infelici exitu sacrae Missionis, quam Ven. Frater Vincentius Episcopus Arcadiopolitanus auctoritate Nostra suscepit ad Principem de Haiti in insula ejusdem nominis apud Americam. Haud facile dixerimus, quanto religionis studio memoratus Antistes inunctum sibi munus explere sategerit; verum quum dicto Principi, ejusque Gubernio falsa insedisset opinio de Ecclesia Christi sacrisque expeditionibus ad animarum tantum lucra susceptis, cumque magna illius Cleri pars ad severiorem vitae disciplinam, quae sacrum ministerium deceat, revocari iniquo animo ferret, hinc praeclarus idem Antistes irritos prorsus dolens labores suos, post impetratam a Nobis veniam coactus est excusso pedum pulvere a regione illa discedere. Gravissima sane, ac nunquam satis deploranda religioni mala inferuntur a quibusdam Ecclesiasticis viris, qui nimis facile a propriis dioecesibus dimissi quasdam petunt Americae regiones, ibique ob sacrorum Ministrorum necessitatem facile excipi solent, nullo doctrinae, ac probitatis experimento, ac proinde aliis plane rebus student, quam hominibus ad veram fidem adducendis.

Denique hodierno in consessu illud Vobis significandum censemus, Venerabiles Fratres, intermissas pendere pro parte Regii Subalpini Gubernii susceptas de religiosis rebus tractationes, sic ut inutile videri possit eam ob causam libera Nos mandata

dedisse Dilecto Filio Nostro Cardinali, quem ad tractationes illas conficiendas designavimus. Idcirco per dilectum item Filium Nostrum Cardinalem negotiis publicis praepositum quaerendum ab eodem Gubernio curavimus, quae illius tandem consilia sint post silentii hujus diuturnitatem. Nos quidem aequo animo accepimus porrectas ab ipso preces circa festorum numerum in universa Serenissimi Sardiniae Regis ditione minuendum, idque indulsum non solum ad succurrendum miserorum inopiae, qui manuum labore victitare coguntur, sed vero etiam ad exhibendum longanimitatis exemplum, quo facilius Subalpinum Gubernium ad ea reparanda excitaretur, quae contra Apostolicam Sedem, contraque Ecclesiae jura violata ac pessumdata in eo regno perperam gessisset. Quod si non perinde ac Nos expectabamus evenerit, mansuetudinis certe, ac lenitatis attigisse terminos haud Nos poenitebit. Illud interea declaratum volumus, nullum Nos excepturos petitionis genus, quod dignitati ac juribus Apostolicae Sedis et religionis emolumento minime consentaneum deprehenderimus.

Videtur, Venerabiles Fratres, ad agitandam Ecclesiam novas suboriri in dies ac saevire tempestates. Nobis qui sedemus in puppi enitendum est, ut ventorum furorem Vobis etiam adjuvantibus sustineamus. Pergite, ut facitis, adesse Nobis in tam difficili cursu ac periculoso laborantibus. Verum ut res prospere cedat, Illius implorandum est auxilium, qui mari et ventis imperat. Utinam communibus exoratus precibus optatam faciat tranquillitatem, detque volens propitius, ut a diuturnis jactationibus conquiescens Ecclesia securitatis portum attingat.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPO PRIMATI , EPISCO-
 PIS, AC DILECTIS FILIIS CLERICIS ET RELIGIOSIS VIRIS,
 CVNCTISQVE FIDELIBVS ARMENIAE CATHOLICAE NATIONIS
 CONSTANTINOPOLITANAE PROVINCIAE.

VENERABILES FRATRES, AC DILECTI FILII, SALVTEM
 ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Neminem vestrum latet, Venerabiles Fratres, ac
 Dilecti Filii, quo paterno prorsus affectu Romani
 Pontifices Praedecessores Nostri ab antiquis tempo-
 ribus Armeniam vestram Nationem tot sane nomi-
 nibus illustrem fuerint prosequuti, et quanta cura,
 ac sollicitudine Nationem ipsam ad catholicam uni-
 tatem revocare studuerint. Neque ignoratis quos fru-
 ctus divina adspirante gratia iidem Decessores Nostri
 ex impensis eorum erga vestram Nationem studiis
 perceperint, et qua laetitia ipsi affecti fuerint, cum
 obtinere potuerunt, ut multi Armenii ad catholicae
 unitatis professionem reversi in ea stabiles et immoti
 persisterent. Ac vobis compertum exploratumque est,
 qua admirabili virtute, et summa eorum nominis
 gloria Catholici Armenii luctuosissimis temporibus
 aspera quaeque cum ipsius vitae discrimine strenue
 sint perpessi in catholica fide, et unitate tuenda ac
 profitenda, cujus amore et studio tantopere flagra-
 bant, et qua assidua contentione haec Apostolica
 Sedes suam omnem adjutricem operam Armeniis

ipsis praeberere nunquam intermiserit, ut spiritualibus praesertim illorum indigentis juxta proprium eorum ritum quovis modo occurreret, atque consuleret. Et quoniam episcopalis Armeniorum Antistitum Hierarchia jamdiu restituta in illis dumtaxat regionibus aliquo modo servari potuit, quae a persecutionis aestu aberant, idecirco Sancta haec Sedes vel maxime anxia, atque sollicita de spirituali bono Armeniorum commorantium Constantinopoli, et in finitimis provinciis, ubi Episcopi consistere haud poterant, nullis consiliis sibi parcendum esse duxit, ut eorundem Armeniorum saluti prospiceret. Quocirca Sancta haec Sedes intentissimo studio curavit et vestrae Nationis Sacerdotes optime instituere, adhibita quoque hujus Urbani Nostri Collegii opera, et illis potissimum Religiosarum Familiarum Alumnis animas addere, qui in spirituale vestrae Nationis bonum procurandum sedulo incumbere. Atque etiam probe cognoscitis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ab hac Apostolica Sede, ubi primum per temporum adjuncta fieri licuit, Armenium Antistitem episcopali dignitate insignitum in ista Constantinopolitana urbe fuisse constitutum, ac subinde, postquam Armenii catholici ob supremi Turcarum Imperatoris clementiam in rebus praesertim sacris libertate donati fuere (qua cum mutua animorum concordia religionis res majorem in modum vigere, ac florescere possent) Archiepiscopalem Primatiam Sedem in eadem Urbe fuisse erectam pro Armeniis catholicis, eisque proprium Archiepiscopum datum, veluti luculenter testantur Apostolicae Literae re. me. Pii VIII Decessoris No-

stri (1). Omnes autem norunt indefessas ac singulares curas a felicitatis recordationis Gregorio XVI Praedecessore pariter Nostro adhibitae ad amplissimae illius Dioecesis ordinem rite constituendum, et ad Catholicorum Armeniorum utilitatem, prosperitatemque magis in dies procurandam et fovendam. Nos vero ubi inscrutabili Dei iudicio in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra collocati fuimus, statim universum, qua late patet, christianum orbem animo et cogitatione complexi, paternae Nostrae sollicitudinis curas in potiore istam Armeniae Catholicae Nationis partem studiosissime, atque amantissime convertimus. Namque opera utentes Venerabilis Fratris Innocentii Archiepiscopi Sidensis, quem extraordinarium Nostrum Legatum ad supremum Turcarum Imperatorem misimus, ut eidem Principi amicabilem animi Nostrae sensus exponeret, ac simul officia Nostra deferret, haud praetermisimus ipsi potenti Ottomanorum Imperatori Armenios, aliasque omnes catholicas orientales Nationes in ejus Ditione degentes etiam atque etiam commendare. Cum autem Nobis summopere cordi esset majorem Armeniae vestrae Nationis utilitatem procurare, tum eidem Venerabili Fratri commisimus, ut diligenter investigaret in quo statu Armenia ipsa versaretur Natio, atque omnia ad Nos referret, ut, rebus maturo examine perpensis, nosceremus quae potissimum consilia a Nobis essent suscipienda ad spirituale vestrae Nationis bonum magis magisque comparandum. Itaque postquam idem

(1) Lit. Apost. Pii VIII « Quod jamdiu » et « Apostolatus officium » die 6 Julii 1830.

Venerabilis Frater delato sibi munere perfunctus accuratas rerum notitias Nobis praebeuit, probavimus varia decreta a VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis fidei propagandae edita, atque inter alia illud etiam quo improbata fuit *Societas Connationalis* appellata, ex qua damna plurima oritura esse merito praevidebantur. Hinc Apostolicas Nostras dedimus Literas, quibus tum ad exitum deduximus quae idem Decessor Noster Pius VIII sibi perficienda proposuerat, tum alios quinque Armenii Ritus Episcopos constituimus, inter quos magna veteris, et amplissimae Constantinopolitanae Dioeceseos pars fuit divisa.

Dum autem ea profecto spe nitebamur fore, ut nova ecclesiastica Armenia Provincia hisce paternis Nostris curis prospere feliciterque vigere ac florescere posset, non sine maximo animi Nostri dolore novimus, perniciosas animorum dissensiones in vestram Nationem ab inimico homine jamdiu inductas ita magis in dies invalescere, ut minime deessent, qui ad ejusmodi dissensiones fovendas vel ipsa praetererent consilia, quibus haec Apostolica Sedes vestram Nationem juvare vel maxime optabat. Quae nunquam satis deploranda animorum discordia graviter exarsit, ubi utraque dissidentium pars scriptis in vulgus editis de religiosis Nationis quaestionibus palam publiceque dissekere ac disceptare coepit; quae quidem scripta fuere vicissim exarata hostilibus praesertim asperimisque verbis atque sententiis, quae a christiana caritate omnino abhorrent, et iis plane adversantur, quae ad mutuam concordiam tuendam requiruntur, atque in lucem prodierunt inscia, et invita hac Apo-

stolica Sede , quemadmodum per iteratas ejusdem Nostrae Congregationis literas declarandum esse volumus. Quisque vestrum noscit quae exinde scandala evererunt non sine levi vestrae Nationis damno, et quo studio Nos, nulla interposita mora, omnem Nostram operam impendere properavimus, ut omnes a Vobis amoverentur contentiones, et dissensiones, earumque germina radicitus extirparentur. Nec mediocri certe jucunditate affecti fuimus, proptereaquod primae Nostrae curae optatum habuere exitum. Namque Venerabiles Fratres Antonius vester Archiepiscopus Constantinopolitanus, et Julianus Archiepiscopus Petrensis in partibus Infidelium ac Noster istic Vicarius Apostolicus pro fidelibus Latini ritus ad Nos venerunt, ac rebus omnibus expositis inter se concordissimis animis plane consensere, ac deinde Nobis probantibus in vulgus ediderunt quae vicissim constituerant. Atque utinam, veluti paterno Nostro cordi jucundissimum fuisset, omnes isti vestrae Nationis ordines pari alacritate juxta illa, quae Nostra Congregatio fidei propagandae praeposita monere et insinuare haud omisit, Nostris desideriis obsecuti fuissent plane fidentes Nostris consiliis et ordinationibus, quae ad commune vestrum omnium bonum unice spectabant. Siquidem haud cogermur tot deflere damna, et mala, quae in Vos ex animorum praesertim dissensione cum summo animi Nostri moerore redundarunt.

Cum igitur hae funestissimae contentiones et dissidia minime cessarent, mandavimus, ut eadem Nostra Congregatio fidei propagandae praeposita majori, qua fieri posset, celeritate accuratam cum veterum,

tum recentium Armeniae Nationis quaestionum cognitionem diligentissime sibi compararet, illasque in variis conventibus VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales ejusdem Congregationis pro singulari eorum prudentia ex more sedulo examinarent, atque perpenderent. Ac de hujusmodi re vehementer solliciti uni ex hisce conventibus Nos ipsi praefuimus, et, auditis eorundem Cardinalium sententiis, significavimus quae Nostra mens esset de potioribus quaestionum articulis, nunquam intermittentes assiduis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare, ut omnipotenti divinae suae gratiae auxilio humilem Nostram operam ad animarum vestrarum bonum dumtaxat intentam juvare, ac fortunare vellet. Cum vero nihil Nobis potius, quam vestrae tranquillitati, ac prosperitati statim consulere, tum res illas perficiendas curavimus, quae ad hunc tam salutarem finem conducerent. Quapropter noscentes vestrae Nationis damna vel maxime aucta fuisse ex commemoratis scriptis in vulgus editis, eadem praecipua scripta, peculiari adhibito examine, prohibenda ac damnanda mandavimus, veluti etiam vehementer improbamus alia omnia, quae ad hoc idem negotium pertinent, quaeque vel ante, vel post damnata illa scripta in lucem prodire, ac sive armenio, sive armenio vulgari, sive italico, sive gallico, sive quovis alio idiomate sint exarata, cum mutuuum praesertim odium praeseferant christianae caritati omnino adversum. Omnia quoque Nostra studia convertimus, ut in isto Constantinopolitano Seminario recta et accurata Cleri institutio religiosissime quotidie magis promoveatur, utque Religiosae Familiae meliori usque

ordine utantur, et congruum ab eadem Nostra Congregatione fidei propagandae Decretum proferri iussumus, quod omni ex parte diligenter observari mandamus. Ad omnem autem controversiam ac suspicionem penitus amovendam de Monachorum Mechtaristarum Venetiis degentium doctrina, sciatis velimus, a Monachis ipsis luculentam catholicae eorum fidei et doctrinae professionem, ac declarationem debitam adhibitis subscriptionibus ad Nos missam fuisse, quae summam Nobis attulit consolationem, Nostrisque desideriis quam cumulatissime satisfecit. Etenim non solum disertissimis verbis alacri libentique animo profitentur, se excipere omnes ordinationes, et decreta a Romanis Pontificibus et Sacris Congregationibus seu edita, seu edenda, ac signanter illa, quae vetant communicationem in divinis cum schismaticis, verum etiam clare aperteque declarant: « partem eorum Nationis, cuius bonum, et utilitatem » praecipue, et unice ipsorum spectat Institutum, » infeliciter reperiri sejunctam a communicatione » Catholica Apostolica Romana, ac propterea declarant se amplecti, et cognoscere, veluti suos » fratres, illos, quos Sancta Ecclesia Romana Apostolica recognoscit uti suos filios, et Arneniorum » Schismaticorum errorem damnantes fatentur, illos » esse extra veram Jesu Christi Ecclesiam, et profitentur, se numquam intermissuros orare, praedicare, ac tum factis, tum scriptis, tum verbis » curare, ut iidem errantes redeant ad solum et unicum Christi Jesu ovile, ejus solus summus Pastor, » Caput, et centrum est Romanus Pontifex Petri » Apostolorum Principis Successor. » Atque etiam

Vobis significamus, opportuna alia consilia a Nobis fuisse suscepta, ut omnis timor plane deponatur circa Collegia, in quibus Monachi iidem Armeniam juventutem instituunt. Quo vero potissimum opus a Nostris Praedecessoribus inchoatum, et a Nobis ob ordinariam Episcoporum Hierarchiam ad optatum exitum istic adductam absolutum prospere progredi possit, et cum Archiepiscopi Primatis, tum aliorum Sacrorum Antistitum ejus Suffraganeorum electio locum habere queat, opportunas a praedicta Nostra Congregatione instructiones dari mandavimus, easque ad ipsum Archiepiscopum, aliosque Episcopos perferendas esse jussimus.

Quae quidem omnia satis superque ostendunt, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, quam vehementer de spirituali vestro bono Nos solliciti simus, et quo paternae caritatis studio Armeniam vestram Nationem in Domino prosequamur. Nunc vero has Nostras Vobis scribimus Literas, quibus Vos omnes peramanter alloquimur, ac summo opere hortamur, monemus, et obsecramus, ut induatis vos, sicut electi Dei, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, atque arctissimo inter vos concordiae et caritatis vinculo obstricti deponatis omnes similitudines, contentiones, aemulationes, iras, dissensiones, ac sequamini in omnibus pacem, et sanctimoniam, et unanimes idipsum sentientes perfecti sitis in eodem sensu, et in eadem sententia, ac solliciti servare in vinculo pacis illam spiritus unitatem, quae a Christo Domino tantopere fuit commendata et inculcata. Quibus amantissimis Nostris monitis, hortationibus, desideriiis, et postulationibus Vos pro filiali vestra erga Nos, et

hanc Sanctam Sedem pietate eo magis obsecuturos esse confidimus, quod tristi experientia docti scitis quot calamitates ob animorum discordiam illustris vestra Natio sit perpessa, quae secundis, faustisque rebus usa profecto fuisset, si omnes mutua voluntatum concordia devincti, et invicem diligentes ambulassent in caritate Dei. Memoria igitur repetentes quibus aerumnis propter discordiam afflicti fuistis, ac serio considerantes quod *omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit* (1), et illud Apostoli monitum prae oculis semper habentes, scilicet, *quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consummami* (2), nihil Vobis omnibus in posterum potius, nihil antiquius sit, quam singulari cura et studio christianam inter Vos animorum concordiam fovere, pacem habere, et ea quae pacis sunt sectari. Omnes quidem memineritis qua paterna sollicitudine hanc concordiam Vobis quoque inculcaverit idem Decessor Noster Pius VIII, qui in ista Archiepiscopali Primatiali Constantinopolitana Sede instituenda suis Apostolicis Literis finem dedit hisce S. Leonis Magni Praedecessoris item Nostri verbis: « Connexio, » scilicet totius corporis unam sanitatem, unamque » pulchritudinem facit; et haec connexio unius quidem corporis unanimi- » tatem requirit, sed praecipue » exigit concordiam Sacerdotum. » Quae salutaria sane monita denuo pari studio repetere haud omisit alter Praedecessor Noster Gregorius XVI, ut magis magisque Vos omnes ad hanc mutuam animorum concordiam tuendam excitaret atque inflammaret.

(1) Matth. 12 25.

(2) Gal. 5 15.

Nunc vero sermonem Nostrum ad Vos praecipue convertimus, Venerabiles Fratres, istius ecclesiasticae Constantinopolitanae Provinciae Antistites, ac Vos vehementer in Domino obtestamur, ut nunquam cessetis concordissimis animis, et ingeminatis studiis qua opere, qua verbo, qua exemplo fideles Vobis commissos ad mutuam concordiam pacem et caritatem continenter hortari, inflammare et cujusque dissensionis motus frangere atque comprimere. Omnes autem gravissimi episcopalis vestri muneris partes summa animorum, voluntatum et sententiarum conjunctione sedulo ac studiosissime obeuntes « pascite, » qui in Vobis est, gregem Dei, providentes non coactae, sed spontaneae secundum Deum..... neque ut » dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex » animo (1).» In primis vero nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus unquam parcite, ut in vestris Dioecesibus divinae fidei nostrae depositum integrum, inviolatumque custodiatur, ut Clerus rebus optimis sancte instituatur, et ad omnem virtutem atque ecclesiasticum spiritum accurate fingatur, ac disciplinis praesertim sacris ab omni ejusque erroris periculo plane alienis erudiatur, ut fideles quotidie magis salutari catholicae religionis doctrina, ejusque sanctissimis perceptionibus imbuantur, et per gratiarum charismata confirmentur, quo declinantes a malo, et facientes bonum crescant in scientia Dei, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, et instent viam quae ducit ad vitam, ut morum honestas, vitae integritas ac virtus, religio, pietas ma-

(1) Petr. Epist. I, cap. 5. v. 2, 3.

jora in dies incrementa suscipiant, et in omnium animis vigeant ac dominantur. Atque in Pastorum Principis exemplum semper intuentes, qui se *mitem et humilem corde* professus est, quique reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, nihil antiquius habeatis, Venerabiles Fratres, quam miseros errantes in spiritu lenitatis, et mansuetudinis ad rectum justitiae et veritatis tramitem reducere, illosque ex Apostoli praescripto arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, « cum saepe » plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus » caritas, quam potestas (1).» Quod si interdum gravitatis, ac severitatis partes a Vobis sint adhibendae, quando, levioribus jam frustra adhibitis fomentis, morbi gravitas aciora remedia postulat, in delinquentes homines ex Sacrorum Canonum praescripto animadvertite temperantes cum misericordia judicium, cum mansuetudine zelum, cum lenitate rigorem, quemadmodum Ecclesiae pastores vel maxime decet, qui se subditis suis pietate matrem, disciplina patrem exhibere debent.

Vos etiam omnes omnium ordinum affamur, Dilecti Filii Cleri cum Secularis tum Regularis, qui divino ministerio mancipati elegistis jam Dominum tanquam partem haereditatis vestrae. Propriis Antistitibus, uti par est, subditi, eisque obedientes ac memores vocationis et dignitatis vestrae, eam morum gravitate, vitae sanctitate exsequi ac tueri contendite, quo populos in magnum vestri ordinis amorem,

(1) Conc. Trid. Sess. XIII, cap. 1. De Reformat.

enerationemque adducere, ac magnum ecclesiasticae aedificationi incrementum afferre quotidie magis possitis. Quamobrem studiosissime declinantes ab iis omnibus, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, nihil unquam admittere velitis, quod aliis offensionem esse possit, sed magis magisque curate praebere vosmetipsos exemplum bonorum operum in verbo, in conversatione, in caritate non ficta, in doctrina, in fide, in castitate. Cum vero sive necessitate, sive sacri ministerii ratione compulsi in saecularium domibus versari debetis, vestris omnibus actionibus ecclesiasticae personae dignitatem ac magnitudinem ita sustinere contendite, ut virtutum omnium ornatu fulgentes sitis bonus Christi odor. Vos autem Religiosi viri prae oculis habentes Decretum ejusdem Nostrae Congregationis die 20 Augusti superiori anno jussu Nostro editum, illud religiosissime servandum curate. Nunquam vero intermittite vos omnes utriusque Cleri viri orationi instare ac Deum continenter precari, ut uberrima coelestis suae gratiae dona super Vos, et christianum populum propitius semper effundat. Ne cessetis divinarum praesertim literarum, sacrarumque disciplinarum studia assidue ac sedulo excolere, quo possitis iis respondere, qui legem de ore vestro requirunt et mandata Dei illos docere, qui ignorant et errant. Singularem vero industriam ac diligentiam quaerentes non quae vestra sunt, sed quae Jesu Christi sunt, studete, Dilecti Filii, omnia sacri vestri ministerii munia pie sancteque exercere, atque unanimes vestram omnem cum propriis Antistibus operam praestare nunquam intermittite, ut sempiternam fidelium salutem procurare

ac sanctissimam nostram religionem, ejusque doctrinam magis magisque promovere et discordiarum semina extirpare, atque christianae concordiae et pacis amorem omnibus ingerere possitis. Cum autem omnis sapientia a Deo, tum qui inter vos scientia pollent, ne superbiant unquam, sed humillimas clementissimo bonorum omnium largitori Domino agentes gratias, doctrina ad propriam, aliorumque aedificationem semper utantur, serio meditantes, Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam et ab Ipso gravius illos judicari, qui plus ceteris acceperint. Nam, uti sapientissime monet S. Gregorius Magnus Decessor Noster, « cum augentur dona, rationes etiam » crescunt donorum; ac propterea tanto esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque » debet ex munere, quanto se obligatiorem esse » conspicit in reddenda ratione (1). » Nemo inter Vos unquam reperitur, qui aliis vestri potissimum ecclesiastici ordinis viris illa dona invidere videatur, ex quibus spiritualis in proximum utilitas possit redundare.

Sed jam os Nostrum patet ad Vos omnes, Dilectissimi in Christo Filii Armeniae Catholicae Nationis in istis Constantinopolitanae ecclesiasticae Provinciae regionibus degentes cujusque ordinis, aetatis, sexus et conditionis. Vos igitur pro summo paterno Nostro in Vos omnes amore etiam atque etiam in Domino monemus et hortamur, ut omnibus simultatibus, dissensionibus, aemulationibus, dissidiis depositis, mutuum inter vos concordiam et pacem habeatis sup-

(1) S. Gregor. Homil. IX in Evang.

portantes invicem in caritate. Vobis autem summo-
 pere cordi sit in catholicae religionis professione
 quotidie magis stabiles persistere ac Nobis et huic
 Beatissimi Principis Apostolorum Cathedrae firmi-
 tor, constanterque ex animo adhaerere, et operibus
 caritatem vel in Deum vel in proximum praesefe-
 rentibus semper insistere ac singula Dei in Ecclesiae
 mandata sedulo exsequi et omnia peragere in nomine
 Domini Nostri Jesu Christi. Subditi estote et obedite
 vestris Episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit re-
 gere Ecclesiam Dei. Ipsi enim vestra salus est com-
 missa, de qua severissimam aeterno Pastorum Prin-
 cipi rationem aliquando sunt reddituri, ac propterea
 ipsis summo-pere advigilandum, excubandum, allabo-
 randum, ut vos ad salutis semitam deducant ac do-
 ctrinae opportunitate et veritate infirma confirmet,
 disrupta consolident, depravata convertant et verbum
 vitae in aeternitatis cibum vobis alendis dispendant.
 Quare vestras aures ipsorum Antistitum voci et au-
 ctoritati faciles praebete et nunquam eveniat ut ali-
 quis inter vos existat, qui proprio Antistiti resistere,
 eique legem imponere quodammodo velit in iis prae-
 sertim omnibus, quae ad episcopale ministerium
 et auctoritatem pertinent.

Vos modo alloquimur omnes, qui in Armenia ista
 catholica Natione et generis nobilitate et muneris
 splendore et auctoritate et opibus ceteris praestatis.
 Nihil certe illustri vestrae Nationi utilius, nihil prae-
 stabilius obvenire unquam poterit, quam si vos omnes
 uti honore ac dignitate, ita etiam virtutum splendore
 praefulgeatis: a vobis enim christiana plebs exempla
 petit quae imitetur. A Vobis igitur etiam atque etiam

exposcimus, ut religionis amore ac mutuæ concordiae studio quotidie magis incensi non solum nihil unquam vel contra Ecclesiam, vel adversus vestros Sacrorum Antistites moliri velitis, quemadmodum agere solent, qui a catholica unitate sunt sejuncti, verum etiam ut vestra omnia consilia et studia conferatis, quo catholica Ecclesia majora istic incrementa suscipiat et omnes debita reverentia, obsequio et obedientia prosequantur tum supremam illam, plenamque potestatem Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus a Christo Domino divinitus collatam, pascendi scilicet, regendi et gubernandi universam qua late patet Ecclesiam, tum sacram ac venerandam auctoritatem, qua erga proprium gregem pollent Episcopi, quae nulli prorsus unquam civili auctoritati possunt esse obnoxiae ac subjectae. Videtis profecto quam gloriam Vobis comparare, et quam uberem a bonorum omnium retributore Deo mercedem consequi poteritis, si hisee Nostris monitis, desiderii ac postulationibus obsequentes, sanctissimae nostrae religionis utilitatem, prosperitatemque, quantum in Vobis est procurare contenderitis.

Antequam vero, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, scribendi finem faciamus, Vobis nonnulla clare aperteque declaranda esse censemus circa rem, in quam magna sententiarum confusio est inducta, et quae non medioerem causam dedit dissensionibus inter Vos exortis, ut omnes ambiguitates et dubitationes de medio tollamus. Summam certe laudem ii omnes merentur qui exoptant ut illa Armeniae vestrae Nationis pars, quae adhuc in schismate misere versatur ad catholicam unitatem redeat. Etenim hu-

jusmodi desiderium plane respondet tum ardentissimis S. Matris Ecclesiae votis, quae Deum orare et obsecrare nunquam desinit, ut omnes dissidentes filii ad suum sinum et complexum revertantur, tum indefessis hujus Sanctae Sedis curis et studiis, quae ob hanc causam tantopere allaboravit atque allaborare nunquam intermittit. Ac Nos ipsi ut probe no-
stis vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio memorati Nostri ad Illustrem Turcarum Imperatorem Legati occasione utentes, ad Orientales Nostras dedimus Literas (1), quibus illos amantissime aequae studiosissime excitavimus, ut ad catholicae unitatis professionem reverti properarent, festinarent. Atque utinam universa vestra Natio coelesti gratiae respondens, ejuratis erroribus in docilitatis et unitatis spiritu ad unicum Christi ovile rediret, a quo plane abest quicumque non consociatur cum hac Sancta Petri Sede, ex qua in omnes venerandae communionis jura dimanant (2), ad quam omnis obedientia et honor est deferendus (3), et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam hoc est qui sunt undique fideles (4). Equidem incredibili Nos afficeremur consolatione et universa Ecclesia ingenti exultaret laetitia, si omnis vestra Natio ad catholicam rediret unitatem. Ex quo profecto intelligitis, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, Nos non solum probare haud

(1) *Litterae ad Orientales die 6 Januarii 1848 quae incipiunt « In Suprema Petri. »*

(2) *S. Ambros. Epist. 12 ad Damas. n. 2 et 4.*

(3) *Concilium Ephes. Act. 4.*

(4) *S. Irenaeus adversus haeres. cap. 3.*

posse eorum agendi rationem, qui asperis, durisque modis cum vestrae Nationis schismaticis agere solent, nec debitam eorum rationem habent, verum etiam vehementer et omnino illos improbare, qui non amore et benevolentia, sed asperitate ac severitate eos etiam prosequuntur, qui a funesto schismate ad catholicam unitatem sunt conversi.

Verum eodem tempore tolerare non possumus, ut aliqui catholicae unionis promovendae praetextu nullum discrimen habendum esse velint quoad Schismaticorum errores atque abutentes studio, quo haec Sancta Sedes veteres, sanctosque Ecclesiae Orientalis ritus tuendos curavit, existiment in hac re id prorsus omne accuratissime esse exequendum, quod a Schismaticis in praesentia agitur et arbitrentur, nonnullos quoque usus esse eliminandos, qui in catholicam vestram Nationem rite invecti fuerunt, ut solemniori modo ostenderetur, quam vehementer catholica ipsa vestra Natio ab haeresi et schismate abhorreat, et catholicae unitati firmiter adhaerescat. Atque isti homines vellent etiam, ut quaedam opera et ecclesiasticae regulae tollerentur, quas experientia veterum Canonum disciplinae adjiciendas plane esse demonstravit, dum catholica Ecclesia ab haeresi et schismate, quae mortua sunt, longe et omnino dissimilis perpetua vicens vita, et coelestium divitiarum ditata thesauris ac veriatis magistra, et salutis index tot sanctorum operum et pulcherrimarum institutionum est fecunda parens et altrix, quibus religionem, pietatem, humanitatem, omnesque virtutes fovet et communi omnium bono, ordini, prosperitati et concordiae mire consulere nunquam desinit. At minime

ignoratis, eundem Praedecessorem Nostrum Gregorium XVI contra istorum hominum ita sentientium consilia suas Apostolicas edidisse Literas, quae die tertia Februarii anno 1832 datae incipiunt: « Inter gravissimas. » Illud vero singulare et admiratione dignum videtur, quod isti rituum tantopere studiosi non dubitent in aliis articulis ab ipsius Orientalis Ecclesiae Canonibus deflectere.

Jam vero, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, post haec omnia, quae pro impensae Nostrae erga catholicam vestram Armeniam Nationem caritatis studio Nos ipsi hisce Nostris Literis Vobis significanda et declaranda existimavimus ad omnes dubitationes et ambiguitates propulsandas in eam profecto spem erigimur fore, ut Deo bene juvante juxta ardentissima Nostra vota concordia et pax, ex quibus vestra eadem Natio omnem veram prosperitatem expectare potest, denuo in vestrum omnium animis reviviscant ac dominantur. Ut autem tam salutaris et exoptata tranquillitas a Vobis facilius possit obtineri, hisce Literis perpetuum et absolutum silentium imponimus super praeteritis quaestionibus et controversiis, atque omnino vetamus omnem reclamationem et sermonem, qui inter fideles Armenios pacem turbare possit, itemque expresse et severe prohibemus, haeretici vel schismatici notam illis inurere, qui cum hac Apostolica Sede communionem et gratiam habent. Si qui enim extiterint, quod nunquam futurum confidimus, qui haud recte agant vel suspiciones ingerant, debita ratione erit providendum, atque in primis res huic Apostolicae Sedi erit exponenda cum opportunis et canonicis docu-

mentis. Quapropter post ejusmodi Nostra monita et declarationem, omnes cujusque classis et ordinis perturbatores in posterum gravissimae culpa rei erunt, nec poterunt ullo modo et praetextu se excusare, ne debita erga ipsos adhibeatur severitas. Sed iterata ac luculenta filialis erga Nos et hanc Sanctam Sedem pietatis, amoris et obsequii testimonia, quae ex omnibus Armeniae vestrae catholicae Nationis ordinibus excepimus, in maximam porro spem Nos adducunt fore, ut ipsa vestra Natio multam Nobis consolationem, laetitiam et gaudium sit allatura. Hac igitur fiducia freti haud intermittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione clementissimum misericordiarum Patrem humiliter, enixeque exorare, ut prospera cuncta et salutaria Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, semper propitius largiri velit, atque ut *pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras, utque gratia Jesu Christi, et communicatio Sancti Spiritus sit cum Vobis omnibus.* Atque horum auspiciis, et studiosissimae paternae Nostrae in vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem intimo cordis affectu Vobis omnibus, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 2 Februarii anno 1854. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIIS
ET EPISCOPIIS HIBERNIAE

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Optime noscitis, Venerabiles Fratres, quanta Nos laetitia et consolatione affecti fuerimus ubi primum intelleximus, Vos pro eximia vestra religione Nostris et hujus Sanctae Sedis desideriis, monitisque perlibenter obsequentes in Thurlesensi Synodo, quam anno 1850 concelebrastis, inter alia decrevisse, catholicum Lyceum collatis consiliis, conjunctisque viribus quamprimum istic a Vobis esse erigendum, ubi istius illustris vestrae Nationis Nobis carissimae adolescentibus absque ullo sanctissimae fidei nostrae discrimine quotidie magis ad pietatem, omnemque virtutem sedulo fingi, atque humanioribus literis, superioribusque disciplinis scienter erudiri, et imbui possent. Ac probe memineritis quomodo Nos Apostolicis Nostris Literis Annulo Piscatoris obsignatis ac die 23 Martii Anno 1852 editis, cum ipsius Synodi Acta, tum hujus Lycei constitutionem probavimus, ac deinde Encyclicis Nostris Literis die 25 ejusdem mensis et anni ad Vos datis de ejusmodi saluberrimo ad religionis et scientiarum incrementum suscepto consilio Vobis vehementer gratulati fuimus, ac simul meritis istis fidelibus tribuimus laudes, qui jam tunc non levia ad ipsum catholicum Lyceum in Hibernia excitandum subsidia contulerant. Cum au-

tem vel maxime optaremus, ut catholicum hoc Lyceum, seu Universitas in Hibernia cito constabileretur, tum commemoratis Nostris Apostolicis Literis Venerabili Fratri Paulo tunc temporis Armacano Archiepiscopo ad Nostrum, et hujus S. Sedis arbitrium Delegati Apostolici munus prorogandum esse censuimus, quo et memoratae Synodi Thurlesensis decreta diligenter observanda, et catholici praesertim Gymnasii constitutionem in ipsa Synodo sancitam, et a Nobis confirmatam ad optatum exitum celeriter perducendam omni studio et industria curaret. Quocirca cum idem Venerabilis Frater ad Archiepiscopalem Dublinensem Ecclesiam regendam ac moderandam a Nobis fuerit translatus, opportunum esse duximus, ut eodem Delegati Apostolici munere perfungeret, quemadmodum per alias Nostras Apostolicas Literas die 3 Maii eodem Anno 1852 sub Annulo Piscatoris datas constituimus. Ac pro certo habebamus, Vos, Venerabiles Fratres, nulla interposita mora tam salutari operi manum statim admoventes, vestra omnia consilia et studia omni alacritate fuisse adhibituros ad catholicum hoc in Hibernia Gymnasium majori celeritate excitandum, ex quo maximas in istos fideles populos utilitates divina adspirante gratia redundaturas esse confidimus. Hinc non levi certe molestia cognovimus, catholicam hanc Universitatem a Nobis et bonis omnibus tantopere exoptatam nondum fuisse constitutam, etiamsi ea omnia praesto sint, quae ad ipsam constabiliendam requiruntur. Itaque has ad Vos scribimus Literas, quibus etiam atque etiam a Vobis exposcimus, Venerabiles Fratres, ut, omni cunctatione plane remota,

vestras omnes curas cogitationesque concordissimis animis, et ingeminatis studiis ad catholicam ipsam Universitatem statuendam convertere properetis. Ut autem tam pium tamque salutiferum opus celeriter perficiatur, volumus atque mandamus, ut Vos omnes intra tres menses, postquam hae Nostrae Literae ad Vos pervenerint, conventum habeatis apud Venerabilem Fratrem Paullum Archiepiscopum Dublinensem, quem hujus conventus Praesidem, ac Delegatum Apostolicum constituimus, ut ibi in Domino congregati, et ad sacrorum canonum normam in unum collecti, absque ulla tamen publica solemnitate de-nuo collatis inter Vos consiliis, et consociatis animis ea omnia in primis statuatis, quae ad catholicam hanc Universitatem cito constituendam et aperiendam possint pertinere. In hoc autem conventu episcopalis vestrae sollicitudinis erit ea opportuna suscipere consilia, ut haec Universitas catholici, quo ornatur, nominis dignitati, ac sanctitati plane respondeat. Quocirca Vestrum erit intentissimo studio prospicere, ut ibi divina nostra religio tamquam anima totius literariae institutionis habeatur, et idcirco sanctus Dei timor et cultus foveatur, promoveatur, ut fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodiatur, et omnes disciplinae aretissimo cum religione foedere conjunctae progrediantur, ut omnia studiorum genera eoruscantibus catholicae doctrinae radiis illuminentur, et sanorum verborum forma firmiter retineatur, ut id catholicum credatur, et excipiatur, quod ab hac Suprema Beatissimi Petri Apostolorum Principis Cathedra tutissimo totius ca-

tholicae communionis portu (1), et omnium Ecclesiarum matre atque magistra (2) proficiscitur, et quod contra est strenue constanterque ex animo rejiciatur, ut omnes errores et profanae novitates propulsentur, atque eliminentur, ut ipsius Universitatis Professores in omnibus se ipsos praebeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, nihilque antiquius habeant, quam totis viribus adolescentium animos ad pietatem, honestatem, omnemque virtutem sedulo fingere, illosque rebus optimis instituere, ac literis et disciplinis diligenter erudire juxta documenta catholicae Ecclesiae, quae columna est, ac firmamentum veritatis. Cum autem noverimus, a Vobis jam electum fuisse Dilectum Filium Presbyterum Joannem Henricum Newman, ut eandem Universitatem regat et moderetur, tum ejusmodi vestram electionem approbantes volumus, ut idem Presbyter egregiis animi ingeniique dotibus ornatus, ac pietatis doctrinaeque laude, et catholicae religionis studio praestans ejusdem Universitatis curam et regimen suscipiat, eique veluti Rector praesit.

Jam vero non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin in hoc eodem conventu pro pastoralis vestra vigilantia, ac sacerdotali zelo alia etiam omnia unanimi consensu statuenda curetis, quae in vestris Dioecesisibus quotidie magis Dei gloriam augere, Cleri disciplinam, et sanctitatem promovere, ac populorum pietatem et devotionem fovere valeant. Etenim probe intelligitis, necesse omnino esse, ut Sacri Ecclesiae

(1) Hieronym. Epist. 16.

(2) Concil. Trident. Sess. VII, de Baptism. can. 3.

Pastores hisce praesertim asperrimis ac luctuosissimis temporibus maximam et indefessam curam, industriam, diligentiam, laborem assidue adhibeant, quo omnes gravissimi ac formidandi episcopalis muneris partes sedulo possint obire. Quapropter ne omittatis in hoc quoque conventu ea inire consilia, quibus ministerium vestrum implentes possitis quotidie magis in istis regionibus et sanctissimae fidei nostrae integritatem salvam incolumemque tueri, et religionis cultum promovere, et rectam Cleri institutionem, ac sanctimoniam excitare, et fideles Vobis commissos sanctissimis augustae religionis praeceptionibus imbuere, ac per gratiarum charismata confirmare, illosque ab venenatis pascuis arcere, atque ad salutaria propellere, et miseros errantes in omni bonitate, et doctrina ad unicum Christi ovile reducere, et inimicorum hominum insidias, fraudes, errores profligare, eorumque impetus frangere. Et quoniam haud ignoratis quos laetos uberesque fructus caelesti auxiliante gratia christianis populis sacrae Missiones ab idoneis potissimum operariis habitae afferre soleant, idcirco ne praetermittatis ecclesiasticorum hominum Cleri cum Secularis, tum Regularis societatem rite constituere, quo facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui virtutum omnium ornatu fulgentes, ac recte tractantes verbum veritatis valeant in vestris Dioecesibus salutare sacrarum Missionum ministerium ea, qua par est, ratione utiliter ac diligenter exercere. Nunc vero haud possumus, quin Vobis, Venerabiles Fratres, iterum vehementissimo sane studio inculcemus, ut vestram omnem operam, auctoritatemque impendatis, quo praedictae

Thurlesensis Synodi decreta a Nobis approbata et confirmata religiosissime ab omnibus observentur, et quae in iisdem decretis sancita sunt studiosissime perficiantur. Et quo facilius consequi id possitis, Venerabiles Fratres, ne omittatis ejusdem Thurlesensis Concilii decreta solemniori modo promulgare, eorumque observantiam vehementer commendare, et praecipere in Synodis tum Provincialibus, tum Dioecesanis, quas, uti scitis, ex sapientissimis praesertim Concilii Tridentini praescriptis concelebrare debetis. Atque ea potissimum occasione serio considerantes propria cujusque Provinciae, ac Dioecesis rerum ac temporum adjuncta, et indigentias, ne cessetis, Venerabiles Fratres, vestrum omnem episcopalem zelum provide sapienterque explicare, ut quod infirmum est consolidetis, quod aegrotum sanetis, quod fractum alligetis, quod abiectum reducatis, quod periit quaeratis, ut ex virtute, quam administrat Deus, in omnibus Ipse honorificetur per Jesum Christum Dominum Nostrum (1). Vobis autem summopere cordi sit juxta Apostolicas Constitutiones statutis temporibus haec veneranda Apostolorum Petri et Pauli limina praesentes visitare, ac Nobis et huic Sanctae Sedi diligenter exponere et referrestrarum Dioecesium res, statum, negotia, ut opportuna quaeque auxilia habere possitis ad muneris vestri partes majori usque alacritate et studio obeundas.

Persuasissimum Nobis est, Vos, Venerabiles Fratres, pro egregia vestra religione, ac singulari erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate, amore, et

(1) I. Petri cap. 4, v. 11.

observantia quam cumulatissime esse satisfacturos hinc Nostris desideriis, monitis, postulationibus et mandatis, quae clare aperteque ostendunt, quantopere de spirituali istius vestrae Nationis salute ac prosperitate solliciti simus. Interim vero divitem in misericordia Deum humiliter enixeque oramus et obsecramus, ut in abundantia divinae suae gratiae Vobis propitius semper adesse velit, vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles Vobis concrediti magis in dies ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque horum auspiciem, et praecipuae paternae Nostrae in Vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 20 Martii Anno 1854. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHE-
PISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS GRA-
TIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS.

VENERABLES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Apostolicae Nostrae caritatis sollicitudine et af-
fectu universum catholicum contemplantes orbem
verbis exprimere vix possumus, Venerabiles Fra-
tres, quo intimo conficiamur moerore cum chri-
stianam et civilem rempublicam luctuosissimis cuius-
que generis calamitatibus miserandum in modum
undique turbatam, pressam ac divexatam conspi-
cimus. Etenim optime noscitis quomodo christiani
populi vel saevissimis bellis, vel intestinis dissidiis,
vel pestiferis morbis, vel ingentibus terrae motibus,
vel aliis gravissimis malis affligantur et exagitentur.
Atque illud vel maxime dolendum, quod inter tot
nunquam satis lugenda damna et mala filii tem-
brarum, qui sunt prudentiores filiis lucis in gene-
ratione sua, magis in dies diabolicis quibusque frau-
dibus, artibus, ac molitionibus connitantur acerrimum
contra catholicam Ecclesiam, eiusque salutarem do-
ctrinam bellum gerere, legitimaе cuiusque potestatis
auctoritatem convellere et labefactare, omnium ani-
mos mentesque depravare, corrumpere, mortiferum
indifferentismi atque *incredulitatis* virus usquequaque
propagare, iura omnia divina et humana permiscere,
dissensiones, discordias, atque impiarum rebellionum

motus excitare, fovere, prava quaeque flagitia et crudelissima facinora admittere, nihilque intentatum relinquere, ut, si fieri unquam posset, sanctissima nostra religio de medio tollatur et ipsa humana societas funditus evertatur. In tanto igitur rerum discrimine probe noscentes, Nobis singulari miserantis Dei beneficio in oratione datam esse facultatem et omnia obtinendi bona, quibus indigemus, et avertendi mala, quae reformidamus, haud omisimus levare oculos Nostros in montem excelsum et sanctum, unde omne Nobis auxilium affuturum confidimus. Atque in humilitate cordis Nostri enixis fervidisque precibus divitem in misericordia Deum orare et obsecrare non desistimus, ut auferens bella usque ad finem terrae, et omnia amovens dissidia christianis Principibus, eorumque populis pacem, concordiam, ac tranquillitatem tribuat, ut ipsis praesertim Principibus pientissimum concedat studium quotidie magis tuendi et propagandi catholicam fidem et doctrinam, qua populorum felicitas vel maxime continetur, ut eosdem Principes et populos a cunctis, quibus affliguntur, malis eripiat, et omni vera prosperitate laetificet, ut coelestis suae gratiae dona errantibus largiatur, quo de perditionis via ad veritatis et justitiae semitas redeant, ac sincero corde ad ipsum Deum convertantur. Etsi vero in hac alma urbe Nostra preces iam fieri iussimus ad divinam misericordiam implorandam, tamen illustria Decessorum Nostrorum vestigia sectantes ad vestras quoque, ac totius Ecclesiae preces confugere constituimus.

Itaque, Venerabiles Fratres, has Vobis scribimus Literas, quibus ab eximia et perspecta vestra pietate etiam atque etiam exposcimus, ut commemoratis de causis fideles vestrae curae commissos omni cura et studio excitetis, quo per veram poenitentiam peccatorum pondus deponentes, obsecrationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus iram Domini flagitiis hominum provocatam placare contendant. Ac pro egregia vestra religione, et sapientia ipsis fidelibus exponite quam multae misericordiae sit Deus omnibus invocantibus se, et quanta sit precum vis, si inimico nostrae salutis nullo aditu admissio Dominum adeamus. Oratio enim, ut Chrysostomi verbis utamur, « est fons et radix, et mater » innumerabilium bonorum; et orationis vis vim » ignis extinxit, furorem leonum refrenavit, bella » composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, » daemones fugavit, coeli portas aperuit, vincula » mortis abruptit, morbos eiecit, damna repulit, ur- » bes concussas firmavit, inflictas coelitus plagas, » hominum insidias, omnia denique mala sustulit » oratio » (1). Vehementer autem optamus, Venerabiles Fratres, ut dum fervidae clementissimo misericordiarum Patri adhibentur preces ob enunciatas causas, haud intermittatis iuxta Encyclicas Nostras Literas die 2 Februarii Anno 1849 ad Vos Caietae datas una cum vestris fidelibus Ipsum ardentiori usque studio suppliciter exorare, ut Sancti Sui Spiritus lumine Nostram mentem propitius collustrare

(1) S. Joan. Chrysost. Homil. 15 de incomprehensibili Dei natura contra Anomacos.

velit, quo de Sanctissimae Dei Genitricis Immaculatae Virginis Mariae Conceptione quamprimum id statuere possimus, quod ad maiorem ipsius Dei gloriam, et eiusdem Virginis omnium nostrum amatissimae Matris laudem possit pertinere.

Iam vero ut fideles Vobis concrediti ferventiori caritate et uberiori fructu orationes peragant, coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis tradidit Altissimus, proferre et erogare censuimus. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi et solvendi facultate, quam Dominus Nobis licet immeritis commisit, per has Literas omnibus et singulis vestrarum Dioecesium utriusque sexus fidelibus, qui intra trium mensium spatium ab unoquoque vestrum praefigendum; atque a die, quem quisque vestrum constituerit, computandum peccata sua humiliter et cum sincera illorum detestatione confessi, et sacramentali absolutione expiati sanctissimum Euchari-stiae Sacramentum reverenter susceperint, ac devote visitaverint, vel tres Ecclesias a Vobis designandas, vel tribus vicibus illarum unam, ibique aliquo temporis spatio pias ad Deum juxta Nostram mentem, ac pro Sanctae Matris Ecclesiae, ac Sedis Apostolicae exaltatione et prosperitate, et pro haeresum extirpatione, atque pro pace et concordia christianorum Principum, ac totius populi christiani pace et unitate preces effuderint, et insuper intra idem temporis intervallum semel jejunaverint, et aliquam in pauperes pro sua pietate eleemosynam erogave-

rint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Iubilaei concedimus et largimur, quae per modum suffragii animabus in purgatorio existentibus applicari etiam poterit. Ut autem hanc Indulgentiam lucrari etiam possint Moniales, seu aliae personae in claustris perpetuo degentes, nec non quicumque in carcere existunt, vel corporis infirmitate, aut alio quovis impedimento prohibentur, quominus aliqua ex commemoratis operibus peragere valeant, Confessariis facultatem tribuimus, ut eadem in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint, cum facultate etiam dispensandi super Communionem cum pueris, qui nondum ad primam Communionem fuerint admissi. Quocirca Vobis potestatem facimus, ut hac occasione, et durante commemorato trium mensium spatio tantum, vestrarum Dioecesium Confessariis auctoritate Nostra Apostolica omnes illas ipsissimas facultates largiri possitis, quae a Nobis tributae fuerunt in alio Iubilaeo concesso per Nostras Encyclicas Literas die 21 Novembris 1851 Vobis missas, typisque editas, et incipientes « Ex aliis Nostris », iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem Literis a Nobis excepta fuere. Insuper Vobis veniam tribuimus concedendi vestrarum Dioecesium fidelibus tum laicis, tum ecclesiasticis secularibus et regularibus, et cuiusvis instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem, ut sibi ob hanc causam eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium saecularem, seu regularem ex approbatis, ipsamque facultatem tribuendi etiam Monialibus licet ab Ordinarii iurisdic-

ctione exemptis , aliisque mulieribus intra claustra commorantibus.

Agite igitur, Venerabiles Fratres, quippe qui et in sollicitudinis Nostrae partem vocati, et custodes super muros Ierusalem constituti estis. Ne cessetis una Nobiscum dies noctesque in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione humiliter enixeque clamare ad Dominum Deum Nostrum, eiusque divinam implorare misericordiam, ut iracundiae suae flagella, quae pro peccatis nostris meremur, propitius avertat, et bonitatis suae divitias super omnes clementer effundat. Plane non dubitamus, quin hisce Nostris desideriis et postulationibus quam cumulatissime satisfacturi sitis, ac pro certo habemus, omnes praesertim Ecclesiasticos, ac Religiosos Viros, Sanctimoniales, aliosque Laicos fideles, qui pie viventes in Christo digne ambulant vocatione, qua vocati sunt, ardentissimo pietatis studio supplices suas preces Deo sine intermissione esse adhibituros. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad preces nostras haud omittamus, Venerabiles Fratres, eorum suffragia petere, qui iam coronati obtinent palmam, atque in primis et perpetuo invocemus Deiparam Immaculatam Virginem Mariam, qua nulla apud Deum aptior et potentior deprecatrix, quaeque mater est gratiae et misericordiae, deinde invocemus patrocinium Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque Sanctorum Coelitem, qui cum Christo regnant in coelis. Nihil vero Vobis antiquius, nihil potius sit, quam ingeminatis studiis fideles curae vestrae commissos assidue hortari, monere, et excitare, ut in catholicae religionis professione quo-

tidie magis stabiles et immoti persistant, inimicorum hominum insidias, fallacias et fraudes studiosissime devitent, et alacriori usque pede incedant per semitas mandatorum Dei, et a peccatis diligentissime se abstineant, ex quibus mala omnia in humanum genus redundant. Quapropter ne intermit-tatis unquam Parochorum praesertim zelum conti-nenter inflammare, ut proprio munere sedulo reli-gioseque fungentes nunquam desinant Christianam plebem sibi commissam sanctissimis divinae nostrae fidei rudimentis, et praeceptionibus accuratissime imbuere et erudire, et sacramentorum administra-tione diligenter pascere, omnesque exhortari in do-ctrina sana.

Denique coelestium omnium munerum auspicem, et ardentissimae Nostrae in Vos caritatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, eunctisque Clericis, Laicisque fidelibus vigilantiae vestrae concreditae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Augusti
Anno 1854. Pontificatus Nostri Anno Nono.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE I. DECEMBRIS MDCCCLIV.

VENERABILES FRATRES

Inter graves multiplicesque angustias et aerumnas, quibus affigimur, maximam certe Nobis et universae Ecclesiae laetitiam parat clementissimus misericordiarum Pater et Deus totius consolationis. Iam enim prope esse videtur, Venerabiles Fratres, optatissimus ille aequae ac iucundissimus dies, quo Immaculatus sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptus suprema Nostra auctoritate decernatur. Nulla quidem maior laetandi causa Nobis in hac vita contingere poterat, cum eiusmodi decretum vel maxime conducat ad magis atque magis augendam fovendumque hic in terris honorem, cultum et venerationem erga gloriosissimam illam Virginem, quae exaltata super omnes Angelorum choros, Sanctorumque ordines, ac potentissima apud Eum, quem genuit, deprecatrix assidue pro universo christiano populo intercedit in coelis.

Optime nostis, quanta in catholico orbe erga Immaculatum Deiparae Conceptum quotidie magis extiterit pietas et cultus, et quanto studio Ecclesia ac Praedecessores Nostri hanc pietatem, cultum, atque doctrinam tueri, fovere, ac promovere gloriati fuerint, et quibus iteratis enixisque precibus non solum

catholici Antistites, verum etiam Summi Principes postulaverint, ut Immaculata Dei Matris Conceptio ab hac Apostolica Sede veluti catholicae fidei dogma definiretur.

Cum autem huiusmodi postulationes felicitis recordationis Gregorio XVI Praedecessori Nostro ac Nobis ipsis oblatae fuerint, tum ab exordio Nostri Pontificatus curas cogitationesque in hanc rem intentissimo studio convertimus. Sed omnem in tanti momenti negotio maturitatem adhibere volentes instituimus, veluti probe cognoscitis, peculiarem ex pluribus amplissimi vestri Ordinis Congregationem, ac plures ex Clero saeculari et regulari viros theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut hoc argumentum accuratissimo examine perpenderent, suasque sententias Nobis exponerent. Deinde encyclicam quoque Epistolam die 2 Februarii Anno millesimo octingentesimo quadragesimo nono Caietae datam ad omnes Catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut suis literis Nobis significarent quae proprii cuiusque Cleri, populique, fidelis esset erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas, et quid ipsi potissimum Episcopi de hac re sentirent, quidve exoptarent.

Postquam singulari certe animi Nostri gaudio tum ex commemoratae peculiaris Congregationis suffragiis, tum ex omnium fere Episcoporum responsis, atque ex eorundem Theologorum votis intelleximus, hanc definitionem a Nobis summopere expostulari, Apostolicarum Literarum exemplar conficiendum, Vobisque communicandum esse mandavimus. Itaque post haec omnia hodierno die de hac gravissima re,

dum divini luminis opem demississime imploramus, vestras quoque sententias, servato a Praedecessoribus Nostris more, perlibenter exquirimus. Placet ne igitur Vobis, ut dogmaticum de Immaculata beatissimae Virginis Mariae Conceptione proferamus decretum?

HABITIS OMNIBVS SVFFRAGIIS PONTIFEX HAEC ADIECIT.

Venerabiles Fratres, summa certe afficimur iucunditate, cum vestra suffragia Nostris votis respondere videamus. Itaque iam nunc diem octavum huius mensis Decembris, quo de gloriosissimae Virginis Conceptione festum ab universa Ecclesia concelebratur, indicimus pro emittendo ac vulgando hoc decreto, atque id solemniter et pompa in Patriarchali Nostra Vaticana Basilica peragemus. Interim vero ne intermittatis a Deo enixius semper exoptare, ut, Ipso favente et inspirante, maximam hanc rem ad divini sui nominis gloriam, ad beatissimae Virginis decus et ornamentum, atque ad catholicae fidei exaltationem, et christianae religionis augmentum conficere possimus.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE DOGMATICA DEFINITIONE
IMMACVLATAE CONCEPTIONIS VIRGINIS DEIPARAE

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ineffabilis Deus, cuius viae misericordia et veritas, cuius voluntas omnipotentia, et cuius sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio a saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo feliciter erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe sem-

per libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpa labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili eiusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et coelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere, ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum eiusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Con-

ceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebrat. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio eiusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria huius Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit eiusdem Ecclesiae dignitas, atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, eiusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, con-

firmandi fratres, et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriosi sunt Apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio officio propriaque missa, quibus praerogativa immunitatis ab hereditaria labe manifestissime asserbatur, augere, honestare, et cultum iam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculae Conceptionis patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare sponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Cappellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse perendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam et venerandam, gavisus sunt

quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lau-
retanis Litaniis, et in ipsa Missae praefatione Imma-
culatus eiusdem Virginis proclamaretur Conceptus,
atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege sta-
tueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum ve-
stigiis inhaerentes non solum quae ab ipsis pien-
tissime sapientissimeque fuerant constituta probavi-
mus et recepimus, verum etiam memores institu-
tionis Sixti IV proprium de Immaculata Conceptione
officium auctoritate Nostra munivimus, illiusque
usum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo
concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo
plane vinculo cum eiusdem obiecto conserta sunt, ne-
que rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit,
et in ambiguo versetur, idcirco Decessores Nostri Ro-
mani Pontifices omni cura Conceptionis cultum ampli-
ficantes, illius etiam obiectum ac doctrinam declarare,
et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare
aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione,
atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissi-
mam proscripserunt illorum opinionem, qui non Con-
ceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli
arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agen-
dum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Im-
maculata Virginis Conceptione doctrinam excogitatio-
nem inter primum atque alterum Conceptionis instans et mo-
mentum discrimine, asserebant, celebrari quidem Con-
ceptionem, sed non pro primo instanti atque momen-
to. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium
esse duxerunt, et beatissimae Virginis Conceptionis fe-
stum, et Conceptionem pro primo instanti tamquam

verum cultus obiectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquitens « Sane vetus est Christifidelium erga eius » beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, eius animam in primo instanti creationis, » atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia » et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii » humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu » eius Conceptionis festivitatem solemniter colentium, et celebrantium » (1).

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et eiusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia, solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice, sive privatim defendi posse severissime prohibi-

(1) Alexander VII. Const. Sollicitudo omnium Ecclesiarum VIII. Decembria 1661.

buere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adiecere sanctionem: quae omnia laudatus Praedecessor Noster Alexander VII his verbis est complexus.

» Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de Intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc officium olim ordinavit iuxta piam, devotam, et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV Praedecessore Nostro tunc emanavit; volentes quae laudabili huic pietati et devotioni, et festo, ac cultui secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato; Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo, favere, nec non tueri pietatem, et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et iurgiis, amotisque scandalis conservare: ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, eiusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces; Constitutiones, et Decreta, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV, Paulo V et Gregorio XV edita in favorem sententiae asserentis, Animam beatae Mariae Virginis in sui creatione, et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus Conceptionis eiusdem Virginis

» Deiparae , secundum piam istam sententiam , ut
 » praefertur, exhibiti, innovamus, et sub censuris,
 » et poenis in eisdem Constitutionibus contentis
 » observari mandamus.

» Et insuper omnes et singulos , qui praefatas
 » Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari,
 » ut favorem per illas dictae sententiae , et festo
 » seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur,
 » vel qui hanc eandem sententiam , festum seu
 » cultum in disputationem revocare, aut contra ea
 » quoquo modo directe vel indirecte aut quovis
 » praetextu, etiam definibilitatis eius examinandae,
 » sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive
 » Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio
 » quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce
 » loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea
 » quidquam determinando, aut asserendo, vel argu-
 » menta contra ea afferendo, et insoluta relinquendo,
 » aut alio quovis inexcoḡitabili modo disserendo ausi
 » fuerint; praeter poenas et censuras in Constitu-
 » tionibus Sixti IV contentas, quibus illos subiacere
 » volumus, et per praesentes subiicimus, etiam con-
 » cionandi, publice legendi, seu docendi, et inter-
 » pretandi facultate, ac voce activa et passiva in
 » quibuscumque electionibus, eo ipso absque alia
 » declaratione privatos esse volumus; nec non ad
 » concionandum, publice legendum, docendum, et
 » interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso
 » facto incurrere absque alia declaratione; a quibus
 » poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus
 » Nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super
 » iis dispensari possint; nec non eosdem aliis poenis,

» Nostro, et eorundem Romanorum Pontificum
 » Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, pariter
 » subiacere volumus, prout subiicimus per prae-
 » sentes, innovantes Paulli V et Gregorii XV superius
 » memoratas Constitutiones sive Decreta.

» Ac libros, in quibus praefata sententia, festum,
 « seu cultus secundum illam in dubium revocatur,
 » aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid
 » scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones,
 » tractatus, et disputationes contra eadem conti-
 » nentur; post Paulli V supra laudatum Decretum
 » edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohi-
 » bemus sub poenis et censuris in Indice librorum
 » prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia
 » declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus
 » et mandamus ».

Omnes autem norunt quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis Religiosis Familiis, et celebrioribus Theologicis Academiis ac praestantissimis rerum divinarum scientia Doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subiacuisset peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo iuxta sacrarum Scri-

pturarum, sanctorumque Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit ac definivit, homines nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et immaculatam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adiunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis literis, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis prerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia, ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos, ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a maioribus acceptam, ac revelatae doctrinae characterem insignitam illustra venerandae antiquitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa coelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere

crescant, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.

Equidem Patres, Ecclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque praeclaram de teterimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam, et nostri generis spem mirifice erexit inquam « Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius » docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam beatissimam Eius matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arcissimo et indissolubili vinculo cum Eo coniuncta una cum Illo, et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem,

sanctitatem, eiusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum, ac privilegiorum copiam, et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad coelum usque pertinere vidit Iacob, cuius gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cuiusque vertici ipse innotebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammis non iam comburi aut iacturam vel minimam pati, sed pulcre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cuius fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsa in Deiparae dignitatem, eiusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Ierusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis et domum, quam

sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et iussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit *benedicta Tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna qui Potens est, ea coelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex, ac digna Dei mater extiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, iustitiamque vindicandam, non Eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam

mira quadam verborum, sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale donum iugiter augens, quin serpenti aures unquam praeberit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel liliam inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalitatis, ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum, et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter stas communesque leges effluerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vicendum omni ex parte peccatum; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait, ini-

micitias ponam inter te et mulierem , praedictam, quae procul dubio venenatum eiusdem serpentis caput contrivit ; ac propterea affirmarunt , eandem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram ac liberam ab omni contagione et corporis , et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam , et sempiterno foedere cum Illo coniunctam , nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane extitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem ; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur , quam gratia fructum ederet : concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum , Spiritu Sancto formatum , et purpureae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eandemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum extiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulchra natura , ac labis prorsus omnis nescia , tamquam aurora undequaque rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur iniuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicavit non culpa , immo prorsus decebat ,

ut sicut Unigenitus in coelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo maiorum mentes, animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulcritudine pulcriorem, venustate venustiore, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae, solo Deo excepto, extitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelorum *natura pulchrior, formosior et sanctior*, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque liturgiae monumenta atque ecclesiastica officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere, ampliterque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti una incorrupta pulcritudinis columba, veluti rosa semper vicens; et undequaque purissima, et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Heva, quae Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam iudicio Patrum divinis

literis consignatam , tot gravissimis eorundem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae iudicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae Pastores, populi que fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari , invocare , et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt , ac potissimum felicitis recordationis Gregorio XVI Praedecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a Religiosis Familiis, ac summis Principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae Virginis honor auferretur, eiusque praerogativae uberiori luce niterent.

Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio, ac divinarum rerum scientia illustrium Congregationem, et viros ex clero tum saeculari, tum regulari theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immaculatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpendere, propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem Nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum Sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas Litteras die 2 Februarii anno 1849 Caietae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, Nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas, ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum iudicium proferreimus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam iucunditate, laetitia, ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cuiusque cleri, populiue fidelis erga Immaculatum beatissimae Virginis Conceptum pietatem, mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a Nobis exposularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro iudicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum

VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis, et praedicti Theologi Consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus Consistorium, in quo Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales alloquuti sumus, eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a Nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum, ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrent atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro iudicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Iesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et ieiunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Eius offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poenis a iure statutis subiicere si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Iesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias, quod singulari suo beneficio Nobis

licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimae suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo, quae tota pulchra et Immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque Prophetarum Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium cunctas semper interemit haereses, et fideles populos, gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica Ecclesia, cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus, ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate, ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medellam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adiutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile, et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Vir-

ginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et coeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Iesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione beatissimae Virginis Mariae definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Literas, ad perpetuam rei memoriam extarc volumus; mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronuntiationis, ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

**Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno In-
carnationis Dominicae Millesimo octingentesimo
quinguesimo quarto VI Idus Decembris Anno
MDCCCLIV, Pontificatus Nostri Anno Nonno.**

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE IX. DECEMBRIS ANNO MDCCCLIV.

VENERABILES FRATRES

Singulari quadam perfusi laetitia exultamus in Domino, Venerabiles Fratres, cum Vos hodierno die lateri Nostro frequentes adstare videamus, quos Nostrum gaudium et coronam iure possumus nuncupare. Vos enim pars estis eorum, quibuscum communicamus labores et curas in pascendo humilitati Nostrae concredito dominico grege universo, in tutandis iuribus catholicae religionis, eique novis adiungendis sectatoribus, qui iustitiae et veritatis Deum in sinceritate fidei colant et venerentur. Itaque quod olim Christus Dominus dixit Apostolorum Principi « tu aliquando conversus confirma fratres tuos » id ipsum Nobis, qui in eius locum licet immerentes divina benignitate suffecti sumus, hac oblata opportunitate praestandum videtur, ut Vobis nimirum, Venerabiles Fratres, verba faciamus, non ut Vos aut commoneamus officii, aut languentes excitemus, quos inflammatos studio novimus divini Nominis gloriae propagandae, sed ut tamquam voce ipsi Beatissimi Petri, qui vivit, vivetque in Successoribus suis re-creati atque erecti novo veluti robore muniamini ad quaerendam commissarum ovium salutem ad Ec-

clesiæ causam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam.

Neque vero deliberandum fuit, cuius potissimum adhibeamus patrociniū apud coelestem patrem luminum, ut eo adiuvante alloqui Vos fructuose possimus; siquidem cum ea de causa apud Nos conveneritis, ut conspirantibus animis studia curasque conferremus amplificando honori augustae Genitricis Dei Mariae, Sanctissimam ipsam Virginem Sapientiae Sedem ab Ecclesia nuncupatam iteratis precibus obsecravimus, ut impetrare Nobis radium velit sapientiae coelestis, qua collustrati ea Vobis loquamur, quae et incolumitati et prosperitati Ecclesiae Dei maximopere sint profutura. Iamvero ex hac tanquam arce religionis intuentibus Nobis errorum monstra, quae per catholicum orbem hac difficillima aetate grassantur, nihil opportunius visum est quam illa Vobis indicare, ut ad eadem debellanda vires exeratis vestras, Venerabiles Fratres, qui custodes praepositi estis, et speculatores domui Israel.

Existere etiam nunc dolendum est impium incredulorum genus, qui omnem si fieri posset exterminatum vellent religionis cultum, eisque adnumerandi imprimis sunt clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se foedere coniuncti nullas non adhibent artes, ut quibusque violatis iuribus rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris « vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere ». Hos si excipiamus, fatendum est praesentis aetatis homines generatim abhorrere ab incredulorum pravitate, et inclinationem quam-

dam animorum ostendere erga religionem et fidem. Sive enim facinorum ob atrocitatem, quae superiori praesertim saeculo perpetrata incredulis tribuenda sunt, quaeque animus meminisse reformidat, sive ob metum seditionum ac tumultuum, qui miserandum in modum convellunt, afflictant nationes et regna, sive denique divini spiritus opera, qui spirat ubi vult, imminutum esse patet perditorum numerum, qui incredulitate se iactent et glorientur; contra vero commendari audimus interdum vitae ac morum honestatem, excitatumque praeterea novimus in animis hominum admirationis sensum catholicam erga religionem, quae quidem in omnium incurrit oculos tanquam lux solis.

Non exiguum hoc est bonum, Venerabiles Fratres, et quidam quasi ad veritatem progressus, sed tamen multa adhuc sunt, quae a veritate plane assequenda absterrent homines et remorantur.

Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis praepositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanaeque societati quam maxime accomodatam, atque utilem praedicent; nihilominus eius moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrarum procuracionem attingere, uno verbo civilis intra status limites coercere nituntur Ecclesiam, eique dominari, quae tamen sui iuris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet expediat. Et proh dolor! Dum haec loquimur, Venerabiles Fratres, in Subalpina ditioe proposita

lex est, qua regularia et ecclesiastica instituta de medio tolluntur, et Ecclesiae iura plane conculcantur, atque, si fieri potest, delentur. Sed tamen de re tam gravi hoc ipso in loco alias agemus. Utinam vero qui libertati obsistunt catholicae religionis agnoscant aliquando quantopere publicae rei bono ipsa conducatur, quae sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex coelesti quam accepit doctrina; utinam persuadere sibi tandem velint quod olim Zenoni Imperatori scribebat Sanctus Felix Praecessor Noster « nihil esse utilius Principibus, quam sinere Ecclesiam uti legibus suis, hoc enim illis esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre ».

Sunt praeterea, Venerabiles Fratres, viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi religioni aequiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologiae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmitus, nihil stabilius, istae vero humana explicantur atque illustrentur ratione, qua nihil incertius, utpote quae varia est pro ingeniorum varietate, innumerisque fallaciis, et praestigiis obnoxia. Ita quidem reiecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque, reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos

hic referre nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum, illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humanae rationis ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimae illi sententiae Doctoris gentium « si quis putet se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit ». Demonstrandum illis est quantae sit arrogantiae pervestigare mysteria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi, complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli eiusdem dicto captivandus est in obsequium fidei.

Atque huiusmodi humanae rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, eiusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quod et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus « sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae ». Nunc quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino iustitiae atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, equis satis esse rationem

ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis periculis, atque in tanta virium infirmitate ne labatur, et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae, et gratiae coelestis auxilia? quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit » Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam ». Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus huius saeculi, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et praestare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt. Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate exponentes nimirum nihil esse praestabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam prorsus esse ad salutem, utpote quod « sine fide impossibile est placere Deo, et qui non crediderit condemnabitur. »

Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedissee plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequam versantur. Idcirco percontari saepenumero

solent, quanam futura post obitum sit eorum sors, et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et iudicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri munus est, Episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aequae ac funestae ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis solertia ac doctrina demonstratis commissis curae vestrae populis miserationi ac iustitiae divinae dogmata catholicae fidei nequiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut huiusmodi ignorantiae designare limites queat iuxta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulcroque nexu misratio ac iustitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati

mole quae hebetat animam firmissime teneamus ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout charitatis ratio postulat assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum salutem pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Huiusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

Praecipuos contra errores hactenus expositos, quibus maxime hoc tempore oppugnatur Ecclesia, vestram opponite, Venerabiles Fratres, et virtutem et constantiam, ad eosque profligandos, planeque delendos habeatis Ecclesiasticos viros necesse est laboris socios et adiutores. Immortaliter quidem gaudemus catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo, ac muneri cumulate satisficiat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disiunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obvisse quaelibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulcrum sibi ac decorum

existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adiutandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adpectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cuius inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt.

Est hoc Nobis iure laetandum, Venerabiles Fratres, verumtamen illud ad animi Nostri curam grave et acerbum, quibusdam in locis non deesse ex Clero aliquos, qui non semet exhibeant in omnibus ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc deest christiano populo divini verbi pabulum, unde nutriatur ad vitam, hinc infrequens sacramentorum usus, quibus tanta vis inest ad Dei gratiam vel conciliandam vel retinendam. Monendi hi quidem sunt, Venerabiles Fratres, ac vehementius excitandi, ut sacri ministerii partes recte ac fideliter explendas curent; docendi sunt quam gravi se culpa obstringant, qui messis multa cum sit laborare detrectent in agro Domini. Hortandi sunt, ut quanta sit divinae hostiae virtus ad propitiandum Deum, et flagitiorum poenas avertendas frequenter explicent fidelibus, ut iidem salutari Missae sacrificio religiose adesse, uberesque ex illo fructus percipere studeant. Sane quidem promptiores alicubi fideles essent ad pietatis actus exercendos, si vehementiora haberent a Clero et incitamenta et praesidia. Videtis hinc, Venerabiles Fratres, ad compa-

randos idoneos ministros Christi quanta sit Seminariorum necessitas et opportunitas; in quibus moderandis non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Collectos ibi iuvenes in spem religionis succrescentes ad pietatem doctrinamque sedulo informetis, ut duplici quasi instructi gladio boni olim milites esse queant ad praelianda praelia Domini. Tum in theologicis, tum vero in philosophicis etiam disciplinis probatae fidei scriptores eisdem proponatis, ne qua imbuantur opinione catholicae doctrinae minus consentanea.

Ita quidem Ecclesiae bono et incremento consultum per Vos erit, Venerabiles Fratres. Quo vero susceptae pro Ecclesia curae secundissimos habeant exitus summa extet concordia opus est consensusque animorum, longeque dissidia quaelibet prohibeantur, quae solvunt charitatis vinculum, quaeque fovere solet vaferrimus nostri generis inimicus utpote sibi ad nocendum opportunissima. Repetendum memoria est veteres illos catholicae fidei propugnatores de pertinacissimis haeresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tanquam cum duce suo coniuncti milites firmo animo erectoque in certamen descendissent.

Haec sunt, quae significanda Vobis duximus, Venerabiles Fratres, in hac cura et sollicitudine satis Apostolico ministerio faciendi, quod divina clementia et bonitate impositum est infirmitati Nostrae. Erigimur primum, ac recreamur spe coelestis auxilii, deinde ab explorato vestro religionis ac pietatis studio non mediocre Nobis pollicemur in tan-

tis rerum difficultatibus adiumentum. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit communibus votis Nostris, aderit praesertim si oratrix pro nobis accedat Virgo Sanctissima Dei parens Maria, cuius immunitatem ab originalis noxae macula Vobis magno cum Nostro gaudio adstantibus et plaudentibus divino adiuvente Spiritu pronuntiavimus: Eximium sane privilegium, quod Dei Matrem plane decebat, in communi nostri generis exitio sospitem atque incolumen evasisse. Atque huius privilegii amplitudo plurimum quidem valitura est ad eos refellendos, qui deteriorem factam esse inficiantur ex primaeva culpa hominum naturam, viresque amplificantis rationis ad negandum vel minuendum revelatae religionis beneficium. Faxit tandem Virgo Beatissima, quae interemit ac perdidit universas haereses, ut hic etiam evellatur stirpitis, ac deleatur rationalismi error perniciosissimus, qui hac miserrima aetate non civilem modo societatem, sed vero etiam tantopere affligit et vexat Ecclesiam.

Reliquum nunc est, Venerabiles Fratres, ut quanto animi Nostri solatio summa Vos alacritate ex dissitis etiam terris properasse conspeximus ad Apostolicam hanc Sedem propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmamentum, tanto perinde amoris studio anteaquam sedes repetatis vestras omnia Vobis precemur fausta felicia ac salutaria. Arbitrator ille omnium rerum et bonorum auctor Deus det Vobis spiritum sapientiae et intellectus, ut prohibeatis ab ovium pernicie ubique latentes insidias, ac quidquid ad commoditatem vestrarum Ecclesiarum vel suscepistis iam, vel eritis

suscepturi, id praepotenti numine suo bonus propitiusque confirmet; permissis autem Vestrae curae fidelibus det illam mentem, ut abstrahere se nunquam velint a pastoris latere, sed vocem ipsius audiant, quoque ipse velit, accurrant. Adsit Vobis Virgo Sanctissima ab origine Immaculata; sit ipsa Vobis in dubiis rebus fidele consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium. Ad extremum levantes manus Nostras in coelum Vobis gregique vestro ex intimo cordis affectu benedicimus. Sit porro Apostolicae huius benedictionis munus tamquam pignus certissimum charitatis erga Vos Nostrae, sit exploratissimum tamquam omen beatissimae vitae ac sempiternae, quam Vobis gregique vestro et optamus et poscimus a Supremo animarum pastore Christo Iesu, cui cum Patre et Sancto Spiritu sit et honor et laus et gratiarum actio per omnem aeternitatem.

HOMILIA

HABITA DIE X. DECEMBRIS MDCCCLIV.

VENERABILES FRATRES

Quanta animi iucunditate hodierno die afficiamur, Venerabiles Fratres, verbis profecto explicare non possumus. Plurima enim sunt, quibus vehementer in Domino commovemur, dum hanc Basilicam Paulo Apostolo gentium Doctori dicatam secundum ardentissima Nostra desideria, ac singularem erga ipsum Apostolum pietatem divino cultui restituere et consecrare laetamur. Nihil certe Nobis neque gratius, neque optatius accidere poterat, quam ut solemnem huius templi consecrationem statis ab Ecclesia caeremoniis perageremus frequentissimo et iucundissimo vestro fruente conspectu, Venerabiles Fratres, qui divinis Pauli enutriti doctrinis, et in sollicitudinis Nostrae partem vocati, Nostrisque votis quam libentissime obsecundantes in hanc urbem etiam venistis, et estis omnes Nobis carissimi. Ac summopere commovemur reputantes animo a Nobis consecrari templum, ubi sepulcrum, immo trophaeum existit illius Apostoli, qui insigne vas electionis, ac fulgidissimum christianae legis lumen, quique clarissimus evangelii praeco, ac mortali adhuc carne circumdatus felix coeli hospes, et intimus arcanorum Dei scrutator, sapientissimusque nationum magister. tot tantosque terra marique labo-

res , pericula , difficultates , cruciatus invictissimo animo perferens atque contemnens pro Christo Iesu, sanctissimum Eius nomen et doctrinam regibus, populis , nationibus nuntiavit , et synagogas confundens , ac paganam philosophiam perstringens , et vincens, atque idololatriam de proprio solio deturbans , et omnibus omnia factus ut omnes salvos faceret, mirificis suis gestis, scriptisque Ecclesiam vel maxime illustravit , provexit , suoque sanguine irrigavit, et coagmentavit. Itaque merito atque optimo iure omnes catholici orbis gentes gloriatae sunt hoc templum summa veneratione prosequi, quod a Constantino primum fuit extractum , ac deinde a Valentiniano, Theodosio, Arcadio, et Honorio Imperatoribus vario opere reffectum, et a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris assidua semper cura, maximisque sumptibus tam splendide, tamque magnifice instauratum, ornatum, ac ditatum, ut mirum pretii , amplitudinis et artis opus ab omnibus haberetur. Hinc ubi cum summo huius urbis , omniumque catholicorum dolore vetustissima haec aedes , pulcherrimumque pietatis et magnificentiae monumentum subito incendio conflagravit, ac flammarum vis paene omnia consumpsit, Praedecessores Nostri Leo XII , Pius VIII et Gregorius XVI pro eximio suo in Sanctum Apostolum affectu nihil potius habuere, quam intentissimo studio animum ad tantas reparandas ruinas assidue convertere. Nullis idcirco neque curis, neque consiliis, neque impendiis sibi unquam parcendum esse censuere, ac immensam prope pecuniae vim ex Pontificio aerario depromptam in novam templi aedificationem ero-

garunt, et omnium fidelium pietatem ad offerenda ultro donaria excitarunt, ut omnibus artis et industriae comparatis subsidiis novum templum maiori quo fieri posset splendore assurgeret, atque fulgeret. Ex quo evenit, ut laudatus Praedecessor Noster Gregorius XVI non levi animi sui gaudio videns externos utriusque lateris muros in anteriore novi templi parte extractos, omnesque columnas erectas, ac transversum eiusdem templi latus una cum abside omnino confectum potuerit, quemadmodum vehementer cupiebat, altare maximum consecrare.

Nos autem vix dum inscrutabili Dei iudicio licet immerentes ad sublimem Petri Cathedram evecti fuimus tantorum Praedecessorum exempla aemulantes ac pari in Apostolum Paulum pietate impulsus inter gravissimas Apostolici ministerii sollicitudines, ac tristissimas rerum vices nihil certe intentatum reliquimus, ut ea omnia perficerentur, quibus templum idem omni ex parte plane absolutum ornatumque existeret.

Cum igitur Deo bene iuvante Nostrae curae optatum exitum obtinuerint, ac res omnes eo deductae sint, ut solemni ritu templum idem consecrare possimus, tum summa animi Nostri consolatione id Vobis omnibus adsistentibus, Venerabiles Fratres, hodie praestare gaudemus. Dum autem tam sanctum agimus opus, haud possemus, quin intimo Nostri cordis affectu fideles omnes moneamus, hortemur, ut summa veneratione hanc Dei domum frequentent, ibique maneant mente in Deum tantum erecta serio meditantes, hic Dei Filium Deum

et Hominem in maiestatis throno assidere, hic homines per regenerationis lavacrum ab originali culpa expiari, et per poenitentiam Deo reconciliari, ac sacra synaxi refici, hic indulgentias consequi, ac salutari doctrina imbui, et instrui, hic a Deo supplicum preces et vota exaudiri.

Iam vero in hac sacra obeunda caeremonia vel maxime optamus, ut Vos omnes, Venerabiles Fratres, ac dilecti filii una Nobiscum non cessetis Apostoli Pauli praesidium in praesentibus gravissimisque Ecclesiae et reipublicae necessitatibus cum fiducia implorare, ut eius apud Deum precibus, discussa malorum omnium procella, tum sancta Mater Ecclesia, tum civilis societas omni pace ac tranquillitate fruatur, utque omnes populi, nationes occurrentes in unitatem fidei, et cognitionem Domini Nostri Iesu Christi, eandemque caritatem habentes semper cogitent, et agant quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, et ambulent digne Deo per omnia placentes et in omni opere bono fructificantes, atque aeternae vitae efficiantur heredes.

APPENDIX

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS

ALIQVA DVBIA CIRCA SACRA S. R. E. CARDINALIVM
ET EPISCOPORVM VTENSILIA DECLARANTVR

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Quum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas Nostras libenter intendimus. Jam vero praeter Indultum testandi de propriis bonis, quod Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientis — *De benignitate Sedis Apostolicae* — iisdem per alias similes Literas in forma Brevis, quarum initium — *Cum fel. rec. Urbanus VIII* — facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus Ecclesiae seu Cappellae vel Loci Pii, non obstante Constitutione Urbani VIII — *Aequum est* — edita die 24 Julii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia Pontificio Sacratio attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus ex quodam invento usu addi consueverit clausula « *quoad Ecclesias Cathedrales, Metropolitanas, aut Patriarchales, quibus praefueris, seu* » *quas alias ex concessione vel dispensatione Apostolica*

» in titulum, administrationem, seu Commendam obti-
 » nueris, dispositione Constitutionis fel. rec. Pii PP. V
 » anno 1567 tertio Kalendas Septembris anno secundo »
 saepe saepius dubia exorta sint circa interpretatio-
 nem et vim hujusmodi reservationis, eo vel magis
 quod in superius memorato Brevi « *De benignitate
 Sedis Apostolicae* » praefatae S. Pii V Constitutioni
 in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte de-
 rogetur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus
 quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus pri-
 vilegium disponendi de sacris utensilibus concedere
 solent, illud frustraneum et illusorium foret, quate-
 nus adjecta clausula eam vim haberet, quam verba
 praesecerunt. His quoque accedebat quod nonnulli Sa-
 cerdotum Canonum Interpretes doceant, Cardinales
 utpote qui in memorata S. Pii V Constitutione spe-
 ciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi
 alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita
 essent Ven. Frater Noster Petrus Cardinalis Ostini
 nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis Epi-
 scopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postu-
 lavit a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro,
 ut rem certo definiret atque expresse declararet, an
 Cardinales Episcopi seu Abbates *Nullius* in Aposto-
 licis memoratis Litteris S. Pii V Praedecessoris No-
 stri comprehendantur, ac statueret, quatenam sacra
 ornamenta et suppellectiles, et utensilia S. R. E. Car-
 dinalium ad Sacrarium Pontificium ex memorata
 Constitutione Urbani VIII, et quatenam Patriarcha-
 rum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum
Nullius sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa
 careant, ad Ecclesias Cathedrales ex superius citata

Sancti Pii V Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum suppellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati Decessoris Nostri beati Gregorii XVI locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecedendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec quae sequuntur auctoritate Nostra Apostolica discernimus et mandamus. 1°. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitutione S. Pii V incipiente — *Romani Pontificis*, — exceptis tamen Cardinalibus Episcopis Suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenda citata Constitutione — *Aequum est* — Urbani VIII Praedecessoris Nostri, ad Pontificium Sacrarium spectabunt. 2°. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constitutioni S. Pii V cujus initium — *Romani Pontificis Providentia*, — in Literis in forma Brevis incipientibus — *De benignitate Sedis Apostolicae* — apponi solitis, in altero Brevis quod incipit — *Cum fel. rec. Urbanus VIII* — auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, ejusque loco substituuntur ea, quae sequuntur « *Quod si Ecclesiis Abbatialibus, Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris. Te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV Prae-*

» *decessor Noster in sua Constitutione incipiente* —
 » **INTER ARDUAS** — *Cardinales hortabatur, ut in*
 » *praedictis rebus disponendis eas Ecclesias prae ocu-*
 » *lis habeas, ceterisque praeferas.*» Quae vero hoc in
 articulo praescripsimus ea ad singulos Cardinales
 extendimus, qui ante praesentium Literarum publi-
 cationem enunciatam testandi ac disponendi faculta-
 tem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis Indultis
 expressa essent. 3°. Sacra utensilia quae vigore
 Constitutionis S. Pii V incipientis — *Romani Pon-*
tificis — Ecclesiis Cathedralibus debentur, haec esse
 edicimus: Mitras scilicet, Planetas, Pluvialia, Tuni-
 cellas, Dalmaticas, Sandalia, Chirothecas, Albas cum
 cingulis, lineos Amictus et his similia; item Missalia,
 Gradualia, Libros cantus firmi et musicae, Libros
 pontificales, alterum cui titulus Canon Missae; item
 Calices, Patenas, Pixides, Ostensoria, Thuribula, Vas
 aquae benedictae cum Aspersorio, Pelvium cum Ur-
 ceo, Vasa sacrorum Oleorum et urceolos una cum
 pelvibus et tintinnabulo, Palmatorias, Icones pacis,
 Cruces Archiepiscopales, Candelabra cum Cruce pro
 Altaris usu, Baculum Pastoralem, Faldistorium, alias-
 que res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive
 vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui pro-
 fano congrua; dummodo non per accidens, sed per-
 manenter divino cultui, sacrisque functionibus fue-
 rint destinata; exceptis Annulis et Crucibus pectora-
 libus etiam cum sacris Reliquiis, et iis omnibus
 utensilibus cujusvis generis, quae legitime probentur
 ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad
 Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiae
 fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere

Episcopus conficere in forma authentica Inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate expriment quando acquisita fuerint et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium Sacelli Summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae reddituum, quibus comparata fuerint, et praeter ea quae in Constitutione Urbani VIII incipiente « *Aequum est* » in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, Sandalia, Chirothecas, Lineos Amictus, Albas cum cingulis, item Pixides, Ostensoria, Vas aquae benedictae cum aspersorio, Vasa sacrorum Oleorum, et urceolos eum pelvibus ac tintinnabulo, tandem Baculum Pastoralem, Faldistorium, Palmatorias, Icones pacis, Thuribulum et his similia, exceptis Annulis et Crucibus pectoralibus, etiam cum sacris Reliquiis. 4°. Quando Episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter Ecclesias Cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta Constitutionem S. Pii V incipientem « *Romani Pontificis.* » 5°. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus vel pluribus Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et Cathedralis Ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis Ecclesiis Cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administra-

tionem concessarum redditus non sint divisi, sed unam Episcopalem Mensam perpetuo constituent; si vero redditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis Ecclesiis Cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. 6°. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus Ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locum erit, sed eadem sacra utensilia ad Ecclesiam Cathedrali tantum spectabunt illius Dioecesis, ex cujus Episcopalis Mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus, decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque ad quos spectant seu spectabunt, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et extraordinarios judicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die I Junii MDCCCXLVII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

A. CARD. LAMBRVCHINI

A BREVIbus APOSTOLICIS.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO
DIE XVII IANUARIJ ANNO MDCCCXLVIII

VENERABILES FRATRES

Non dubitamus profecto, Venerabiles Fratres, quin Vobis pergratum, perque jucundum sit, amplissimo vestro Ordini a Nobis hodierno die praestantissimum ecclesiasticum virum adscribi, qui propter praeclara sua merita dignus plane est, ut ad tantae dignitatis, et honoris gradum evehatur. Is enim est Dilectus Filius Presbyter Carolus Vizzardelli, cujus excellens ingenium, eximiamque vitae integritatem, religionem, modestiam, doctrinam, atque insignem theologiarum praesertim disciplinarum, et Sacrorum Canonum peritiam Vos ipsi apprime cognoscitis. Qui quidem Vir postquam in magno Bononiensi Lyceo Sacrorum Canonum doctrinam tradidit, ubi in splendidum illud Juris Consultorum Collegium fuit cooptatus, atque in hac alma urbe Nostra publici ecclesiastici Juris scientiam in Sapientiae Archigymnasio edocuit, inter Antistites Nostros Domesticos et Protonotarios Apostolicos adscitus multos per annum Pontificiis latinis conscribendis epistolis, tum aliis operosis catholicae religionis rebus tractandis atque expediendis assiduam sedulam, utilemque suam operam navavit. Hinc vero Secretarius Nostrae Con-

gregationis negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae renunciatus, hujusmodi gravissimum aequae ac laboriosissimum munus tanta fide, cura, industria, sollertia, consilio, prudentia obivit, ut potissimum Nostram benevolentiam ac fiduciam, vestrumque omnium laudem, existimationemque sibi merito atque optimo jure comparaverit. Hunc igitur virum et virtutum ornatu praestantem, et diuturnis pro catholica Ecclesia, et hac Apostolica Sede laboribus egregie perfunctum Cardinalitiae Dignitatis honore omnino decorandum esse censuimus.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus et declaramus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem

CAROLVM VIZZARDELLI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. Una vero cum ipso, quem nominavimus, creamus etiam alium S. R. E. Cardinalem, quem tamen in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque declarandum.

In Nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti Amen.

Christianae charitatis ea ratio ac virtus est, ut quorum pervasit animos, iis ad ardua quaeque, ac difficillima capessenda tum pro gloria divini nominis, tum pro animis hominum corporibusque juvandis miram quamdam ac supra mortalem naturam ingeneret alacritatem. Id porro a primis ipsis Evangelii praeconibus ducto initio intueri per consequentes omnes aetates licet in viris sanctimonia conspicuis, quos coelestis paterfamilias tamquam strenuos operarios mittere nunquam destitit in messem suam; qui quidem christianae charitatis igne succensi tot ac tanta gesserunt, tam praecclare de unoquoque hominum genere meriti sunt, ut pudore suffundi, et obmutescere plane debeat fallax quaedam ac vanissima hujus temporis inimica Crucis Christi philosophia, si cum iisdem heroibus in comparationem venire, seque jactare audeat similis beneficentiae, atque operum effectricem. Jam vero inter egregios apostolico spiritu afflatos viros, qui per ignotas antea Americae regiones postquam ad illas patefactus est aditus, impigre laborarunt, ut gentes feritate barbaras lenirent ac flecterent, ac Christo lucrifacerent, ibique illustria reliquerunt christianae charitatis altissime impressa vestigia, merito refulget Venerabilis Dei famulus Petrus Claver Sacerdos Professus Societatis Jesu. Hic enim vero anno MDLXXXV Veroduni ortus, quod est oppidum Catalauniae in dioecesi Celsonensi et Hispania Tarra-

conensi, decimum septimum vix ingressus aetatis annum, ut se arctius Deo manciparet, in Societatem Jesu adscribi flagitavit. Voti compos factus absolute strenue tyrocinio humanioribus literis, et philosophicis doctrinis daturus operam in Balearum majorem contendit. Ibi quum Beatus Alphonsus Rodriguez adjutor a rebus domesticis ejusdem Societatis versaretur, eo intime usus ad quam grave gerendum ministerium, et quos perferendos labores divinitus vocaretur, ab eodem edoctus est. Et sane anno MDCX in Neogranatense australis Americae regnum, Deo sic volente, moderatorum jussu transiit, ibique Sacerdotio auctus sacrarum disciplinarum cursum confecit. Jam vero Carthagine ad litus Oceani extabat emporium, eoque a mercatoribus, quibus hominum vitam cum auro commutare per summum nefas solemne erat, singulis annis ad decem ac duodecim mille mancipia quasi pecudes ex Africa praesertim advehebantur ferociter, et quanti plurimi vendebantur. Calamitosissimi hujusce hominum generis miseratione tactus Venerabilis Petrus illi se, omnesque vitae suae rationes interjecta etiam sacramenti fide plane devovit, ac mirum quot asperitates et incommoda per quadraginta, et eo amplius continentes annos in iis erudiendis, sacroque regenerationis lavacro lustrandis animose ac fortiter pertulit! Mirum quantam Maurorum multitudinem charitatis virtute sustentatus ipse unus Christo et Ecclesiae progeneravit, sic ut ad centena aliquot millia eorum numerus feratur pertigisse! Neque vero animis ad veram religionem informandis intentus, corporum curam praetermittebat; nullum quippe pie-

tatis officium erat, quod aerumnosissimis illis hominibus, miseria et squalore enectis prolixè non impenderet. In portum onerariae naves cum appellerent praesto aderat, hominesque de libertate in servitutem per summam vim ac crudelitatem dejectos amplexus necessariis recreare praesidiis, quoad poterat, satagebat. Nudis vestimenta, esurientibus escam, aegris medicamina suppeditabat, et vero etiam peste laborantes nihil de sua vita sollicitus invisibat, iisque peculiarem adhibebat curationem. Quo vero magis in tanto paedore ac sordibus stomachi molestia torqueretur, eo acrius atque intentius hujusmodi pietatis officii sui victor instabat. Porro quasi levioris momenti essent labores, quibus in curandis Mauris assidue frangebatur, ceteris etiam, qui Carthagine versarentur, civibus advenisque opitulari non desistebat; quippe vitae licentia corruptos ad honestatem ac temperantiam, haereticos ad veram fidem adducere, Mahumedicae superstitionis servitute adstrictos in Christi libertatem vindicare adnitebatur. Quae vero serae noctis superessent horae a tam laboriosis officiis minimam illarum partem quieti, reliquam Deo, Mariae Virgini Deiparae, ac coelitibus colendis exorandisque insumebat. Charitate divina usque adeo flagrabat, ut quidquid ageret, intimis plane sensibus in Deum abreptus videretur. Ut erga ceteros homines praesertim rudes benignus, affabilis, ita in se severus, et asper detrita tot vigiliis ac laboribus membra afflictabat assidue, utpote qui a primis annis corpus in servitutem redigere durissimo vitae genere consueverat. Denique tot virtutum meritis, ac potissimum tot charitatis eximiis

operibus illustris IV Idus Septembris An. MDCLIV. Venerabilis Dei Famulus Carthagine mortem obiit vitae tam sancte actae plane consentaneam. Quum illius sanctitatis fama longe lateque percrebuisset ad consilium VV. FF. NN. S. E. R. Card. legitimis ritibus cognoscendis praepositorum delata causa est de illius virtutibus aestimandis, eisque diligenter perpensis rec. mem. Benedictus XIV Praedecessor Noster ferventibus ad Deum adhibitis precibus heroicas fuisse sancivit decreto de hac re edito VIII Kalendas Octobris MDCCXLVII. Postmodum coram Nobis, qui meritis licet imparibus ad Ecclesiam regendam vocati sumus, duo ex miraculis, quae Venerabili Petro deprecante, patrata ferebantur, Consultorum suffragiis, et Cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiis probata sunt; Nosque VI Kalendas Mensis Septembris Anno MDCCCXXXVIII de illorum veritate decretum edidimus. Denique coram Nobis pridie Idus Majas vertentis anni coacta eadem Cardinalium Congregatio, auditis etiam Consultorum suffragiis, unanimiter censuit posse, cum Nobis visum esset, commemoratum Dei servum Beatum declarari cum omnibus indultis, donec solemnitas ejus celebretur canonizatio. Nos igitur precibus Societatis Jesu universae permoti, ex memoratae Cardinalium Congregationis consilio et assensu, auctoritate Nostra Apostolica harum Literarum vi facultatem impertimur, ut idem Dei Servus Petrus Claver Presbyter Professus Societatis Jesu Beati nomine in posterum nuncupetur, ejusque corpus, et lypsana seu reliquiae (non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae) publicae fidelium venera-

tioni exponantur. Praeterea eadem auctoritate Nostra concedimus, ut de eo recitetur quotannis Officium et Missa de communi Confessoris non Pontificis, cum Orationibus propriis a Nobis approbatis juxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Ejusmodi vero officii recitationem fieri concedimus dumtaxat Carthagine ejusque in Dioecesi, itemque omnibus in templis ubi Societas Jesu instituta reperitur, die X Septembris ab omnibus Christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui horas canonicas dicere tenentur. Et quantum ad Missas attinet etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias in quibus festum peragatur confluentibus. Denique concedimus, ut anno ab hisce Literis datis primo sollemnia Beatificationis Servi Dei Petri Claver in templis dioeceseos et Societatis, de quibus habitamentio est, celebrentur cum Officio et Missis duplicis majoris ritus; quod quidem fieri praecipimus die ab ordinariis sacris Praesidibus indicenda, ac postquam ea sollemnia in Basilica Vaticana fuerint expleta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, decretisque de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Literarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praedictae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce Literis ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Mensis Julii MDCCCL. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

A. CARD. LAMBRVSCINI.

Loco ✠ Signi.

42

CONSTITVTIO

QVA CLERICIS EXCALCEATIS SS. CRVCIS ET PASSIONIS

D. N. J. CHRISTI

CVSTODIA ORATORII AD SANCTA SANCTORVM

ET SCALARVM SANCTARVM COMMITTITVR

AD PERPETVAM BEI MEMORIAM

Inter plurima templa, quae in hac Alma Urbe divino cultui dicata reperiuntur, in quibus veneranda religionis monumenta asservantur, insigne habetur Oratorium ad *Sancta Sanctorum* nuncupatum, in quo augustissima Salvatoris Imago ab omni antiquitate summa religione colitur, cui a Sixto V. Praedecessore Nostro sacrae adauctae sunt Aedes ut in eis Scalae Sanctae decentius constitutae a Christifidelibus flexis genibus prostratis ascenderentur.

Nos itaque nullis Nostris meritis sed arcano divinae providentiae consilio ad supremi Apostolatus fastigium evecti summopere cupientes ea, quae religionem et divinum cultum respiciunt, pro viribus promovere, sollicitudinem Nostram etiam ad memoratum Oratorium, et ad *Scalas Sanctas* convertendam esse duximus, ut populi Christiani devotionem erga sacratissimam Salvatoris Imaginem foveremus et augeremus, ac Christifideles ad recollenda dominicae passionis mysteria in visitatione *Scalarum Sanctarum* magis magisque excitarem.

Statuimus idcirco sumptibus Nostris continentem domum aedificare et in ea religiosam familiam constituere, quae sedulam utilemque praefatarum sacrarum Aedium ad *Sancta Sanctorum*, et ad *Scalas Sanctas* curam custodiamque habeat, decorem domus Dei curet, ad pia sacri cultus opera peragenda incumbat, Christifideles divini verbi pabulo reficiat, sacramentorum administratione sanctificet, ad devotionem erga sanctissimum Salvatorem ejusque passionis contemplationem commoveat.

Cum autem Congregatio Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi eo praesertim ex praescripto sui Instituti tendat, ut ejus Alumni populos ad religiosam meditationem mysteriorum, cruciatuum et mortis Salvatoris, a quo velut a fonte omne bonum procedit, instruant, eam praee ceteris seligendam existimavimus.

Nos igitur Motu-proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine domum, quae continenter ad memoratas sacras Aedes ad usum religiosae Familiae jam conformata est, quaeque super area a Nobis comparata novis operibus et aedificatione complenda erit, una cum horto novis circumquaque muris munito praefatae Congregationi Clericorum Excalceatorum SS. Crucis et Passionis Domini Nostri Jesu Christi concedimus, et in ea Recessum ejusdem Congregationis erigimus et constituimus; Clericis Excalceatis dicti Recessus curam et custodiam Oratorii ad *Sancta Sanctorum*, sacrarum Aedicularum, quae a rec. mem. Sixto V Praedecessore Nostro

aedificatae sunt, et *Scalarum Sanctarum* ad superius enunciatum finem concedimus, qui tamen quotannis die Purificationis *Beatae Mariae Virginis* candelam trium librarum cerae albae, de qua in *Constitutione Nostra* incipien. « *Decet Romanum Pontificem* » edita *Idibus Junii* currentis *Anni Millesimi Octingentesimi Quinquagesimi tertii* offerre teneantur (*).

Memorata *Domus* seu *Recessus* in omnibus ad praescriptum *regulae Superioribus* dictae *Congregationis* subsit; *Oratorium* vero ad *Sancta Sanctorum*, *sacras Aediculas Sixtinas*, aliasque *sacras Aedes* ad *Scalas Sanctas Nobis* et *Successoribus Nostris* immediate subjectas volumus et declaramus: et committimus *Dilecto Filio Nostro Cardinali Praefecto Nostri Palatii Apostolici* nunc et pro tempore existenti, seu ejus loco *Praesuli Urbano*, qui *procuracionem Palatii Apostolici* habeat, ut vice *sacra eidem Sanctuario* praesit, *salvis tamen juribus Dilecti Filii Nostri in Alma Urbe Vicarii* in approbandis *Confessariis* et in canonica institutione ad *Beneficium*, de quo in § IX memoratae *Nostrae Constitutionis*; ac firma in iis, quae praesentibus *Nostris literis* non adversantur, *unione favore Lateranensis Basilicae*, de qua in *Constitutione fel. rec. Martini V.*

(*) *Dicta Constitutio edita est idibus Junii praeteriti anni 1853: praesens autem Sexto Kalendas Martii currentis anni 1854. Verum cum juxta praxim Curiae annus Incarnationis computari soleat a die festo Annuntiationis B. M. V., idcirco in hac Constitutione legitur data — Anno Incarnationis Dominicae 1853 Sexto Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno octavo.*

etiam Praedecessoris Nostri incipien. « Cunctis Orbis Ecclesiis. »

Bona vero, redditus, proventus ad Collegium Sixtinum per eandem Nostram Constitutionem suppressum spectantes favore Fabricae ejusdem Sanctuarii attribuimus, ut praefati redditus, praeter expensas, quae ab Hospitali SSmi Salvatoris pro Oratorio ad *Sancta Sanctorum*, ejusque fabrica fieri solent, quasque etiam in posterum uti prius ab eodem Hospitali perfici volumus, in sacrarum aedium reparationem et conservationem, in sacras supellectiles comparandas conservandasque, in lampadum mantentionem, et in alias cultus expensas impendi debeant cum proventus ipsi liberi fiant, exceptis scutatis centum attributis favore Beneficii jurispatronatus Ducis Sforza Cesarini in omnibus juxta eandem Nostram superius memoratam Constitutionem. Praefatorum honorum, reddituum et proventuum, de quibus supra, administrationem et erogationem committimus Dilecto Filio Nostro Cardinali Praefecto, seu ejus loco Praesuli Urbano Palatii Nostri Apostolici, eique facultatem concedimus, ut pro suo libitu, et ad ejus nutum administrationem honorum suppressi Collegii Sixtini ejus Praeposito et Cappellanis relinquere possit, qui juxta memoratam Constitutionem Nostram interim merum titulum retinent, et redditus uniuscujusque Beneficii tantum, non vero aliorum, quae vacaverint, donec vixerint, percipient; nec non quoad scutata centum enunciato Beneficio attribuenda decernat, an eadem bona annua praestatione scutorum centum favore dicti Be-

neficii gravata esse debeant, vel potius expediat assignare eidem Beneficio tot bona, ex quibus annuus redditus scutorum centum retrahatur, eaque liberae Beneficarii administrationi tradere. Ne autem Sanctuarium ipsum, donec dicti redditus bonorum suppressi Collegii Sixtini vacaverint, conveniente dote careat, benigne indulgemus, ut impendiis, quae fieri oportet, interim aère Palatii Nostri Apostolici provideatur. Praepositus, Cappellani, et Clerici suppressi Collegii Sixtini a celebratione Missarum, aliisque muneribus obeundis, quibus ratione suorum officiorum in praefato Collegio fungebantur, cessabunt. Omnes capsulas, quae hucusque ad colligendas elemosynas tam pro Cappella ad *Sancta Sanctorum*, quam pro *Scalis Sanctis* publice retineri solebant, omnino abolemus, aliasque in posterum in praefatis sacris Aedibus apponi prorsus vetamus, praeter duas in Porticu, seu Vestibulo Sclarum Sanctarum a memoratis Clericis Excalceatis apponendas et retinendas.

Cum necessarium sit, ut Clerici Excalceati praefati Recessus, qui sedulam curam et diligentem custodiam habere, et nitorem Oratorii ad *Sancta Sanctorum* aliarumque sacrarum aedicularum ad *Scalas Sanctas* curare debent, libere ad omnes sacras Aedículas accedere possint, concedimus iisdem privative ad alias quascumque personas etiam speciali et individua mentione dignas claves non solum porticus ad *Scalas Sanctas* et utriusque Cappellae Sixtinae SS. nempe Laurentii et Silvestri, verum etiam claves portae aeneae Cappellae ad *Sancta Sanctorum*, quae

in praesens ab Hospitali SSmi Salvatoris sive ab ejus Deputatis retinentur, ac etiam claves circumferentiae Tabernaculi, in quo sacratissima Salvatoris Imago asservatur, quae a Capitulo Lateranensi custodiebantur; ita tamen ut ab eodem Capitulo claves dicti Tabernaculi de more retineantur, eique jus praeservatum sit illud aperiendi et claudendi tum statis intra annum diebus, tum etiam quoties sacratissima Salvatoris Imago populi venerationi exponenda sit.

Ut autem Hospitali SSmi Salvatoris seu ejus Deputati in custodienda sacra Icone etiam in posterum partem habere prosequantur, mandavimus, ut aere Nostro crates ferrea, quae dicto Tabernaculo superposita est, decentius ornata ita conformetur, ut claudi et aperiri possit, indulgentes et decernentes, ut ejus clavis a memorato Hospitali, seu ab ejus Deputatis loco clavium portae aeneae custodiatur eum iisdem jurebus, quibus in praesens legitime fruatur, praeter ea quae hisce Nostri literis contraria sunt.

Clerici Excalceati dicti Recessus in Cappellis Sixtinae SS. Laurentii et Silvestri, et in reliquis partibus sacrarum Aediurn ad *Scalas Sanctas* divina Officia recitare, sacrosanctum Missae sacrificium etiam cum cantu celebrare, et sacras exercitationes peragere licite et libere valeant, non tamen in Sacello seu Oratorio ad *Santa Sanctorum*, etenim relate ad idem Oratorium quoad praemissa Apostolicae Literae Leonis X datae Anno 1521 Primo Nonas Maji incipient. Ex injuncto servandas erunt in his, quae huc-

usque vigeant, quaeque hisce Literis non opponuntur. Insuper sartum tectum sit Capituli Lateranensis jus solemne sacrum celebrandi in praefatis duabus Cappellis Sixtinis diebus festis SS. Laurentii et Silvestri Martyris, prout hactenus servatum fuit.

Ad removendas vero in posterum omnes dissidiorum causas et occasiones, quae oriri fortasse possent inter Capitulum Lateranense, memoratos Clericos Excalceatos et Hospitale SSmi Salvatoris, peculiare deinceps regulas et ordinationes, quibus omnia componantur, auctoritate Nostra Apostolica edemus et publicabimus.

Haec volumus, statuimus, atque mandamus, decernentes has Nostras Literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti aut justitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac personis, quarum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere,

néque ad probationem seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri; nec ad id in iudicio vel extra cogi seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane esse ac fore volumus, et declaramus.

Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, pactis et consuetudinibus immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis specifica et individua mentione dignis etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis irritantibus concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; Quibus omnibus et singulis eorum totis tenoribus ac formis praesentibus pro insertis habentes, specialiter, et expresse ad praemissorum dumtaxat effectum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationis, Concessionis, Erektionis, Commissionis, Statuti, Decreti, ac Voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo

658

Quinquagesimo tertio Sexto Kalendas Martii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

U. P. CARD. SPINOLA PRO-DAT.

PRO DOMINO CARD. LAMBRV SCHINI

J. B. Brancaleoni Castellani Substitutus

Visa de Curia BRVVI

Loco ✠ Plumbi

V. Cugnonius

VENERABILI FRATRI
HERMANNO ARCHIEPISCOPO FRIBVRGENSI
FRIBVRGVN IN BRISGOVIA.

VENERABILIS FRATER
SALVTEN ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Antequam ad Nos pervenirent binae tuae Epistolae, quarum altera die 16 Novembris, altera die 20 Decembris proxime elapsi anni scripta magno quidem in dolore versabamur, Venerabilis Frater, cum sciremus quae, quantaque injuriæ et damna ab isto civili Gubernio catholicae inferrentur Ecclesiae. Namque jam noveramus saevam in Te fuisse excitatam tempestatem, Venerabilis Frater, eam scilicet ob causam, quod officii tui optime memor et servantissimus, nec ullo periculorum metu deterritus veneranda ipsius Ecclesiae jura, ac libertatem strenue propugnare, et Episcopalis tui muneris partes sedulo religioseque obire contendas. Atque etiam inter cetera acceperamus quomodo Gubernium idem non dubitaverit contra canonicas sanctiones, ac divinam Ecclesiae institutionem, et in sacrae potestatis jura invadere; eaque pessumdare et impedire, quominus illum tuum mandatum ad ecclesiasticas res pertinens vulgari et perfici posset absque civilis potestatis venia, et severissimas aequae ac injustissimas poenas sacris praesertim Ministris infligere; quorum alii pecunia mulctati, alii in vincula conjuncti fuerunt, proptereaquod tuis jussis, veluti

par erat, obediens a proprio officio deflectere noluerunt. Quocirca in Consistoriali Allocutione die 19 proximi mensis Decembris a Nobis habita, quam ad Te pervenisse arbitramur, haud omisimus pro Apostolici Nostri ministerii munere Nostram attollere vocem, ac vehementer conqueri maximas injurias et damna, quibus istic divexatur Ecclesia. Ex quo vel facile intelligis quomodo auctus fuerit animi Nostri moeror postquam ex binis commemoratis tuis Epistolis ad Nos perlatis cognovimus, graviora in dies catholicae religioni, ejusque sacris Ministris et rebus istic afferri detrimenta. Equidem una Tecum ingemiscimus, Venerabilis Frater, ac tuum dolorem tamquam Nostrum reputamus, ac propria hujus S. Sedis esse vulnera existimamus, quae vobis imponuntur. Interim Nostram amaritudinem lenit singularis tua, ac summis certe quidem laudibus efferenda virtus, religio, pietas, atque egregia episcopalis fortitudo et constantia, qua hostilibus conatibus impavide obsistens opponis murum pro Domo Israel, ac Dei ejusque Sanctae Ecclesiae causam strenue tueris, et defendis. Nec parum Nos reficit eximia, et ecclesiasticis viris plane digna istius cathedralis tui Templi Canonorum Collegii agendi ratio, qui proprii officii, dignitatis, et institutionis memores non levi eorum nominis gloria Tibi firmiter adhaerentes, et omnia despicientes pericula una Tecum Ecclesiae jura propugnare gloriantur, quemadmodum ex tuis quoque Literis agnovimus. Atque ex iisdem tuis Literis perlibenter accepimus, omnes fere Clericos tuae Dioecesis debitam Tibi praestare obedientiam, et ipsius Dioe-

oeseos fideles magis in dies agnoscere, eorum Antistitem pro justitia pugnare. Non mediocrem autem Nobis quoque consolationem attulere multa et mirifica honoris et benevolentiae testimonia atque studia, quibus Venerabiles Fratres catholici orbis Antistites, et alii spectatissimi catholici viri Te merito, atque optimo jure sunt prosequuti, ac de episcopali tuo in re catholica tuenda zelo et constantia gratulati fuerunt. Jam vero persuasissimum Tibi sit, veluti ex Nostra Allocutione noscere potuisti, nihil Nobis potius esse, quam intentissimo studio omnes paternae Nostrae sollicitudinis curas, cogitationesque impendere, ut afflictis istic Ecclesiae catholicae rebus occurrere, ac mederi possimus, expectantes a Deo bonam repromissionem, quam pollicitus est Ecclesiae suae, ne in pressuris et angustiis succumbat. Quapropter ne abjicias animum, Venerabilis Frater, sed confortare in Domino, et in potentia virtutis Ejus, qui dixit, ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, qui-que praeliatores, atque assertores sui nominis erigit, corroborat et animat. Nos certe in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione haud praetermitteremus fervidas humilesque clementissimo misericordiarum Patri adhibere preces, ut omnipotenti sua dextera Te, Venerabilis Frater, tegat atque defendat, ac majori Te in dies virtute induat ad bonum certamen certandum, atque ad horum temporum calamitates perferendas. Denique pro certo habeas velimus, praecipuum esse amorem, quo Te in Domino complectimur, Venerabilis Frater. Atque summae Nostrae in Te benevolentiae pignus quo-

662

que esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque istius Ecclesiae Clericis, Laicisque fidelibus tuae vigilantiae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Januarii Anno 1854. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

INDEX

Proemium pagina III

MDCCCXLVI

Allocutio habita in Consistorio secreto die 27. Iulii - *Amplissimum Consessum vestrum* - Sacro S. R. E. Cardinalium Collegio gratias agit de sua ad Summum Pontificatum evectione. » 1

Epistola encyclica - *Qui pluribus* - 9. Novembris. Ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos catholici orbis. Praemissa sua ad Apostolicam Cathedram evectione, et recensitis aetatis erroribus ab Episcopis petit, ut majori usque studio in catholica religione ejusque salutari doctrina tuenda, et in ecclesiasticis Ministris sedulo eligendis instituendis omnem operam impendant. Confirmat Constitutiones Praedecessorum suorum contra sectas. » 4

Litterae Apostolicae - *Arcano divinae providentiae* - 20. Novembris. Indicitur Iubilaeum universale ad implorandum divinum auxilium » 25

MDCCCXLVII

Epistola Encyclica - *Praedecessores Nostros* - 25 Martii. ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos ad implorandum pro regno Hiberniae divinum auxilium, et ad pias largitiones illi nationi mittendas. » 32

Allocutio habita in Consistorio secreto 11. Iun. - *Cum veluti probe noscitis* - Unum Cardinalem in pectore reservatum publicat, tres alios creat, nunciat Administrorum Consilium a se fuisse constitutum. » 38

664

- Litterae Apostolicae - *Romanis Pontificibus* - 17. Iun. De Equestris Ordinis Piani Institutione . . . » 43
- Epistola encyclica ad omnes Supremos Moderatores - *Ubi primum* - 17 Iun. Suam erga Sacras Familias caritatem significat, et eas hortatur ut ex propriis Ordinis instituto regularem disciplinam sancte religioseque observent, ad quam instaurandam peculiare instituit Consilium. » 46
- Epistola 17. Iun. qua ad locorum Ordinarios praedictam de regularibus encyclicam mittit. » 55
- Litterae Apostolicae - *Apostolico moderamini* - 21. Iun. De cubiculariis secretis et honorariis in equestrem Ordinem Pianum adlegendis. » 57
- Litterae Apostolicae - *Nulla celebrior* - 23. Iul. - Exercitium jurisdictionis Latini Patriarchae Hierosolymis restituit cum residendi obligatione. » 59
- Allocutio habita in Consistorio secreto 4. Oct. - *Quisque vestrum* - Nunciat S. R. E. Cardinalibus restitutum a se fuisse exercitium jurisdictionis Latini Patriarchae Hierosolymis, novumque ibi constituit Patriarcham; ac loquitur de debita erga Principes et potestates obedientia. » 64
- Allocutio habita in Consistorio secreto 17. Decemb. - *Ubi primum* - Significat curas a se susceptas pro instaurandis Ecclesiae rebus in Hispania, quo Delegatum misit. Queritur de quodam scripto typis edito sibi et Apostolicae Sedis injurioso. Refellit injuriam sibi illatam de *indifferentismo*. Dolet civile bellum in Helvetia exortum. Hortatur omnes Episcopos ad proprium ministerium sedulo implendum, et Ecclesiae causam propagandam. » 70

MDCCCXLVIII

Litterae ad Orientales - *In suprema* - 6. Ian. Dissidentes

- Orientalis amantissime excitat, ut ad catholicae Ecclesiae unitatem redire festinent. . . . » 78
- Allocutio habita in Consistorio secreto 29. Apr. - *Non semel* - Refellit calumniam sibi inflictam de bello gerendo contra Germanos; ac simul declarat se ejusmodi bello omnino adversari, ac repudiare subdola et perniciosa seditiosorum consilia, ac denuo populos hortatur ad debitum erga Principes obsequium. . . . » 92
- Epistola ad Archiepiscopos Episcopos aliosque Praepositos canonicae censurae librorum edendorum in temporali Sanctae Sedis ditione - *In Sess. X. Concilii Lateranensis V.* - 2. Jun. - Nonnulla dantur monita ad eorum munus pro re ac tempore obeundum. . . . » 99
- Allocutio habita in Consistorio secreto 3 Jul. - *Probe noscitis* - Loquens de religionis rebus in russiaco imperio, significat nonnullos articulos cum illius Imperatore fuisse conventos. . . . » 102
- Litterae Apostolicae - *Universalis Ecclesiae cura* - 3. Julii, quibus circumscriptio dioecesium latini ritus in imperio russiaco continetur » 134
- Allocutio habita in Consistorio secreto 11. Septem. - *Cum Illustris* - Queritur de morte quam Archiepiscopus Parisiensis in sedando civili bello obiit; pro cujus anima exequiae in Liberiana basilica peractae fuere adstante Summo Pontifice. . . . » 150
- Allocutio habita in Consistorio secreto 11. Septemb. - *Gratum Nobis est* - Confirmat in Patriarcham Babilonensem catholicae Chaldaeorum nationis. . . . » 154

MDCCCXLIX

- Epistola encyclica - *Ubi primum* - Cajetae 11. Febr. - ad Patriarchas, Primate, Archiepiscopos et Episcopos totius Catholici orbis, super argumento de Immaculata Conceptione B. V. M. . . . » 162

- Allocutio habita in Consistorio secreto Caietae 20. Aprilis - *Quibus quantisque* - De tristissima rerum conditione Pontificiae Ditionis, deque suo ab Urbe discessu; de petita Catholicorum Principum ope ad civilem Apostolicae Sedis Principatum vindicandum; deque piis largitionibus, quae sibi ultro missae fuere ab omnibus catholici orbis regionibus. » 167
- Litterae Apostolicae - *Cum hominum mentes* - Caietae 17. Iunii, - quibus nonnulla declarantur de Equitibus primae classis ordinis Piani » 195
- Epistola encyclica ad Episcopos Italiae - *Noscitis et Nobiscum* - Neapoli in Suburb. Portici 8. Decemb. Deplorans crassantes errores et impiorum conspirationem ad labefactandam catholicam religionem in Italiae populis hortatur Episcopos, ut omni studio hujusmodi nefariis conatibus obsistant. » 198

MCCCCL

- Allocutio habita in Consistorio secreto 20. Maii post in Urbem reditum - *Si semper antea* - Gratias agit catholicis aliisque summis Principibus quod auxilium tanta alacritate praebuerint Apostolicae Sedi; commendat Austriae Imperatorem quod in suo imperio catholicae Ecclesiae libertatem asserere incoeperit; dolet de patris in Subalpino regno contra religionem; significat Archiep. Taurinensem in arcem fuisse deductum suasque exponit angustias ob impendentia rei catholicae pericula in Belgarum regno. » 224
- Litterae Apostolicae - *Universalis Ecclesiae* - 29. Septemb. - quibus ordinaria Hierarchia Episcopalis in Anglia restituitur » 235
- Litterae Apostolicae - *Virginitatis laudem* - 7. Octobr. - quibus inter Beatas adscribit Ven. Servam Dei Mariam Annam De Paredes » » 247

- Allocutio habita in Consistorio secreto 1. Novemb. - *In Consistoriali oratione* - Enumerat gravissimas injurias a Subalpino Gubernio catholicae religioni illatas, et de iis summopere queritur. » 251
- Litterae Apostolicae - *Nostris Apostolicis literis* - 19. Novemb., quibus Collegia canonicorum in Anglia constituuntur. » 262

MDCCCLI

- Allocutio habita in Consistorio secreto 17. Febr. - *Inter novos* - Significat Iosephum a Sylva Torres Archiep. Palmyrensem se constitui Coadiutorem una cum futura successione Archiep. Bracharensis; atque exponit res ab illo perperam gestas esse in Goano Archiepiscopatu. » 265
- Additur Epistola ejusdem Archiepiscopi ad SS. D. N. PP. Pium IX, qua suam erga Pont. Max. observantiam et fidem profitetur. » 274
- Sequitur Pontificis responsum. » 276
- Litterae Apostolicae - *Multiplikes inter* - 10. Iun. quibus damnatur et prohibetur opus a Franc. de Paula Vigil editum hispanice conscriptum - *Defensa de la autoridad de los Gobiernos contra las pretensiones de la curia romana*. Lima 1818. » 280
- Similes - *Ad Apostolicae Sedis fastigium* - 22. Aug. quibus damnatur opus a *Iuris Ecclesiastici Institutiones Ioannis Nepomuceni Nütz* - Itemque - *In jus Ecclesiasticum universum tractationes*. » 285
- Allocutio habita in Consistorio secreto 5. Septemb. - *Quibus luctuosissimis* - Loquitur de Conventione inita cum Hispaniarum Regina Catholica, deque articulis conventis cum magno Etruriae Duce. » 293
- Adduntur Litterae Apostolicae - *Ad Vicariam aeterni Pastoris* - Nonis Septemb., quibus Conventio cum Hispaniarum Regina inita confirmatur. » 303

- Praeterea Conventio inter Pium IX. Pont. Max et Maie-
statem Elisabeth Hispanarum reginam. - *Sanctitas Sua* -
5. Sept. » 311
- Epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archie-
piscopos, Episcopos etc. - *Exultavit cor Nostrum* - 21.
Novemb. Laetatur de uberrimis fructibus ex sacro Iu-
bilaeo perceptis, et exponens luctuosum christianae
reipublicae statum excitat ad fundendas Deo preces;
quapropter novum concedit Iubilaeum. » 342
- Epistola encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archie-
piscopos, Episcopos etc. - *Ex aliis Nostris* - 21. Novemb.
Facultates tribuit occasione commemorati Iubilaei. » 348

MDCCLII

- Similis ad Archiepiscopos et Episcopos Hiberniae. - *Nemo
certe ignorat* - 25. Martii. Hortatur ad animum concordiam,
loquitur de Collegiis reginae appellatis, et in-
culcat hac super re observantiam decretorum S. Con-
gregationis de Prop. Fide, itemque Synodi Turlesensis
Apostolicis Literis probatae; rectam Cleri institutionem
commendat, ejusque disciplinam. » 353
- Similis ad Archiepiscopos et Episcopos regni Hispaniarum -
Probe noscitis, Venerabiles - 17. Maii. Hortatur ut in
Episcopali munere obeundo concordissimis animis eam-
dem habeant agendi rationem; Ecclesiae libertatem ac
jura strenue tueantur, et tum provincialium, tum dioe-
cesanorum conciliorum celebrationem agant; accuratae
Cleri institutioni advigilent, et christianae juventutis
educationi sedulo prospiciant. » 361
- Litterae Apostolicae - *Cum primis Ecclesiae* - 18. Maii.,
quibus beatorum ordini adscribitur Ioannes de Britto
Sacer. Profess. Soc. Iesu » 366
- Litterae Apostolicae - *Inter omnia* - 26. Augusti, quibus
indultum conceditur Ecclesias et oratoria Sacrae Domui
Lauretanae aggregandi » 373

- Allocutio habita in Consistorio secreto 27. Septemb. -
Acerbissimum vobiscum - Dolet de luctuosissimo religio-
 nis statu in Neo-Granatensi republica. Meritas laudes
 defert illius Provinciae Archiepiscopo et Episcopis.
 Deinde de Matrimonii sanctitate, deque Ecclesiae in illud
 libertate loquitur. » 383
- Litterae Apostolicae - *Quod, juxta effatum* - 1. Octobris,
 quibus beatorum ordini adscribitur Ioannes Grande ex
 ordine S. Ioannis de Deo. » 396
- Litterae Apostolicae - *Ad excitandum in animis* - 1.
 Octob. quibus inter beatos adscribit Ven. Servum Dei
 Paulum a Cruce. Ssme Crucis et passionis D. N. I. C. in-
 stitutorem. » 404

MDCCCLIII

- Litterae Apostolicae - *Quamvis peculiaries* - 9. Febr. Qui-
 bus nonnulla privilegia Protonotarior. Apostolicor. mo-
 deratur et abrogat. » 409
- Litterae Apostolicae - *Ex qua die* - 4. Martii. quibus ordina-
 ria Hierarchia Episcopalis in Hollandia restituitur. » 416
- Allocutio habita in Consistorio secreto 7. Martii - *Cum
 placuerit* - Manifestat restitutam fuisse in Hollandiae
 regno ordinariam Episcoporum hierarchiam, et initam
 Conventionem cum Costaricensi Republica; itemque de-
 clarat duos Cardinales in pectore reservatos, et sex alios
 creat. » 426
- Epistola ad Cardinales Archiepiscopos et Episcopos Gal-
 liarum - *Inter multiplices angustias* - 21. Martii. Lau-
 dat Galliarum Antistites de singulari eorum erga Petri
 Cathedram observantia; de Episcopali sollicitudine in
 obeundis eorum partibus; de Conciliorum Provincialium
 celebratione; de romana Liturgia in quamplurimis illis
 dioecesis restituta, eosque amantissime hortatur ad
 animorum concordiam et Ecclesiae doctrinam ejusquē li-

- bertatem quotidie magis tuendam , et ad rectam Cleri institutionem fovendam, habita auctorum et scriptorum ratione. . . . » 439
- Litterae Apostolicae - *Totius Dominici gregis*-Idibus Maii.
Conventio inter Sanctam Sedem et Praesidem Costaricensis Reipublicae confirmatur . . . » 449
- Constitutio - *Decet Romanum Pontificem* - Idibus Iunii .
Collegium Xistinum ad Scalas Sanctas supprimitur. » 464
- Litterae Apostolicae - *Cum Romani Pontifices* - IV. Kal. Iulii. Seminarium Pium instituitur . . . » 473
- Litterae Apostolicae - *Rerum omnium* - 1. Iulii, quibus inter beatas cooptatur Ven. Serva Dei Germana Cousin. » 494
- Similes - *Quae duo ad sacrum* - 5. Iulii, quibus decernuntur honores Ven. Servi Dei Andreae Bobola Sacerd. Prof. Soc. Iesu. . . . » 500
- Litterae Apostolicae - *In celsissima Petri Sede* - III. Non. Augusti. Conventio inter Sanctam Sedem et Praesidem Guatimalensis Reipublicae confirmatur. . . » 506
- Litterae Apostolicae - *Senogalliae Urbis* - Kal. Septemb. Senogalliae Gymnasium instituitur et Sodalibus Soc. Iesu. committitur . . . » 523
- Litterae Apostolicae - *Ad piam doctamque* 3. Oct. Constituitur ratio studiorum in scholis Pontificii Seminarii Romani ad Sancti Apollinaris . . . » 533
- Allocutio habita in Consistorio secreto 19. Decembris - *In apostolicae Sedis fastigio*-Significat erexisse duas Episcopales Sedes graeci ritus catholici, Lugosiensem scilicet in Banatu Themesiensi, et Armenopolitanam in Transylvania, easque suffraganeas Fogarisiensi Ecclesiae, quam Albajuliensi titulo honestatam ad Metropolitanam Sedis decus et dignitatem evexit. Loquitur de Conventione inita cum republica Guatimalensi: lamentatur de Ecclesiae rebus afflictis in quibusdam Septentrionalibus regionibus, et laudat Archiepiscopi Friburgensis constantiam. Queritur de tristi Ecclesiae conditione in Indiis Orientalibus

ac de infelici exitu sacrae Missionis ad Insulam Haiti;
demum nunciat, tractationes de religionis rebus cum
Subalpino Gubernio susceptas ejusdem culpa fuisse in-
termittas. » 552

MDCCCLIV

- Epistola encyclica - *Neminem vestrum latet* - ²9. Febr. ad
Archiepiscopum Primatem, Episcopos et universum Cle-
rum, cunctosque fideles Armeniae catholicae Nationis
Constantinopolitanae Provinciae. » 561
- Similis ad Archiepiscopos et Episcopos Hiberniae - *Optime
noscitis* - 20. Martii. Exposcit, ut catholicum Lyceum
seu universitatem in Thurlesensi Synodo decretam quam-
primum erigant, riteque constituent, ac denuo efflagit,
ut ejusdem Synodi decreta diligentissime exequantur,
et Cleri institutioni ac disciplinae sedulo advigilent. » 580
- Similis ad omnes Patriarchas, Primate, Archiepiscopos,
Episcopos, aliosque Ordinarios - *Apostolicae Nostrae ca-
ritatis* - 1. Aug. Publicis christianae et civilis reipublicae
calamitatibus raptim expositis hortatur Episcopos, ut fi-
deles ad preces Deo fundendas excitent, et idcirco no-
vum concedit Iubilaeum. » 587
- Alloctio habita in Cosistorio secreto die 1. Decemb. -
Inter graves multiplicisque angustias - Loquitur de Im-
maculata Virginis Conceptione, deque dogmatico hac su-
per re emittendo decreto. » 594
- Litterae Apostolicae - *Ineffabilis Deus* - VI. Idus Decemb.
De dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis Vir-
ginis Deiparae. » 597
- Alloctio habita in Consistorio secreto die IX. Decemb.
- *Singulari quadam perfusi laetitia* - Gratulatur Epi-
scopis sibi adstantibus, quum dogmaticam definitionem
Immaculatae Virginis Mariae promulgaverit, eosque hu-
jusmodi occasione alloquens de serpentibus erroribus

672

- religioni infestis ipsos excitat ad hosce errores a proprio grege propulsandos . . . » 620
- Homilia habita die X. Decemb. in Consecratione Ostiensis Basilicae S. Pauli Apostoli - *Quanta animi jucunditate.* » 632

APPENDIX

- Litterae Apostolicae - *Quum illud plurimi* - 1. Jun. 1847., Aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium utensilia declarantur. . . » 637
- Allocutio habita in Consistorio secreto die 17. Jan. 1848. - *Non dubitamus profecto* - Creat et declarat unum S. R. E. Cardinalem. . . » 643
- Litterae Apostolicae - *Christianae charitatis* - 16. Jul. 1850. Beatorum ordini adscribitur Ven. Servus Dei Petrus Claver Sacerd. profess. Soc. Iesu . . » 645
- Constitutio - *Inter plura templa* - VI Kal. Martii 1853. Clericis Excalceatis SS. Crucis et Passionis D. N. J. Christi custodia Oratorii ad Sancta Sanctorum et Salarum Sanctarum committitur. . . » 650
- Epistola ad Hermannum Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia - *Antequam ad Nos pervenirent* - 9. Jan. 1854. Expositis injuriis et damnis quibus catholica illius religio, summis affert laudibus primum Archiepiscopi, deinde sui Canonicorum Collegii fortitudinem et constantiam in tuenda ac defendenda Ecclesiae causa; ipsius autem erigit animum in referendis calamitatibus. » 659



ERRATA

CORRIGE

pag. 23	lin. 19	aurem	autem
» 31	» 8	constituta	constitutae
» 46	» 32	invict oterrestria	invicto terrestria
» 130	» 16	précédentes	précédents
» 132	» 16	grand	grande
» 149	» 19	octingentesimo.	octingentesimo
» 196	» 20	elegende	eligendi
» 214	» 1	supradictia	supradictis
» 214	» 11	conditionis	conditioni
» 214	» 22	veras	verae
» 215	» 21	interae	interea
» 227	» 25	sustinerent.	sustinerent
» 242	» 7	auctibus	fructibus
» 259	» 13	Aschiepiscopum	Archiepiscopum
« 263	» 14	Archiediscopo	Archiepiscopo
» 290	» 10	Marsilio,	Marsilio
» 296	» 8	plenam	plena
» 349	» 21	tu	ut
» 381	» 26	Trasumptis	Transumptis
» 388	» 15	Monsquera	Mosquera
» 393	» 29	subennda	subeunda
» 407	» 3	gl.	cl.
» 416	» 10	absolaere	absolvere
» 455	» 32	dioeceseum	dioecesium
» 462	» 17	volumus	voluimus
» 466	» 12	animo	animi
» 480	» 27	Tdeologiae	Theologiae
» 514	» 6	praesentabunt	praescntabunt
» 547	» 9	ex	ea
» 557	» 15	certam	certamen



310

1874

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

~~DUE MAR 20 1899~~

DEC 8

CANCELLED

NOV 2

AUG 15

60000 F. W. D. 1899

CANCELLED

AUG 13 1899

C 82.188.5
Pii IX Pontificis Maximi acta. 002853357
Widener Library



3 2044 081 701 542